


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



Digitized by Google



Digitized by Google

53

2941 e 55

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS.



COMPLEMENTUM

Digitized by Google

On souscrit, à Paris,

CHEZ P. A. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16, au Marais.
DIDOT, frères, imprimeurs de l'Institut, rue Jacob, n° 56.

Digitized by Google

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBRI SEX

Digitized by Google

EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,
INSTITUTI REGII FRANCIÆ TYPOGRAPHI,
VIA JACOB, 56.

Digitized by Google

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBRI SEX

CUM SELECTIS OPTIMORUM INTERPRETUM ADNOTATIONIBUS

QUIBUS SUAS ADJECIT

P. AUG. LEMAIRE

VOLUMEN POSTERIUS



PARISIIS

COLLIGEBAT OLIM NIC. ELIG. LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXVIII

Digitized by Google



Digitized by Google

MANIBUS

SUMMI VIRI ET AMANTISSIMI MAGISTRI

N. E. LEMAIRE,

IN BENEFACTORUM

ET ANIMI PATERNI MEMORIAM

HOC PIETATIS SUÆ MONUMENTUM



D. D. D.

BENE MEMOR ET IN PERPETUUM LUGENS

FRATRIS FILIUS

Digitized by Google

Digitized by Google

T. LUCRETII CARI
DE
RERUM NATURA
LIBER V.

ARGUMENTUM.

LAUDES Epicuri, cui propter inventam et explicatam philosophiam plus debent homines, quam Cereri, Baccho, Herculi, aliisque Divis, quos grati venerantur, ad vs. 55 prædicat. — Deinde in vs. 92 proponit totius libri argumentum, cujus partes postea explicat: — et ad vs. 157, terram, mare, cœlum, solem, sidera, mortalia docet, nec, quod Stoici putarunt, animata, Dei ipsius partes, aut sedem et domicilium Deorum esse, quod vulgus existimat, asserit. — Ne quis mundum a Diis fuisse factum, atque ideo immortalem credat, ad vs. 236 varias rationes congerit, tam a natura Deorum, quam a vitiis hujus mundi ductas, quibus probare conatur, hanc compagem non a Diis constitutam, et mortalem esse.—Ad vs. 417 quatuor elementa, terram, aquam, aera, ignem, e quibus mundus constat, nasci et interire, et proinde mundum ipsum aliquando incepisse, aliquando etiam periturum, arguit; variisque aliis argumentis confirmat, hanc compagem nec ab æterno exstitisse, neque futuram esse immortalem. — Ad vs. 510 agit de primo mundi exortu; et singulis ejus partibus, prout graviores aut leviores sunt, sedes suas et locos assignat. — Ad vs. 613 multa de cœli et siderum motibus proponit, at nihil certi decernit: deinde docet, cur terra, cur tota compages, quod corpus grave est, nulli fundamento innixa, pendeat: solem denique, lunam, sidera, metitur; atque illa nec majora nec minora esse, quam nobis apparent, pronuntiat.— Ad vs. 770 varias utriusque solstitii, æstivi et hyemalis, causas

Digitized by Google

reddit; quo modo nox fiat, cur aurora solem præcedat, cur dies et noctes vicissim sese superent, cur luna vultum et figuram variet, cur denique sol ac luna eclipsin patiantur, disputat. — Deinde, a cœlo descendens, herbarum, arborum, avium, brutorum, hominum origines describit. — Ad vs. 835 monstra quoque, mutila quædam atque imperfecta animalia, nasci concedit; sed Chimæras, Centauros, Scyllas, reliquaque poetarum portenta, suaviter deridet. — Demum, a vs. 922 ad vs. 1090, primorum hominum vires, rudem vitam, cultum, victum, ingenium, mores, domicilia, matrimonia describit; et docet, unde sermo, voces, et rerum nomina. — Tandem, post ignem in terras a fulmine delatum, cultior vita facta est, et victus mollior; pacta et fœdera inierunt homines, agros partiti sunt; et pulcherrimi, aut fortissimi, reges constituti sunt; at brevi, orta seditione, respublica emersit, ad vs. 1160. — Inde, ad vs. 1240, disputat de Deorum metu, et ortu religionis; quam divinæ naturæ, et causarum naturalium, ignorantiæ acceptam refert. — Quæ sequuntur, metallorum ortum, primas bellandi artes, artis textrinæ, agriculturæ, musices, et aliarum artium ortum atque progressum continent, usque ad finem libri.

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere pro rerum majestate hisque repertis?
Quisve valet verbis tantum, qui fingere laudes
Pro meritis ejus possit, qui talia nobis,

1. *Quis potis est dignum*, etc. Quintum hunc librum auspicatur Lucretius ab laudibus illius viri, qui sapientiam invenit; eumque non modo Diis æquiparat, sed et Deum appellat. Sic enim ab ejusdem Epicuri laudibus tertium librum inceperat. Sic jam infra vs. 56 Epicurum sane notat, cujus hic vestigia ingressus doctrinam explicat. *F.*

2. *Condere.* Sic *condita carmina* Virg. Ecl. X, 50. — *Pro rerum majestate.* In hoc loco perdifficili constituendo, propter lectionum intractabilium dissimilitudinem, nihil positis melius invenio; quæ priores editores se testantur in exemplis scriptis offendisse, sed ipse suspicor ipsorum ingenio deberi. Nonnulli rescribere tentaverunt: « pro rerum *majestate atque* repertis »: sed alteram viam rectiorem puto. *Wak.*

3. *Valet verbis.* Modo poetam significavit, nunc oratorem: quis adeo eloquens est, ut digne laudare possit eum qui talia, etc. Ed. — *Fingere.* Sic omnes libri veteres. *Fingere laudes*, pro « laudativum carmen fingere », facilis est atque probissima locutio, neque scitum quemlibet remorabitur. *Wak.* — Vulgo *fundere*, e Lamb. conjectura.

4. *Ejus*, Epicuri scilicet.

Digitized by Google

Pectore parta suo quæsitaque, præmia liquit?
Nemo, ut opinor, erit, mortali corpore cretus.
Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicundum est, Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia; quique per artem
Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris
In tam tranquillo et tam clara luce locavit.
  Confer enim divina aliorum antiqua reperta:
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse;
Quom tamen his posset sine rebus vita manere;
Ut fama est, aliquas etiam nunc vivere genteis:

5. *Pectore*, mente, ingenio *parta*, non vi et armis, ut alii. — *Quæsitaque*; III, 420. — *Præmia*. I. e. fructus et commoditates vitæ; conferas III, 912, 969. *Wak.*

7. *Nam, si, ut*, etc. Dactylus est, nec fit elisio, ut IV, 1057. Sensus est: si recte et pro meritis loquamur.

8. *Deus ille fuit*. Hunc locum prorsus respiciebat Cic. Tusc. I, 21; cf. Virg. Ecl. V, 64.

9. *Princeps*. Primus. Sic I, 95. Porro ex hoc loco multi colligunt non Epicurum intelligi hic a Lucretio: sed alium antiquiorem, sive Pythagoram, sive Socratem, sive Thaletem, aut alium e septem Sapientibus. Ita Firmianus De falsa sap. III, 14. Verum jam bis atque iterum Lucretius prædicavit Epicurum primum nobis rerum naturam expromsisse beateque vivendi viam demonstrasse; III, 2 et I, 67. *F.* — *Vitæ rationem*. I. e. regendæ vitæ *disciplinam*. Cicero De finn. I, 5. *Wak.*

10. *Sapientia*. Pythagoras autem, uti discimus ex M. Tullio, huic arroganti nimis nomini *philosophiam*, sive amorem sapientiæ, modestior prætulit. *Wak.* — *Per artem*; IV, 848; Virg. Georg. I, 122.

11. *Fluctibus; tenebris*: nec nocturnis sideribus scilicet viam per mare turbidum atque caliginosum aperientibus, nec diurno sole. Locus est ornatu verborum, ac proprietate, perfectissimus. *Wak.*

12. *In tam tranquillo*, etc. Sic dicitur, « esse in tranquillo », « ferri in tranquillum » Lucilio. Sed vide quam bene paria paribus reddat, e fluctibus, in tranquillo: e tenebris, in clara luce. *Lamb.*

13. *Divina aliorum reperta*. Inventa aliorum, qui ideo Dii habentur. Fayus vult *aliorum* dici pro *aliarum rerum*: confer res alias inventas cum ista: male! Ed.

14. *Ceres*, frugum inventrix ac Dea. Virg. Georg. I, 147. — *Liber*, Bacchus, qui primus vini usum reperisse fertur.

17. *Ut fama est*, etc. Sic Diodorus Siculus III, narrat de iis populis, qui oram sinus Arabici et Troglodyticam regionem, et Æthiopiam australem incolunt, quorum alii piscibus et testudinibus, alii radicibus, alii frondibus, semitibus, et fructibus arborum, alii

At bene non poterat sine puro pectore vivi.
Quo magis hic merito nobis Deus esse videtur;
Ex quo nunc etiam, per magnas didita genteis,
Dulcia permulcent animos solatia vitæ.
  Herculis antistare autem si facta putabis,
Longius a vera multo ratione ferere.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obesset, et horrens Arcadius sus?
Denique quid Cretæ taurus, Lernæaque pestis,
Hydra, venenatis posset vallata colubris?
Quidve tripectora tergemini vis Geryonai?
Et Diomedis equei, spirantes naribus ignem,
Thracen Bistoniasque plagas atque Ismara propter,
Tantopere officerent nobis [uncisque timendæ
Unguibus, Arcadiæ volucres,] Stymphala colentes?

locustis vescuntur, neque frugum aut vini usum noverunt. *Lamb.* — Ammian. Marc. XIV, 4, idem tradit de Saracenis.

18. *Puro pectore.* I. e. animo philosophiæ præceptis atque institutis perpurgato. — *Bene vivi.* Sic alii locuti sunt, et Horatius, Od. II, 16, 13. *Wak.*

19. *Hic,* Epicurus, qui naturæ cognitionem nobis tradidit.

21. *Solatia vitæ;* VI, 4.

22. *Herculis antistare,* etc. His 16 vss. seqq. Herculis aliquot memorat labores, quos eo magis postponendos ait inventis sapientiæ, quo anima præstat corpori. *F.* — *Antistare,* antecedere, praecellere.

24. *Nemeæus hiatus leonis.* Formula est sermonis adamata Lucretio, pro *hiatus Nemeæi leonis :* redeas ad ea, quæ diximus in I, 120, 475, et alibi sæpius. *Hiatus leonis* schema est poeticum in longe speciosissimis, vice τοῦ « leo patulis faucibus instructus », vel *hians leo. W.*

25. *Arcadius sus.* Erat in Erymantho Arcadiæ monte horrendus aper, qui omnia vastabat; hunc vivum cepit Hercules, et ad Eurystheum Mycenarum regem attulit. *F.*

26. *Cretæ taurus.* Alii fabulantur immissum in Cretam fuisse a Neptuno, quem Minos Cretæ rex offenderat. Alii taurum fuisse illum, qui Europam Minois matrem transtulerat in Cretam : alii taurum cujus amore insanierat Pasiphae Minois uxor. Virg. Æn. VI, 24.

27. *Vallata.* Hydra Lernæ, centum capitibus tanquam vallo cincta.

28. *Tripectora vis.* Geryonem similiter *tricorporem* vocat Virg. Æn. VI, 289; conf. Horat. Od. II, 14, 7.

29. *Diomedis equei,* etc. Diomedes, Thraciæ rex, equos humano sanguine et carne pascebat, ut ferociores forent. Illum devictum Hercules equis propriis dedit in pabulum. *F.*

30. *Thracen ... propter;* id est, juxta Thraciam. Vide Disq. var.

32. *Volucres Stymphala colentes.* Nomen est et urbis, et montis, et paludis in Arcadia. In hac palude, aut monte, aves erant magnitudine gruibus pares, figura ibibus similes : rostra ha-

Digitized by Google

Aureaque Hesperidum servans fulgentia mala,
Asper, acerba tuens, immani corpore serpens,
Arboris amplexus stirpem, quid denique obesset,
Oceanum propter litus pelagique severa,
Quo neque noster adit quisquam, nec barbarus audet?
Cetera de genere hoc quæ sunt portenta peremta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
Nil, ut opinor; ita ad satiatem terra ferarum
Nunc etiam scatit, et trepido terrore repleta est
Per nemora ac monteis magnos sylvasque profundas:
Quæ loca vitandi plerumque est nostra potestas.
At nisi purgatum est pectus, quæ prælia nobis,
Atque pericula sunt ingratiis insinuandum!
Quantæ tum scindunt hominem cupedinis acres
Sollicitum curæ! quanteique perinde timores!
Quidve superbia, spurcitia ac petulantia, quantas

bebant ita solida, ut ferrum penetrarent. *F.*— Ceterum, has aves pennis jaculatricibus formidabiles fuisse satis liquet, sed *uncis unguibus timendas* nusquam legi, quamvis inquirere non distulerim. Ille igitur versiculus, quem nos uncinis duximus includendum, omnino est nostro poetæ abjudicandus. *Wak.*

34. *Acerba.* Sic Virg. Georg. III, 149: *Asper, acerba sonans.*

35. *Stirpem*, truncum.

36. *Oceanum propter litus.* Tacit. Ann. I, 9, *mari Oceano*, et Pomp. Mela, III, 3: « Germania *Oceano litore* obducta est »; quod exemplum rem conficit. *Orell.* — Cf. Juven. XI, 113. — *Pelagique severa;* ut *severa silentia noctis*, IV, 461; solitudinem, vastitatem maris, ac labores nautis, illuc usque iter pergere ausis, exantlandos significat. *Orell.* — Virg. Georg. III, 37, *amnem severum* Cocyti dixit: *Pelagi severa* autem Noster, ut Horat. *acuta belli.*

37. *Audet;* scil. adire. — Propter loci terrores, de quibus Juven. XIV, 280. Hic igitur quid noceret serpens? *Wak.*

40. *Ad satiatem.* Sic vs. 1390, et II, 1038. H. e. valde, abunde.

41. *Scatit*, pro *scatet*, tertiæ conjug. Sic infra vss. 597, 950, et VI, 897.

43. *Quæ loca.* Et tamen hæc loca formidolosis animantibus repleta vitare possumus: quidni pariter fugeremus monstra, ab Hercule olim victa, si etiamnunc viverent? Ed.

44. *Purgatum*, purum, vs. 18.

45. *Ingratis;* id est, velimus nolimus; III, 1082. — *Insinuandum;* intrandum, obeundum. Dictionem hanc non semel adhibuit Noster; sic I, 114. Vide Disq. var.

46. *Quantæ.* I. e. quot; nam malim equidem de *numero* curarum, quam de *magnitudine*, accipere: redeas ad III, 1064. *Wak.* — *Cupedinis*, cupiditatis. Sic I, 1081; IV, 1086; et VI, 25.

48. *Quidve... quantas.* Hujus locutionis rationem nemo interpretum red-

Digitized by Google

Efficiunt cladeis? quid luxus, desidiæque?
Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis, nonne decebit,
Hunc hominem numero Divom dignarier esse?
Quom bene præsertim multa ac divinitus ipsis
Immortalibu' de Divis dare dicta suerit,
Atque omnem rerum naturam pandere dictis.
Quojus ego ingressus vestigia, dum rationes
Persequor ac doceo dictis, quo quæque creata
Fœdere sint, in eo quam sit durare necessum,
Nec validas valeant ævi rescindere leges.

didit, neque ipse quomodo expediam habeo. An dictum est *quid* ut in transitionibus sæpe pro *præterea, jam vero?* Ita ut non multum abludat istud Ciceronis, De Nat. D. II, 51: « *quid* loquar, *quanta* ratio in bestiis appareat? » Ed.

51. *Non armis.* Non ferro, ut Hercules; sed eloquentia, ut Epicurus.

52. *Hunc hominem.* De quo vs. 8.

54. *Immortalibus.* Wak. legit, *ipsis, Jam mortalibus, e divis*, id est, dare mortalibus multa dicta, et divinitus dicta, e divis ipsis, de more, ad normam ipsorum deorum. — Lambini judicium sequi debui rescribentis, *immortalibu' de. Ipsis* enim, quod a prima sequentis vs. voce ita divelli nequit, ut ad v. *divis* referatur, certissimam hanc emendandi loci viam monstrat. *Orell.*

55. *Pandere.* Sic I, 127.

56. *Quojus ego ingressus*, etc. His 36 vss. sqq. proponit jam lib. huj. argumenta, quæ cum his quæ libro tertio et quarto docuit, apte connectit. Quum enim ex Epicuri doctrina disputet de rerum natura ac mortali exortu, prius hactenus de animæ et animi natura, tanquam de præcipuis ac nobilioribus rebus docuit: nunc vero de mundo, atque de mundi partibus, terra, mari, cœlo, deque rebus omnibus quæ in illis continentur, ex ordine disputaturus est. Itaque mundum de novo factum, mortalemque futurum, æque ac singulas partes, nunc probare intendit. *F.* — *Dum.* Vulgo contra codd. *nunc*, quod correctoris gustum resipit, minus attendentis constructionem loci, vel non concoquentis verbi substantivi reticentiam: quo scriptoribus purissimis nihil familiarius. *Wak.*

57. *Persequor ac doceo.* Wakef. distinguit *persequor; ac doceo;* et sic videtur jungere *ingressus sum, et doceo;* quod mihi multo minus placet. Nolim itaque *rationes persequor* absolute dictum, sed potius cum τῷ *doceo* ita referrem ad sequentia: quem ego sequor ducem, dum pergo rationes evolvere quibus demonstrem quam necesse sit res cunctas permanere in eo fœdere quo, etc. Ed.

59. *Nec valeant;* id est, et non valere, etc. Male quidam putant hæc verba pendere a *doceo;* referenda enim sunt ad *necessum est*, mutata statim constructione; quod apud nostrum sæpius occurrit; cf. v. 62. Ed.—*Rescindere leges;* si ultra spatium a natura constitutum durent.—*Rescindere;* i. e. *de novo scindere;* notis priorum legum derasis scilicet, ac tabulis, quibus erant incisæ, dedolatis; ut aliæ leges insculpantur: Horatius, Art. poet. 399: « leges inci-

Digitized by Google

Quo genere in primis animi natura reperta est,
Nativo primum consistere corpore creta;
Nec posse incolumem magnum durare per ævom:
Sed simulacra solere in somnis fallere mentem,
Cernere quom videamur eum, quem vita reliquit.
Quod superest, nunc huc rationis detulit ordo,
Ut mihi mortali consistere corpore mundum,
Nativumque simul, ratio reddunda sit, esse;
Et, quibus ille modis congressus materiai
Fundarit terram, cœlum, mare, sidera, solem,
Lunaique globum: tum, quæ tellure animantes
Exstiterint; et, quæ nullo sint tempore natæ:
Quove modo genus humanum variante loquela
Cœperit inter se vesci per nomina rerum:
Et, quibus ille modis Divom metus insinuarit
Pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur
Fana, lacus, lucos, aras, simulacraque Divom.
Præterea, solis cursus lunæque meatus

dere ligno ». Ex hac nimirum vetustissimorum hominum consuetudine poetæ locutio translata est. *Wak.*

60. *Reperta.* Nempe lib. III, in quo *nativas* ideoque mortales animas esse docuit.

62. *Nec posse incolumem,* etc. Sic III, 605. — Editores de suo, *incolumis;* ut structuram sermonis profecto unam et simplicem servarent. Sed scriptores antiqui non sunt ad libitum nostris de regulis reformandi. Suppleas nempe decet *repertum est*, vice *reperta est*; ut stet constructio: quemadmodum in libris veterum, atque potissimum in Lucretio, passim variari solet. Vide Brunckium de re simili disputantem, et quos laudat criticus exactissimus, ad Soph. Elect. 435. *Wak.*

63. *Simulacra*, rerum imagines, de quibus lib. IV, 35 sqq.

68. *Congressus materiai.* Cœtus atomorum, concilium primorum corporum. Cf. Virg. Æn. VI, 724 sqq.

71. *Exstiterint;* exortæ sint de terra. —*Nullo tempore natæ;* nunquam exstiterint; vs. 876, 891; IV, 734, 741, etc.

72. *Variante;* non uniformi, ut ἀλόγων brutorum, sed articulatim distincta. *Wak.*

73. *Vesci.* I. e. vivere, vel vitam colere, initis societatibus: secundario sensu dictionis, quum vita nimirum *cibis vescendis* propagetur. Vide sis Nonium, IV, 478. *Wak.*

74. *Insinuarit pectora;* cf. I, 117, 410; III, 484.

75. *Qui in;* vs. 7; IV, 1057.

76. *Lacus.* Fayus interpretatur *ædes*, quia lacus interdum accipitur pro trabe. Quidni hic fontes sacros intelligamus? Ed.

Digitized by Google

Expediam qua vi flectat Natura gubernans:
Ne forte hæc inter cœlum terramque reamur
Libera sponte sua cursus lustrare perenneis,
Morigera ad fruges augendas atque animanteis:
Neve aliqua Divom volvi ratione putemus.
Nam bene quei didicere Deos securum agere ævom,
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri possint, præsertim rebus in ollis,
Quæ supra caput ætheriis cernuntur in oris;
Rursus in antiquas referuntur religiones,
Et dominos acreis adsciscunt, omnia posse
Quos miserei credunt: ignarei, quid queat esse,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.
  Quod superest, ne te in promissis plura moremur,
Principio maria, ac terras, cœlumque tuere:
Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Treis species tam dissimileis, tria talia texta,
Una dies dabit exitio; multosque per annos
Sustentata, ruet moles et machina mundi.

78. *Flectat.* Figurata oratio, ab aurigationis arte derivata. *Wak.*

79. *Hæc.* Lamb. bene; supple solem et lunam. Alii, *hic.*

80. *Sponte sua*, etc. H. e. ad libitum spatiari, moveri: Horat. Epist. I, 12, 17. — *Perenneis.* In hac dictione vertitur argumenti totius cardo: videas infra, vs. 96. *Wak.*

81. *Morigera,* obsequentia, sese accommodantia, apta.

83. *Nam bene,* etc. Hi 9 vss. iterantur VI, 58, et sqq. Cf. I, 57, et sqq. et II, 646 et sqq. — *Didicere.* Horat. Nostri memor, Sat. I, 5, 101: « Namque Deos didici securum agere ævum ».

85. *Geri*, fieri, administrari, ut al.

88. *Dominos acreis.* Superbos ac severos Deos, quos miseri metuant, atque ignari rerum adorent tanquam rerum auctores; II, 1091.

90. *Quid nequeat*, etc. Hi 2 vss. positi sunt supra I, 77.

92. *Quod superest*, etc. His 6 vss. jamjam conserit manus Poeta, jubetque Memmium observare inprimis terras, cœlum, ac mare; quæ dies una integro dabit exitio. Itaque ab h. vs. 92 ad vs. 418 disputaturus est acriter Poeta de mundi primo exortu, et ejusdem futuro interitu. *F.*

96. *Dabit exitio.* Sic infra vs. 998. Cf. II, 1145.

97. *Moles et machina mundi.* Hæc per hendyaden dicta sunt, pro *moles machinæ mundanæ.* Wak.

Digitized by Google

Nec me animi fallit, quam res nova miraque menti
Accidat, exitium cœli terræque futurum;
Et quam difficile id mihi sit pervincere dictis:
Ut fit, ubi insolitam rem apportes auribus ante,
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,
Nec jacere indu manus; via qua munita fidei
Proxuma fert humanum in pectus templaque mentis.
Sed tamen effabor: dicteis dabit ipsa fidem res
Forsitan; et graviter, terrarum motibus ortis,
Omnia conquassari in parvo tempore cernes:
Quod procul a nobis flectat Fortuna gubernans;
Et ratio potius quam res persuadeat ipsa,
Succidere horrisono posse omnia victa fragore.
Qua prius aggrediar quam de re fundere fata

98. *Nec me animi fallit*, etc. His 13 vss. interim fatetur hoc dogma de mundi interitu mirum videri; diffiditque, præ novitate doctrinæ hujus, se fidem apud auditores inventurum, quum rem experimento comprobare non valeat; quamquam, inquit, res ipsa forsan dabit fidem, ac totum mundum brevi tempore conquassari cernemus. *F.—Animi fallit.* Sic I, 921.

101. *Ante;* antea, hactenus ignotam.

102. *Visu.* Visui, h. e. oculis. Sic Terent. in Adelph.: « vestitu nimio indulges ».—Æmulatur hic Lucretius eximium locum Empedoclis de *Deo*, apud Clem. Alex. Strom. V, 12. *Wak.*

103. *Nec jacere indu manus.* H. e. nec manibus tractandam dare. — *Qua,* per quos sensus, *via fidei,* ad fidem nos ducens, *munita,* bene strata ac facilis, proxime et celeriter attingit pectus humanum: id est, qua fides cito in mentem nostram venit. Ea enim sensibus præsertim fundata est, ut docet Noster, I, 424. Cave cum Fayo interpreteris: per quas partes via maxime propinqua in cor hominum transfert *munita fidei,* id est, munitam et firmam fidem. Hic enim *ferre* dictum est ut apud Virg. Æn. VI, 295: « *via* quæ *fert* Acherontis ad undas ». Ed. — *Templa;* I, 738.

107. *Conquassari motibus terrarum,* efficacem habemus atque nervosam orationem. Cic. De divin. I, 43: « Quum ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuliaque maxumis *terræ motibus conquassata* esset ». Dubito tamen, an hæc non sit in Lucretio rectior ac venustior consecutio verborum: « Et, in parvo tempore, cernes omnia terrarum graviter, motibus ortis, conquassari ». *W.* — Sed latinitas ipsa et totius loci ratio hoc postulat: « et omnia conquassari, ortis terrarum motibus ». *Orell.*

110. *Horrisono fragore.* Terribili sono fragminum vel ruinarum. *Wak.*

111. *Qua prius aggrediar,* etc. His 12 vss. priusquam aggrediatur Poeta *fundere fata* de mundi interitu, h. e. certis rationibus evincere ac persuadere mundum interiturum, monet Memmium suum atque auditorem omnem se vereri, ne arbitrati corpore divino constare cœlum, terram, mare, solem, ac sidera, etc.

Digitized by Google

Sanctius, et multo certa ratione magis, quam
Pythia, quæ tripode e Phœbi lauroque profatur;
Multa tibi expediam doctis solatia dictis:
Religione refrenatus ne forte rearis,
Terras, et solem, cœlum, mare, sidera, lunam,
Corpore divino, debere æterna meare:
Proptereaque putes, ritu par esse Gigantum
Pendere eos pœnas immani pro scelere omneis,
Quei ratione sua disturbent mœnia mundi,
Præclarumque velint cœli restinguere solem,
Immortalia mortali sermone notantes:
Quæ procul usque adeo divino ab numine distent,
Inque Deum numero quæ sint indigna videri;
Notitiam potius præbere ut posse putentur,

ejusdem illum faciant criminis reum, cujus olim gigantes rei, pœnas pro immani scelere luerunt. *F.*

112. *Sanctius et multo*, etc. Hi 2 vss. positi sunt I, 739.

113. *Lauroque.* I. e. sacello, ramis laureis præstructo, ne curiosi consultores introspicerent. *Wak.*

115. *Religione refrenatus.* H. e. superstitione et inani Deorum metu repressus. *Lamb.*

117. *Corpore divino ... æterna.* H. e. æterna ac immortalia esse æque ac Deos: vs. 122. — *Meare:* sic omnes libri veteres; pro qua dictione vulgus editorum posuit, audacissime et inscitissime, *manere:* veriti scilicet, ne verbum *meare* unicuique nomini præcedentium minus accurate conveuiret. Quam indocte! vide notam superius ad vs. 62. *W.*

118. *Proptereaque putes,* etc. H. e. Et idcirco putes æquum esse eos omnes dare pœnas pro sua impietate, ut gigantes impios. *Lamb.*

120. *Ratione sua.* I. e. qui similiter suis philosophiæ institutis aggrediuntur cœlum, atque fabulosi quondam gigantes immanitate virium vexabant. *Wak.* — *Mœnia mundi.* Sic I, 74, 1095.

121. *Restinguere.* Eleganter. Sol enim ignis creditur.

122. *Mortali sermone.* Singularis est dictio pro: sermone qui ea mortalia esse asserit, dum revera immortalia sint; vel, mortalium nomine notantes, id est, mortalium numero adscribentes immortalia.

123. *Quæ procul usque adeo*, etc. His 24 vss. seqq. nihilominus ait tantum abesse, ut, quæ de interitu mundi futuro docet, ea Deorum numinibus ac Diis immortalibus aliquid detrahant, ut eorum dignitatem ac naturæ præstantiam tueantur; quum inde notitiam habeamus quid corpore divino præditum sit, quid vero non sit. *F.* — *Distent.* Ut ratio conjunctivi reddatur, junge hæc cum præcedd. *expediam ... ne forte rearis....* dum contra *distent a numine usque adeo ut potius*, etc. Ed.

124. *Quæ sint.* Lambinus, planiorem sane orationem requirens, volebat *sic sint;* sed vulgares editi protulere *sic sunt;* pessime. Ed.

Digitized by Google

Quid sit vitali motu sensuque remotum.
  Quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
Posse animi natura putetur consiliumque:
Sicut in æthere non arbor, non æquore salso
Nubes esse queunt, neque pisces vivere in arvis;
Nec cruor in lignis, neque saxeis sucus inesse:
Certum ac dispositum est, ubi quidquid crescat, et insit:
Sic animi natura nequit sine corpore oriri
Sola, neque a nervis et sanguine longius esse.
Quod si posset enim, multo prius ipsa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus esse
Posset, et innasci quavis in parte soleret,
Quamde in eodem homine atque in eodem vase manere.
Quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
Dispositumque videtur, ubi esse et crescere possit
Seorsum anima atque animus; tanto magis inficiandum,
Totum posse extra corpus, formamque animalem,
Putribus in glebis terrarum, aut solis in igni,
Aut in aqua durare, aut altis ætheris oris.
Haud igitur constant divino prædita sensu,
Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.
  Illud item non est ut possis credere, sedes

126. ***Remotum***, destitutum, expers. Sunt enim inertia plane corpora et insensilia. *Creech.*

128. ***Animi natura.*** Anima. Sic enim III, 422 et seqq. monet se hoc utrumque vocabulum, animam et animum, promiscue interdum usurpare. — ***Consiliumque***, ut III, 95 et 615.

129. ***Sicut in æthere,*** etc. Hi 13 vss. seqq. supra positi sunt III, 786. Consule ibi annotata.

131. ***Saxeis.*** Sic cum Forbigero edidi etiam III, 787, ita ut, variata oratione, tertius statim post sextum casus adhibeatur. Parum tamen abest quin pœniteat, quum animadverto supra jam vs. 129 *æquore* sine præpositione positum, quam hic quoque repetere nullo modo opus erat. Ed.

138. ***Quamde.*** Vulgo *tandem*; redi ad III, 794.

142. ***Totum.*** H. e. utrumque, nempe animam et animum.

143. ***Putribus***, nimirum *friabilibus*, vel se facile resolventibus; Virg. Georg. I, 44. *Wak.*

145. ***Constant.*** Suppl. cœlum, terra, mare, sol, luna, sidera, etc.

147. ***Illud item non est,*** etc. His 10 vss. monet etiam ac docet interim Lu-

Digitized by Google

Esse Deum sanctas in mundi partibus ullis:
Tenuis enim natura Deum, longeque remota
Sensibus ab nostris, animi vix mente videtur.
Quæ quoniam manuum tactum suffugit et ictum,
Tactile nil nobis quod sit, contingere debet:
Tangere enim non quit, si tangi non licet ipsum.
Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
Dissimiles debent; tenues, de corpore eorum.
Quæ tibi posterius largo sermone probabo.
  Dicere porro, hominum causa voluisse parare
Præclaram mundi naturam, propterea que
Allaudabile opus Divom laudare decere,
Æternumque putare atque immortale futurum;
Nec fas esse, Deum quod sit ratione vetusta
Gentibus humaneis fundatum perpetuo ævo,

cretius adversus Homerum, Aristotelem, ac vulgus philosophorum et ceterorum hominum, qui cœlum Deorum esse domicilium consentiunt, nullam mundi partem aut esse aut posse esse Deorum sedem. *F.*

150. *Animi vix mente.* H. e. vix cogitatione et intelligentia comprehenditur. Sic III, 615; IV, 760.

151. *Suffugit.* I. e. « *semper* in seculis præteritis *elusit*, atque *nunc* etiam *eludit* »: quæ vis est germanissima hujusce temporis sic adhibiti. *Wak.* — Sic Virg. Æn. II, 12: *horret luctuque refugit.* Ed.

152. *Tactile nil*, etc. Junge *nil contingere debet quod nobis tactile sit.*

154. *Etiam quoque;* sic III, 293; V, 603; VI, 503.

155. *De corpore.* I. e. *pro* corpore, *ad rationem* atque proportionem corporis; quæ potestas est voculæ perquam usitata. Lambinus igitur ne audiendus quidem est, substituere volens *pro*, libris adversantibus. *Wak.*

156. *Posterius largo sermone probabo.* Vide, an fidem liberavit. *Bentl.* — Certe, vel propositum poetæ nunquam adimpletum est, vel, quæ de natura deorum domiciliisque scripserit, injuria temporis periere. *Wak.*

157. *Dicere porro, hominum*, etc. His 35 vss. totus in id incumbit Poeta, ut mundum hunc hominum causa non fuisse a Diis paratum persuadeat. Unde non sit, cur quisquam mortalis, quasi memor tanti beneficii a Diis accepti, tantum laudet opus, æternumque putet, ac futurum immortale. *F.* — Lactantius VII, 3, hunc locum ventilat. *Wak.*

159. *Allaudabile.* Sic Plaut. Pers. IV, 5, 1, *operam adlaudabilem.* Et animadverte bellulum lusum λεγικὸν poetæ, *allaudabile laudare* scilicet: a quo non abhorret Nævianum illud, semel atque iterum Cicerone memoratum, « *Laudari* a *laudato* viro ». Has autem delicias Lucretii sæpiuscule notavimus. *Wak.*

162. *Perp. ævo.* I. e. ex utraque parte

Digitized by Google

Sollicitare suis ulla vi ex sedibus unquam,
Nec verbis vexare, et ab imo evortere summa:
Cetera de genere hoc affingere et addere, Memmi,
Desipere est; quid enim immortalibus atque beateis
Gratia nostra queat largirier emolumenti,
Ut nostra quidquam causa gerere aggrediantur?
Quidve novi potuit tanto post, ante quietos,
Illicere, ut cuperent vitam mutare priorem?
Nam gaudere novis rebus debere videtur,
Quoi veteres obsunt: sed, quoi nihil accidit ægri
Tempore in anteacto, quom pulchre degeret ævom,
Quid potuit novitatis amorem accendere tali?
An, credo, in tenebris vita ac mœrore jacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?
Quidve mali fuerat nobis non esse createis?
Natus enim debet, quiquomque est, velle manere
In vita, donec retinebit blanda voluptas:
Qui nunquam vero vitæ gustavit amorem,

non interrupto, sed ad infinitam longitudinem quaquaversum continuato. *Wak.*

163. *Sollicitare*, quasi, solo citare, inquit Festus: h. e. e loco suo movere, aut labefactare. *Lamb.*

164. *Summa*, id est, *in summa*, uti plenius noster formulam extulit superius, ad III, 84, i. e. *tandem*, *denique;* « ut omnia uno verbo breviter comprehendam ». *Wak.* — Mihi parum placet ista interpretatio: et cum Orellio et Forb. *summa* neutrum plurale esse arbitror; id est, summitates mundi ab imo evertere? An legendum cum vulgatis edd. *summam* τὸ πᾶν, universum? an corrigendum cum Lamb. *fundo;* cum Bentl. *pessum?* Libris sane melius est obtemperare. Ed.

169. *Quidve novi potuit*, etc. Præclare Cicero De Nat. Deor. I, 9 eamdem rationem prosequitur.

171. *Novis rebus*, mutatione conditionis.

173. *Pulchre;* quum bene et beate viveret.

174. *Tali;* illi qui talis est, qui ista conditionis felicitate fruitur. Ed.

175. *An, credo, in tenebris.* An scilicet Deorum vita jacebat in tenebris, donec mundus creatus est? *Lamb.*

176. *Diluxit.* Elegantissimam perraramque dictionem et Horatius adhibuit similiter, in Epist. I, 4, 13: « Omnem crede diem tibi *diluxisse* supremum »: i. e. crede *diluculum* cujusvis diei tibi supremum oboriri ». *Wak.*

177. *Createis.* In dativo casu, bene. Quamquam non ea semper constructio servatur; ut infra vs. 181. — De græcismo illo vix opus est ut dicam. Plura exempla contulit Ruddim. Inst. Gr. II, p. 15 sq. not. 40. *Forb.*

Digitized by Google

Nec fuit in numero; quid obest non esse creatum?
Exemplum porro gignundis rebus, et ipsa
Notities hominum Diis unde est insita primum,
Quid vellent facere, ut scirent animoque viderent?
Quove modo est unquam vis cognita principiorum,
Quidque inter sese permutato ordine possent,
Si non ipsa dedit specimen Natura creandi?
Namque ita multimodis multis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,
Quæquomque inter se possint congressa creare;
Ut non sit mirum si in taleis disposituras
Deciderunt quoque, et in taleis venere meatus,
Qualibus hæc rerum geritur nunc summa novando.

181. *In numero*, scil. viventium; sed magis absolute, quam si ejusmodi quid adjecisset, ut fere Græci ἐν ἀριθμῷ εἶναι. *Orell.*

182. *Exemplum.* Exemplare, quod scilicet Dii sequerentur in creandis rebus. — Tota omnium rerum notities a simulacris rerum incurrentibus derivatur; Dii etiam nihil inconsiderate faciunt; quidquid agere constituunt illud prævident: at nullæ imagines rerum in mentem divinam cadere potuerunt, quum res ipsæ nondum exstiterint; ideo inepte aliquis dicat Deos cœlum, terram, animalia, omnia creasse. *Creech.*

188. *Namque ita multimodis*, etc. Scilicet argumentatur Lucretius ex principiis suis, quæ supra posuit lib. I et II. Docuit enim quum Deos, tum homines æque ex atomis fieri, ac ceteras res creatas. Qui vero, inquit, vis atomorum perspecta fuisset Diis, antequam illæ ad novas generationes convenirent? Vult enim mutuam atomorum occursationem atque indefessam pugnam ex infinito tempore præcessisse earum concilium atque cœtum. Hæ vero, quum suopte nisu tantum percutiant ac resiliant, atque in varias inde generationes ferantur, non poterant præmittere sui exemplar in mente Deorum opificum, antequam in res ipsas novas creatas convenissent. Undenam ergo Dii rerum creandarum notitiam habuerint? *F.* — Hi versus repetuntur infra, 423 sqq.

190. *Consuerunt.* Bentl. volebat *consuerant*, non probante Wak. quia significat altera lectio non solum in seculis præteritis hoc modo res administratas esse, sed hodieque sic administrari; v. 151.

191. *Omnia pertentare.* I. e. de maxime proprio verbi sensu, *experimentis omnigenis abuti.* Wak.

194. *Deciderunt.* Penultima brevis. Sic vs. 416, *constiterunt.*

195. *Qualibus*, etc. Locum similem invenies ad I, 1027.—*Geritur*, I, 130, 443, et passim. — *Novando.* Lambinus vult suppleri: ea, quæ jam ætate et ævo confecta sunt. Sed perperam; *novando*

Digitized by Google

Quod si jam rerum ignorem primordia quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis cœli rationibus ausim
Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis;
Nequaquam nobis divinitus esse paratam
Naturam rerum; tanta stat prædita culpa!
Principio, quantum cœli tegit impetus ingens,
Inde avidam partem montes sylvæque ferarum
Possedere; tenent rupes vastæque paludes
Et mare, quod late terrarum distinet oras.
Inde duas porro prope parteis fervidus ardor
Assiduusque geli casus mortalibus aufert.

enim hic vim habet passivam *dum nosatur;* cf. I, 313. Ed.

196. *Quod si jam rerum*, etc. Hi 5 vss. jam positi sunt II, 177. Monet autem iis quinque versibus, suppressa etiam atomorum cognitione atque natura, facile probari posse ex ipsâ cœli ratione, atque ex aliis etiam rebus imperfectis et incommodis, quæ in mundo sunt, mundum hunc divinitus, hoc est, a Deo, non fuisse creatum in hominum gratiam. *F.*

200. *Naturam rerum.* Hunc mundum. — *Tanta stat prædita culpa.* Adeo multa sunt in mundo hoc peccata, incommoda; et quæ non recte neque ordine facta sunt. *F.* — Cf. II, 181.

201. *Principio, quantum,* etc. His 6 vss. continetur primum argumentum, quo probat maximam terrarum partem hominibus esse inutilem. *F.* — *Quantum.* H. e. eam mundi partem, quam cœlum tegit; i. e. terrarum orbem, qui partim terra est habitabilis; partim inhabitabilis, propter calorem et frigus; partim mare; partim lacus ac paludes. *F.* — *Impetus ingens.* Illustravimus non paucis exquisitissimam locutionem ad IV, 417. Neque aliter Cicero, qui Lambinum non latuit, Nat. Deor. II, 38, in loco vere frugifero, nobilique: « Quum autem *impetum cœli* cum admirabili celeritate moveri vertique videamus, etc. » *Wak.*

202. *Avidam.* « Quasi scilicet montes, sua portione parum contenti, omnia *rapere* vellent, et haurire »: i. e. facili sensus flexione, et per schema impendio venustum, nec ingenio elegantissimo non dignum, « *magnam* partem »: conferas inferius vs. 471. *Wak.* — Vide not. ad I, 1030.

203. *Vastæque paludes.* Inanes, vacuæ, ἀτρύγετοι, *infructuosæ* denique. *Wak.* — Ego malim intelligere paludes magnas, immensas; ob sequens *late,* cum quo congruere videtur. Ed.

204. *Distinet.* Sic Horat. Od. I, 3, 22 vocat Oceanum *dissociabilem.*

205. *Duas parteis ardor aufert.* Colorem Lucretiani sermonis Plinius æmulatus est, Nat. Hist. II, 68: « Ita *terræ tres partes abstulit cœlum:* oceani *rapina* in incerto est ». Et vocabulo Pliniano *rapina* multum illustratur nostra in vs. 202 expositio dictionis *avidam. W.*

206. *Geli.* Hujusce formæ, *gelus,* vel *gelum, geli,* meminit Nonius Marcellus, III, 104; VIII, 26, exempla ex Afranio, Accio, Catone, Lucretio, et Varrone, proferens; nec non Priscianus, lib. V, p. 658. *W.* — *Geli casus,* videtur pro *nivis* posuisse in hoc versu τὸ *geli*

Digitized by Google

Quod superest arvi, tamen id natura sua vi
Sentibus obducat, ni vis humana resistat,
Vitai causa, valido consueta bidenti
Ingemere, et terram pressis proscindere aratris:
Si non, fecundas vortentes vomere glebas,
Terraique solum subigentes, cimus ad ortus;
Sponte sua nequeant liquidas exsistere in auras.
Et tamen, interdum magno quæsita labore,
Quom jam per terras frondent atque omnia florent,
Aut nimiis torret fervoribus ætherius sol,
Aut subitei perimunt imbres gelidæque pruinæ,
Flabraque ventorum violento turbine vexant.
Præterea, genus horriferum Natura ferarum,

noster: quasi nimirum per zonam glacialem *nives* indesinenter caderent. *W.*

207. *Quod superest arvi*, etc. His 7 vss. continetur alterum argumentum, nimirum, quod ex residua terrarum, quæ colitur, parte, non nisi magno cum labore hominum colentium eam aratris et bidentibus fructus ægre proveniant. *F.*

208. *Resistat.* Nempe, arando, colendo, pastinando, fodiendo, etc.

209. *Vitai*, id est, victus, βίου. — *Bidenti ingemere, et pressis*, etc. Sic Virg. Georg. I, 45, *depresso aratro ingemere.*

211. *Si non fecundas*, etc. Hi 2 vss. positi sunt I, 212.

212. *Cimus ad ortus.* Non oriuntur quidem *glebæ*, sed *fruges;* quæ vox jam quasi præcessit in τῷ *fecundas*, et hic unice intelligenda est, ut in versu sequenti. Male igitur interpretes *ortus* sensu activo accipiunt: « provocamus glebas ad pariendum, ad exserendam vim producendis frugibus aptam ». Nam si *glebas* hic proprie dictas volunt, nullo pacto congruet vs. 213. Orellius igitur ad τὸ *cimus* supplet *fruges, germina*, « quod omittere poterat, quia nulla omnino ambiguitas ex objecti omissione oriebatur ». Wak. aliquid excidisse suspicabatur, sine causa. Ed.

214. *Et tamen, interdum*, etc. His 5 vss. continetur tertium argumentum, nimirum, quod etiam fructibus speratis ex labore et cultu duro terrarum, sæpe tamen frustremur per varios casus. *F.* — Cf. Virg. Georg. I, 118 sqq.

216. *Ætherius sol.* I. e. *meridianus*, ut qui *arces ætherias* jam conscenderit: compares Virg. Georg. IV, 426 et ibid. III, 154. Τὸ *nimiis fervoribus* Lucretii, quod explicant adjunctæ voces *sol ætherius*, necesse habuit Mantuanus specialiter nominare *mediis fervoribus*. Wak. — Vide autem notata ad III, 1057.

217. *Subiti imbres.* I. e. subeuntes, præter spem obvenientes; adeas dicta nobis in II, 363. *Wak.*

218. *Vexant;* evellunt, lacerant; VI, 430.

219. *Præterea, genus horriferum*, etc. His 4 vss. continetur quartum argumentum, nempe, quod noxia animalia terra marique crescant et alantur; quod morbos anni tempestates afferant; quod mors immatura rapiat homines. *F.*

Digitized by Google

Humanæ genti infestum, terraque marique
Quur alit atque auget? quur anni tempora morbos
Apportant? quare Mors immatura vagatur?
Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitali auxilio, quom primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profudit:
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,
Quoi tantum in vita restet transire malorum.
At variæ crescunt pecudes, armenta feræque:
Nec crepitacillis opus est, nec quoiquam adhibenda est
Almæ nutricis blanda atque infracta loquela;
Nec varias quærunt vesteis pro tempore cœli:
Denique, non armis opus est, non mœnibus altis,
Quei sua tutentur; quando omnibus omnia large

221. *Anni tempora*, i. e. *tempestates* quæpiam, ut *autumni* puta: vide II, 32, 33. *Wak.*

222. *Immatura*, nos ante diem rapiens.

223. *Tum porro puer*, etc. His 13 vss. continetur quintum argumentum. Si Dii mundum fecissent, melior foret hominum, quam aliorum animalium conditio; at longe deterior, et, si rem ipsam attendas, brutis parens videtur natura, hominibus noverca. *Creech.*

224. *Puer infans*. I. e. ut Horatii verbis utar, Od. IV, 6, 18, *nescius fari puer*. Wak. — *Indigus auxilio*. Notanda est constructio vocis *indigus* cum ablativo, cujus aliud exemplum non habeo afferendum; nam in Apul. Met. IX, p. 615 Oud. lectio variat. *Forb.*

225. *Vitali*. Lamb. e Mureti conj. *Vitai*. Sed vox *vitalis*, id est, vitam largiens, juvans, in deliciis est Lucretio; cf. II, 576, 890, 948, 955, etc. *Forb.*

227. *Vagituque locum*, etc. Sic præclare Plin. lib. VII init. de imbecillitate naturæ humanæ: « Hominem tantum nudum, et in nuda humo natali die abjicit ad vagitus statim et ploratus, nullumque tot animalium pronius ad lacrymas, atque has protinus vitæ principio, etc. » *Lamb.*

228. *Cui tantum in vita restet transire malorum*. Pulcherrimam profecto per metaphoram, a conditione *viatorum* derivatam, mortales peregrinantes errantesque in vita noster παθητικῶς et ornate significavit. *Wak.*

230. *Crepitacillis*. De crepitaculo (*un hochet*), Martialis, Epigr. XIV, 59.

231. *Almæ*; quæ mammis alit; I, 2. — *Infracta loquela*: se nimirum ad infantilis linguæ mensuram demittens. De hoc pervagato satis dicendi genere non opus est illis addere, quæ doctissimus Heinsius cumulate contulit ad Claudian. in Eutrop. I, 262. *Wak.*

234. *Quei sua tutentur*. I. e. quasi sint ii animantes, quibus corpora et habitacula sint vestibus armisque defendenda: quo nihil elegantius aut exquisitius offendi. *Wak.* — Vulgo *queis*. Sed rectum est *qui*, ut ambiguitatis vitandæ causa scripsi. *Orell.*

Tellus ipsa parit Naturaque dædala rerum.
  Principio, quoniam terrai corpus et humor
Aurarumque leves animæ calideique vapores,
E quibus hæc rerum consistere summa videtur,
Omnia nativo ac mortali corpore constant;
Debet eadem omnis mundi natura putari.
Quippe etenim, quorum parteis et membra videmus
Corpore nativo in mortalibus esse figuris,
Hæc eadem ferme mortalia cernimus esse,
Et nativa simul : quapropter maxuma mundi
Quom videam membra ac parteis consumta regigni;
Scire licet, cœli quoque idem terræque fuisse
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.
  Illud in his rebus ne corripuisse rearis,

235. *Naturaque dædala rerum.* De constructione verborum, quam Wak. ambiguam dicit, prorsus non sum dubius, quum non solum ipsa verborum collocatio, sed etiam loci IV, 551, et II, 505, aperte demonstrent *rerum* non cum *natura*, sed cum *dædala* esse construendum. *Forb.*

236. *Principio, quoniam*, etc. His 12 vss. jam monet se demonstraturum mundum neque esse æternum neque immortalem; sed nativum et mortalem. Cujus enim partes nativæ sunt et mortales, illud et nativum ac mortale sit necesse est. *F.*

237. *Aurarum animæ;* redeas ad I, 716. Similiter Horatius, Od. IV, 12, 2 : « Impellunt *animæ* lintea Thraciæ ». *Wak.*

238. *E quibus*, etc. Sunt enim quatuor elementa, quæ Manilius I, 138, vocat *Quatuor mundi artus*. Et ipse Lucretius infra vs. 245.

240. *Eadem.* I. e. « Omnis natura mundi debet eadem *via* putari *nativa et mortalis* : » quibus nihil luculentius, aut quod orationem Lucretianam penitius resipiat; redeas ad II, 854 (not.). *Wak.*

242. *Mortalibus figuris.* Mortalibus principiis, seu atomorum contexturis.

243. *Ferme,* quod exprimit formulam Græcorum σχεδὸν, vim habet ab *universali* propositione quadam *generalem* tantummodo distinguendi : et arbitrer poetam sic caute loqui, ac restricte, quia sunt corpora, quæ nasci videmus et in lucem protrahi, quorum interitus nos lateat; et alia vicissim interire novimus, quorum exortus non simus conscii. *W.*

246. *Idem;* simile, non aliud. Bentleius non male corrigit *item*, quod in textum admisit Wak. Equidem hos sequi cum Forbigero nolui, quum contra stet omnium exemplarium fides, neque vulgata defendi non possit. Ed. — *Cœli terræque*, utpote quibus corpora sunt, ex *membris* variis constantia. *Wak.*

247. *Principiale tempus.* H. e. tempus, quo principium et originem habuerint : sic II, 423. *Lamb.*

248. *Illud in his rebus,* etc. His 4 vss. monet mirum videri non debere si assumserit ac dixerit terram, aquam, aera, et ignem esse nativa et mortalia.

Digitized by Google

Memmi, quod terram atque ignem mortalia sumsi
Esse; neque humorem dubitavi aurasque perire;
Atque eadem gigni, rursusque augescere dixi:
Principio, pars terraï nonnulla, perusta
Solibus assiduis, multa pulsata pedum vi,
Pulveris exhalat nebulam nubeisque volanteis,
Quas validei toto dispergunt aere ventei:
Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
Imbribus, et ripas radentia flumina rodunt.
Præterea, pro parte sua, quodquomque alid auget,
Redditur: et quoniam dubio procul esse videtur
Omniparens eadem rerum commune sepulcrum,
Ergo terra tibi libatur, et aucta recrescit.
Quod superest, humore novo mare, flumina, fonteis,

—*Corripuisse;* raptim et quasi violenter occupasse illud quod sumsi; id est, temere et inconsulto rem affirmasse, dum nulla afferrem argumenta quæ verbis fidem facerent. Ed.

251. *Rursus* ad utrumque verbum *gigni* et *augescere* referas. *Forb.* — *Rursus*, αὖ, vicissim. *Wak.*

252. *Principio, pars terrai*, etc. His 10 vss. probat 1° de terra, quod corrumpatur et renascatur. *F.*

253. *Solibus*. De plurali *soles*, qui redit VI, 1101, et 1218, conf. Rudd. Inst. Gr. I, p. 135, not. 100, et Schneid. Gr. Lat. II, p. 391. *Forb.*

254. *Exhalat nebulam*. Elegantem hanc dictionem arripuit Virg. Georg. II, 217. Ed.

256. *Ad diluviem revocatur*. Pars terræ, pluvia madefactæ, diluitur et in aquam *revocatur*, redit; quia jam sæpius antea eamdem diluviem passa est. Ed.

257. *Radentia rodunt*. Hæc dictionum cognatarum consociatio multum placuit poetæ nostro. *Wak.*

258. *Alid*, aliud. Sic I, 264, 1108; II, 983, etc.

259. *Redditur*. Sic omnes ad unum libri; i. e. *restituitur*: ut, exempli gratia, solum, quod fluvius, inde auctus, abraserat, limo deposito telluri redonatur. *Wak.* — Vulgati omnes exhibent *roditur*, quod huic loco optime convenit, ut sit etiam aliud argumentum ex ipsa terræ fecunditate desumptum: « præterea quodcumque aliquibus sui partibus aliam rem auget, id ipsum consumitur ». Sed libris standum puto. Sic igitur poeta ad alteram argumentationis partem transit, probatque terram, pro parte amissa, rursus auctam *recrescere*. Ed. — Vide in Disq. var.

260. *Omniparens*. Sic Virg. Æn. VI, 595, « Terræ omniparentis alumnum ». Sic Lucret. II, 706.

261. *Tibi*; VI, 324. — *Libatur*. Hoc est, diminuitur, deraditur. Sic alibi passim, III, 214, 716; cf. infra vs. 569. — *Aucta recrescit*. I. e. terra in hac parte additamentum nanciscitur æquale jacturæ, quam passa est in altera; atque adeo ad magnitudinem pristinam revertitur. *Wak.*

262. *Quod superest, humore*, etc.

Digitized by Google

Semper abundare, et latices manare perenneis,
Nil opus est verbis, magnus decursus aquarum
Undique declarat : sed primum, quidquid aquai
Tollitur, in summaque fit, ut nihil humor abundet;
Partim, quod validei, verrentes æquora, ventei
Deminuunt, radiisque retexens ætherius sol;
Partim, quod subter per terras diditur omneis:
Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, et ad caput amnibus omnis
Convenit; inde super terras fluit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.

His 12 vss. probat 2° de aqua, quod corrumpatur et iterum crescat. *F.*

263. *Manare.* I. e. destillare, effundere; exquisitius, ad activam virtutem verbi. Sic Horatius, Epist. I, 19, 44 : « tidis enim *manare* poetica mella Te solum ». De hac autem re perlegendæ sunt Heinsii annotationes doctissimæ, ad Ovid. Met. VI, 312. *Wak.*

264. *Opus est verbis.* I. e. τῷ *declarare* subaudito; quod ab sequentibus petendum. *Wak.*— *Decursus aquarum;* per alveos nimirum fluviales in sinum maris descendentium. Virgil. Æn. XII, 523. *Wak.* — Cf. I, 1030.

265. *Quidquid.* I. e. quiddam, aliquid, quædam portio : quemadmodum mox etiam plus semel, vss. 285, 305, 1387. *Wak.* — Lamb. vero jungit *primum quidquid,* ut vs. 305.

266. *In summa.* Wak. int. *tandem, denique,* ut breviter et summatim dicam; quemadmodum ad III, 84. Sic quoque Forb. qui tamen aliam insuper constructionem proponit : « et fit, ut *in summa,* in universo humor nihil abundet ». Possis etiam, opinor, intelligere: in tota mole aquarum. Ed.

267. *Verrentes æquora.* Sic vs. 389, ubi hi 2 vss. repetuntur; et VI, 624. Redi etiam ad I, 280.

268. *Retexens.* Penelopes veluti telam. *Haverc.* — *Radiis retexens.* I. e. vi caloris in particulas tenuissimas, e quibus constant, resolvens; et tunc absorbens. *Wak.* — *Ætherius sol.* I. e. acerrimus et flagrantissimus, utpote ad *æthera medium* evectus, vs. 216. *W.*

269. *Per terras diditur omneis :* ita ut mare sit omnium fontium ac fluviorum origo genitalis. Optime et verissime; secutus etiam poetarum principem, in Il. Φ, 195. *Wak.*

270. *Percolatur enim virus.* Virus aquarum, i. e. sal. Cf. II, 474 sqq. VI, 637 sqq.

271. *Ad caput.* Ad fontes, ex quibus oriuntur fluvii.

272. *Fluit agmine.* Virg. Æn. II, 782. — *Agmine dulci ;* ob *salem* relictum scilicet. Plinius, Nat. Hist. XXXI, 37 : « nam in terra *marina aqua,* argilla *percolata, dulcescit* ». *Wak.*

273. *Via secta.* Virg. Georg. I, 238. — Ita leviter et mobiliter fluit hic versus, ut Lucretius fluvium, per alveum suum currentem ac labentem, nostris oculis subjicere videatur. Lege, si vacas, quæ notavimus ad illum locum Horatii, Epod. XVI, 48 : « Levis crepante *lympha* desilit *pede* ». *Lamb.* — *Liquido pede.* I. e. purus humor, sine sordibus,

Digitized by Google

Aera nunc igitur dicam, quid corpore toto
Innumerabiliter privas mutatur in horas:
Semper enim, quodquomque fluit de rebus, id omne
Aeris in magnum fertur mare; qui nisi contra
Corpora retribuat rebus, recreetque fluenteis,
Omnia jam resoluta forent, et in aera vorsa.
Haud igitur cessat gigni de rebus et in res
Recidere assidue; quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis, ætherius sol,
Irrigat assidue cœlum candore recenti,
Suppeditatque novo confestim lumine lumen.
Nam primum quidquid fulgoris disperit ei,

nec alienas undas trahens: ut Q. Curtius locutus est, III, 1, 3. *Wak.*

274. *Aera nunc igitur*, etc. His 8 vss. probat 3° de aere, quod corrumpatur et iterum crescat. Quidquid enim e rebus effluit, id fertur in vastum aeris spatium. Decidunt quippe e rebus assidue corpuscula, quæ feruntur ac volitant per aera. Quæ quidem corpuscula nisi assidue redderet aer rebus, jam sane res omnes effluxisse deberent, ac periisse. Igitur res perpetuo mutantur in aera, et aer in res revertitur. *F.*— *Quid.* I. e. in quantum, καθ' ἴσον, qualiter. *Wak.*

275. *Privas in horas.* In singulas horas; singulis momentis.

277. *Aeris ... mare:* ut ἀποῤῥοιαὶ illæ veri maris, fontes scilicet, in genitale gremium referuntur; sic aeris etiam particulæ in proprium corpus recidunt. Hanc autem translationem, si in *fluido* quidem aere dici debeat translatio, prior Ennius usurpavit, apud Nonnium, III, 92. Cf. II, 151; IV, 178. *Wak.*

278. *Fluenteis.* I. e. deficientes, pereuntes; vs. 281. Virgilius, Æn. II, 169. *Wak.*

280. *Recidere;* I, 857.

282. *Largus item*, etc. His 25 vss. probat 4° eadem de igne. Quod quidem contingere docet in sole, cujus lumen prius actutum perit, et novum creatur; cujus rei fidem facit nebula interposita. Docet et id contingere in lychnis ac candelis nostris, in fulguribus cœli, in luna, in sideribus aliis; quorum omnium prima lux perit, ac nova continuo subministratur. Lumen igitur, in quo ignis est, et perit et gignitur in omnibus luminosis corporibus; atque adeo ignis ipse pereat et renascatur necesse est. *F.* — *Fons luminis;* unde nimirum scaturigines fluidæ lucis affatim emanant, et per mundum diffunduntur II, 147.— *Ætherius sol.* A vigore maximo, ut æquum est, commendatur; quum fit flagrantissimus utique, et *æstus medios* accendit: vide dicta nuper ad vs. 268. *W.*

283. *Irrigat candore.* Orationis tenor, qualis ab initio processerit, summa cum proprietate atque elegantia conservatur: videas supra, IV, 203. *Wak.*

284. *Suppeditatque novo*, etc. Sic vs. 661, et IV, 190, 376.

285. *Nam primum.* I. e. id fulgoris, quodcumque primum emittitur, et ubicumque accidat, soli disperit, ac disperditur. *Wak.*— Vide ad vs. 305. — *Ei;*

Digitized by Google

Quoquomque accidit : id licet hinc cognoscere possis,
Quod, simul ac primum nubes succedere soli
Cœpere, et radios inter quasi rumpere lucis,
Extemplo inferior pars horum disperit omnis,
Terraque inumbratur, qua nimbei quomque ferantur;
Ut noscas splendore novo res semper egere,
Et primum jactum fulgoris quemque perire;
Nec ratione alia res posse in sole videri,
Perpetuo ni suppeditet lucis caput ipsum.
Quin etiam nocturna tibi, terrestria quæ sunt,
Lumina, pendentes lychnei, claræque coruscis
Fulguribus, pingues multa fuligine tedæ,
Consimili properant ratione, ardore ministro,
Suppeditare novum lumen; tremere ignibus instant;
Instant, nec loca lux inter quasi rupta relinquit :
Usque adeo properanter ab omnibus ignibus ei

prima syllaba producta, ut mox vs. 301; cf. II, 1136; III, 555, etc.

287. *Succedere*. I. e. subter venire, in primario sensu vocabuli. Sic Virgil. Æn. IV, 10 : « Quis novus hic nostris *successit* sedibus hospes ? » *Wak.*

288. *Inter quasi rumpere ;* quasi interscindere.

289. *Pars horum*, pars radiorum quæ est infra nubes.

292. *Primum jactum fulgoris*. Sic passim vocat lucem, *tela lucis*.

293. *In sole ;* in solis luce.

294. *Suppeditet*. Absolute sumendum ; i. e. suppetat. *Lamb.* — Cf. ad I, 548, ubi adde Ruhnk. ad Rutil. Lup. II, 9, quem laudat Wak. ad I, 1039. *Forb.* — *Caput*, id est, fons : vss. 271, 282.

296. *Pendentes lychnei*. Sic Virg. Æn. I, 726 : « dependent lychni laquearibus aureis ». Cf. etiam Ennius p. 88 Hessel., ibique Columna.

297. *Fulguribus*, fulgoribus, II, 325, 332. — *Fuligine*. Libri universi, *caligine :* quæ vox, quum manifestissime sermonis indoli contradicat, semper erat mihi suspecta; et conjeceram reponendum esse, quod ausus sum reponere, quia Bentleius idem jusserit. Nobis imitatio Virgiliana, ad Ecl. VII, 50, valde suffragatur : « Hic focus, et *tedæ pingues :* hic plurimus ignis Semper, et assidua postes *fuligine* nigri ». *Wak.* — *Tedæ*, faces, lampades. Vide II, 387; et III, 1030.

298. *Ardore ministro*. Hoc consimiliter dictum est, atque *manus ministras*, IV, 831. *Wak.*

299. *Suppeditare*, præbere, subministrare. — *Tremere ignibus*. I. e. micare, coruscare, quasi jacularentur lucem; quod sine *tremoribus* non fit : adeas I, 1088; IV, 405. *Wak.*

300. *Instant*. Hujusce repetitionis, quam tetigimus ad III, 13 et alibi, specimen perpulchrum Homerus exhibet, in Il. Y, 371, et X, 127. *Wak.* — *Inter*

Digitized by Google

Exitium celeri celeratur origine flammæ.
Sic igitur solem, lunam, stellasque putandum
Ex alio atque alio lucem jactare subortu,
Et primum quidquid flammarum perdere semper;
Inviolabilia hæc ne credas forte vigere.
 Denique, non lapides quoque vinci cernis ab ævo?
Non altas turreis ruere, et putrescere saxa?
Non delubra Deum simulacraque fessa fatisci?
Nec sanctum numen fati protollere fineis
Posse, neque advorsus naturæ fœdera niti?
 Denique, non monimenta virum dilapsa videmus?
Quærere proporro sibi quomque senescere credas.

quasi rupta, quasi interrupta; vs. 288. —Id est, tremulos radios jugiter emittant, et continuata luce sedes illustrantur. *Creech*.

302. *Celeri celeratur*. Vulgo *toleratur*. Librarius sane illepidus, et exquisitissimas Lucretiani sermonis veneres ne primoribus quidem labris tenus sentiens, sua sponte corrupit locum, verbis signatissimis, et opere maximo selectis, concinnatum. Translatio est, ut putem, ex hominum multitudine, se violenter protrudentium, et celeriter in transitu succedentium. Horatius, Ep. II, 2, 176. *Wak*. — Tanta celeritate lucem illam, tunc temporis effulgentem, evanescere cogunt continuo subnascentes ex omnibus tædis flammæ. Ed.

304. *Subortu*. Sic legendum uno vocabulo a verbo *suborior*, quod est, in alterius locum orior; I, 1048; II, 1138. *Lamb*.

305. *Primum quidquid flammarum*. Primam quamque flammam; vs. 285.

306. *Hæc*, solem, lunam, stellas, etc. *inviolabilia*, semper integra, et æterna vigere.

307. *Denique, non lapides*, etc. Non contentus Poeta præcipuas mundi partes indaxisse, quas et nativas et mortales docuit, his 12 vss. jam minores alias affert, sive quæ arte tractentur, sive quæ naturæ suæ relinquantur; quas etiam et nativas et mortales esse contendit. *F*.

308. *Putrescere saxa*. Committas Lucan. VII, 397; Claudian. in Eutrop. II, 277, ne plures excitem. *Wak*.

309. *Fessa fatisci*. I. e. ævo domita, in rimas aperiri: redeas ad annotata nobis de hoc verbo III, 459. *Wak*.

310. *Sanctum numen*, etc. nempe, delubris suis atque imaginibus ab injuria temporum conservandis. Ad ingenium profecto noster redit; et invisos deos, vel homines superstitiosos potius, ut verum dicam, in transitu quin suggillaret, atque mordaci sale perfricaret, a se non quivit obtinere. *Wak*.—*Protollere fineis*, proferre, promovere, extendere; cf. Plaut. Pseud. III, 2, 71.

311. *Naturæ fœdera*. I. e. leges ab ea rei cuilibet constitutas.

312. *Non monimenta virum*. Non vacat nomen *virum*, quum sint etiam *deorum* monimenta. *Wak*.

313. *Quærere proporro*. Argutulus est poeta scilicet, dum inanes fastus et frivolam mortalium fragilium arrogantiam irridet, castigatque. Quasi dixerit;

Non ruere avolsos silices a montibus altis;
Nec validas ævi vireis perferre patique
Finiti? neque enim caderent avolsa repente,
Ex infinito quæ tempore pertolerassent
Omnia tormenta ætatis, privata fragore.
  Denique, jam tuere hoc circum supraque, quod omne
Continet amplexu terrarum; procreat ex se
Omnia, quod queidam memorant, recipitque peremta:

« Nonne passim videmus, dum viam facimus, tumulos defunctorum dilapsos, corruentes, ac ruinosos? Credas propemodum eos dato quasi studio ad senectutem properanter contendere, quocumque tandem modo; ut eamdem mortalitatem homunculis, quos contegunt, ocyssime consequantur ». In his autem nihil equidem discernere valeo, ad quod editor prudens debeat offendere, aut cujus lepidus scriptor pœnitere. *Wak.* — Vide Disq. var.—*Quomque;* adi sis VI, 85, 1017, atque scripta ad II, 721. — *Credas.* Hanc formulam, quæ simile miraculi quiddam, et omnem fidem supergressum, scite conatur excusare, ut lector sit propitius, Virgilius excepit, Æn. VIII, 691. *Wak.*

315. *Nec validas,* etc. Construe: nonne videmus silices ruere et non perferre vires *ævi*, temporis.—*Perferre patique;* II, 291.

316. *Finiti;* non totius ævi, aut longissimi temporis, sed brevioris tantum et circumscripti, quia intra certos temporis fines silices pereant, necesse est. Ed.

317. *Pertolerassent.* Verbum *pertolerare* præter hunc locum non nisi in Plaut. Amph. suppositit iis, vs. 20, inveniri videtur. *Forb.*

318. *Tormenta,* impetus. Metaphora est ducta a tormentis bellicis.—I. e. violenta vexamina, βάσανοι, quibus tentata sint, atque oppugnata. Nam translatio est a *carnificum* officio. Nempe, inter *toris Ævi* sævos et indefessos impetus hi silices perduravere sine *fragore*, i. e. « nervis venisque non *ruptis*, compage nec ossium *divulsa* ». Et *fragor* adhibetur in primario suo significatu, pro ipsa *frangendi actione:* vide dicta ad vs. 110 hujusce libri. *Wak.*

319. *Denique, jam tuere,* etc. His 6 vss. inducit etiam cœlum ipsum, quod, quum rerum omnium parens a cunctis dicatur, corruptibile etiam esse necesse est. *F.* — *Tuere.* Tertiæ conjug. *tuor.* — *Hoc.* Nempe cœlum. Ennius, « Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem ».— *Omne terrarum.* Multæ sunt huic gemellæ locutiones in optimis scriptoribus; quod extemplo quivis elegantior agnoscet. *Wak.* — Sic *prima viai,* I, 1068, *cœli sublime,* II, 206; et conf. I, 87, 1089, etc.; sic etiam *cuncta terrarum* apud Horatium, Od. II, 1, 23.

321. *Queidam memorant.* Poetæ, qui fingunt cœlum antiquissimum Deorum, qui Terram sororem duxerit in uxorem; unde pater rerum omnium creditur. *F.* — His, opinor, Anaximander annumerandus est, qui videtur nihil aliud per ἄπειρον suum, quam *immensum*, vel *immoderatum æthera* voluisse. Plutarchus, Plac. Phil. I, 3. Et, si sentiret aliud Anaximenes, conterraneus ejus et discipulus, ægre dixeris quidnam denique sentiret. Verum enim hi Lucretii versus multum debent Pacuvii fragmen-

Digitized by Google

Totum nativum mortali corpore constat.
Nam, quodquomque alias ex se res auget alitque,
Deminui debet; recreari, quom recipit res.
  Præterea, si nulla fuit genitalis origo
Terrarum et cœli, semperque æterna fuere;
Quur supra bellum Thebanum et funera Trojæ
Non alias aliei quoque res cecinere poetæ?
Quo tot facta virum totiens cecidere; neque usquam,
Æterneis famæ monimenteis insita, florent?
  Verum, ut opinor, habet novitatem summa recensque
Natura mundi est; neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augescunt : nunc addita navigieis sunt

to, apud Varronem de ling. Lat. V, 3, et M. Tull. De divin. I, 57. *W.*

324. *Recreari,* refici, recrescere debet.

325. *Præterea, si nulla fuit,* etc. His 6 vss. aliud profert argumentum, quo probare conatur cœlum et terram, hoc est, mundum ipsum, non ab æterno fuisse. Alias enim, inquit, cur poetæ alii non aliquod aliud bellum cecinere ante bellum Thebanum aut Trojanum? Neque enim credere fas est hæc prima exstitisse bella, aut non alios exstitisse poetas, qui alia cecinerint. Quo igitur ceciderunt illa priora virorum præclare facta? Eodem argumento utitur Macrobius in Somn. Scip. II, 10 adversus mundi æternitatem. *F.*

328. *Aliei quoque poetæ;* Homero scilicet, Æschyloque vetustiores. *Wak.*

329. *Quo tot facta cecidere.* I. e. in quod *barathrum,* demersa et obruta penitus, conciderunt? Diversa est ejusdem phraseos translatio, ab *alearum jactu* scilicet, nisi fallor, in Virgil. Æn. II, 709 : « *Quo res* cumque *cadent* ». *W.*

330. *Insita florent.* Pulchra mehercule figura est, ab *arborum cultu insititio* suaviter petita. *Wak.*

331. *Verum, ut opinor,* etc. His 8 vss. continetur aliud argumentum, quod potius responsum est ad superiorem percunctationem. Quasi diceret : nil mirum si novæ sint artes, si recenter expoliuntur, v. g. navigatio, musica, poesis, etc. Scilicet, quia recens est ipse mundus, nec ab æterno fuit. Lactant. III, 16. *F.* —*Summa mundi;* quod noster *immensi summam* vocitavit superius, ad II, 1095. *Wak.*

332. *Natura mundi est.* Sic optimi codices : hodierni tamen correctores audaculas manus injecerunt, et sic ad arbitrium scripserunt versum : Natura *est mundi* : exquisitiorem constructionem callere nequeuntes phraseos *recens natura,* in sexto nimirum casu, præpositione subintellecta, quam in parili locutione positam maluit M. Tullius, De Nat. Deor. III, 5 : « quos Homerus, qui *recens ab* illorum *ætate* fuit, sepultos esse dicit Lacedæmone ». *Wak.*

334. *Augescunt.* Oratio poetæ justis gradibus assurgit in progressu. Res *expoliuntur,* quæ maturitatem quidem suam attigerint, sed ornatus exquisitioris indigeant : *augescunt* autem res, quibus ætas adulta et magnitudo vera nondum contigerint. *Wak.*

Digitized by Google

Multa; modo organicei melicos peperere sonores:
Denique, natura hæc rerum ratioque reperta est
Nuper; et hanc, primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possim vortere voces.
  Quod si forte fuisse antehac eadem omnia credis,
Sed periisse hominum torrenti secla vapore,
Aut cecidisse urbeis magno vexamine mundi,
Aut ex imbribus assiduis exisse rapaceis
Per terras amneis, ac oppida cooperuisse;
Tanto quique magis victus fateare necesse est,
Exitium quoque terrarum cœlique futurum.
Nam, quom res tantis morbis tantisque periclis
Tentarentur, ibi si tristior incubuisset
Causa, darent late cladem magnasque ruinas.
Nec ratione alia mortales esse videmur
Inter nos, nisi quod morbis ægrescimus iidem,
Atque ollei, quos a vita Natura removit.

335. *Organicei,* musici, fidicines, tibicines, citharœdi, etc. II, 412.

336. *Natura hæc rerum.* Hæc philosophia, hæc rerum cognitio, quam ego primus in Latinum sermonem verto. *F.* — Per hendyaden hæc prolata sunt, vice « hæc ratio naturæ rerum »; vel « hoc munus naturalis philosophiæ, sic via ac ratione investigatæ declaratæque ». *W.*

337. *Primus cum primis.* I. e. his primis rerum repertoribus ego quoque sum repertor annumerandus. *Wak.* — Cf. locum I, 925 sqq.

339. *Quod si forte fuisse,* etc. His 13 vss. arguit ex concessis, aut concedendis, mundum non esse immortalem. *F.* — Vide in Disq. var.

340. *Hominum secla,* gentes humanas, I, 21. — *Torrenti vapore,* calore adurente; immenso incendio.

341. *Vexamine mundi,* motibus terrarum, et subitis perturbationibus.

342. *Rapaceis amneis;* I, 18; ita ut ingens fieret diluvium.

344. *Quique.* Sic L, M, Δ, verissime: ceteri, *quippe;* Juntina, *nempe,* unde, pro adulterino fetu glossatoris arguitur illud *quippe,* non perspicientis τὸ *quique* pro *quisque* stare: i. e. ex usu bonorum scriptorum, pro *quisquis,* vel *quicunque,* ut vicissim. Et forsitan, quæ hominum erat inscitia, pronominis usus cum persona secunda verbi librariis scrupulum objecerit. *W.* — *Tanto magis,* ob tua concessa scilicet, de tot hominum et urbium exitialibus vexaminibus. *W.*

346. *Tantis morbis.* I. e. morbosis cœli tempestatibus, vapores mortiferos generantibus; ut vs. 340. Mantuanus vates, Georg. III, 478: *morbo cœli. W.*

347. *Tentarentur,* etc. Sic II, 968.

348. *Darent* etiamnunc, nondum suscitatæ.

350. *Ægrescimus iidem.* V. Disq. var.

Digitized by Google

Præterea, quæquomque manent æterna, necessum est,
Aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quidquam, quod queat arctas
Dissociare intus parteis; ut materiai
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante:
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sicut inane est,
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut etiam, quia nulla loci sit copia circum,
Quo quasi res possint discedere dissoluique;
Sicut summarum summa est æterna, neque extra
Qui locus est, quo dissiliant: neque corpora sunt, quæ
Possint incidere, et valida dissolvere plaga.
At neque, uti docui, solido cum corpore mundi
Natura est, quoniam admixtum est in rebus inane;
Nec tamen est ut inane; neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint forte coorta
Corruere hanc rerum violento turbine summam,
Aut aliam quamvis cladem importare pericli:
Nec porro natura loci, spatiumque profundi,
Deficit, exspergi quo possint mœnia mundi;
Aut alia quavis possunt vi pulsa perire.
Haud igitur leti præclusa est janua cœlo,

352. *Præterea quæquomque*, etc. His 29 vss. eodem utitur argumento adversus mundi immortalitatem, quo usus erat III, 808 et sqq. adversus animarum immortalitatem. Immo hi 23 vss. priores iidem hic repetuntur. *F.* — Vide igitur quæ illic adnotata sunt, et consule notam Forbigeri in Disq. var. ad eumdem locum.

369. *Corruere*. Editores contra libros universos, *Proruere*, temeriter vocem inculcantes ab III, 824, arcessitam; quasi cujusdam necessitatis legibus poeta constringeretur, quæ in elegantem sermonis varietatem exspatiari acerbissime vetarent. *Corruere* autem, *una ruere*, vel *prosternere*; uti vox ista sæpius active solet adhiberi, quod ne pueri quidem nesciunt: cf. I, 273. *W.*

370. *Cladem pericli*. Hoc dictum est pro *periclum perniciale*; vel *periclum*, quod *cladem affert*. Wak.

373. *Possunt:* sic verissime L, M, O, Ω; reliqui, *possint*; quasi nimirum a *quo* præeunte verbum penderet; quod nullo modo poeta voluit: nam voces *possunt pulsa* respiciunt omnia creata, de quibus in vss. 352, 358, 361, 369. *W.*

Digitized by Google

Nec soli terræque, neque alteis æquoris undeis;
Sed patet immani et vasto respectat hiatu.
  Quare etiam nativa necessum est confiteare
Hæc eadem: neque enim, mortali corpore quæ sunt,
Ex infinito jam tempore adhuc potuissent
Immensi validas ævi contemnere vireis.
  Denique, tantopere inter se quom maxuma mundi
Pugnent membra, pio nequaquam concita bello;
Nonne vides aliquam longi certaminis olleis
Posse dari finem? vel, quom sol et vapor omnis,
Omnibus epotis humoribus, exsuperarint;
Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur;
Tantum suppeditant amnes, ultroque minantur

376. ***Respectat hiatu.*** **Sublimem sane januæ leti nobis imaginem figuravit poeta noster. *Wak.***

377. ***Quare etiam*, etc. His 4 vss. concludit hæc eadem, nempe cœlum, solem, terram, et mare pariter esse nativa, atque initium habere, quoniam mortalia sunt. Quod enim mortale est, id nativum fuerit necesse est. Igitur mundus non æternus, sed nativus est. *F.***

381. ***Denique, tantopere,* etc. His 36 vss. continetur ultimum argumentum adversus mundi æternitatem et immortalitatem. Illud autem deducit Lucretius a pugna continua præcipuarum mundi hujus partium inter se. Quum enim modo incendia, modo eluvies superent, existimat Poeta tandem evincere posse, ut cum totius mundi ruina bellum hoc terminetur. *F.***

382. ***Membra*, elementa scilicet. — *Pio nequaquam*, impio; quia bellum hoc civile et intestinum est, inter ejusdem corporis membra.**

383. ***Nonne vides.* Ad hæc illuminanda pertinent, quæ dicit Celsus Epicureus apud Origenem contra Cels. lib. IV, p. 167. *Wak.***

384. ***Vel quum sol.*** **Rectum erat « vel quum sol, ac vapor, humores evicerit; vel quum humores solem superarint, caloremque », sed subito quodam furore poetico noster de recta structuræ via turbatus, periodum ordine grammatico non absolvit: partem alteram excipiens argumenti, quatenus eam sane exsecutus est, mox ad vs. 412, cum alia longe formula sermonis. *Wak.***

385. ***Exsuperarint;*** **superiores fuerint; Virg. Æn. II, 759. Forb. interpretatur: remanserint, superfuerint; neutrali verbi potestate, ut VI, 1276, vel quoad verbum simplex *superare*, I, 673, 790; II, 570.**

386. ***Facere intendunt.*** **I. e. « quod ut faciant, *se extendunt* »; vel enixissimo studio se exercent. Sic intelligas Virgil. Æ. II, 1: « *intentique* ora tenebant ». *W.***

387. ***Tantum suppeditant.*** **Vel accipe ἐνεργητικῶς, « Tantum *humoris* suppeditant »: vel absolute, « Usque adeo suppetunt », ἀρκοῦσι. Lambinus, docte et acute. Posterior ratio structuræ et exquisitior est, et magis Lucretiana. *W.* — *Ultroque;* et ipsi invicem minantur ex altis oceani gurgitibus erumpere, cun-**

Digitized by Google

Omnia diluviare ex alto gurgite ponti!
Nequidquam : quoniam verrentes æquora ventei
Deminuunt, radiisque retexens ætherius sol;
Et siccare prius confidunt omnia posse,
Quam liquor incepti possit contingere finem.
Tantum spirantes æquo certamine bellum,
Magnis de rebus inter se cernere certant;
Quom semel interea fuerit superantior ignis,
Et semel, ut fama est, humor regnarit in arvis.
Ignis enim superavit, et ambens multa perussit,
Avia quom Phaethonta rapax vis solis equorum
Æthere raptavit toto terrasque per omneis.
At pater omnipotens, ira tum percitus acri,

etasque res diluvio obruere, nedum calore adhuc exhausti sint. Sed et ipsorum minæ frustra sunt. Ed.

389. *Quoniam, verrentes*, etc. Hi 2 vss. positi sunt supra vs. 267, 268.

391. *Confidunt.* Eleganter sane, et gustu vere poetico, quasi de rebus sensum habentibus, atque rationem. Similem venustatem videas ad IV, 246. *W.*

393. *Tantum spir. bellum;* tam magna contentione luctantes. — Non recte Planck. ad Ennii Med. p. 87, in loco nostro construit *cernere bellum*, quum *bellum* potius cum *spirantes* conjungendum sit; quod jam Wak. vidit, loco Silii XVII, 398, *spirantes prælia* comparato. *Forb.*

394. *Cernere*, pro composito *decernere*, vel dijudicare; per translationem ex *oculis* ductam, quorum ope de rebus sententiam valemus pronuntiare, atque animo dubitanti satisfacere. Pari modo Virgil. Æn. XII, 709. *Wak.*

395. *Interea.* Vulgo *in terra*, sed illud meo gustui longe venustius et exquisitius. Quasi dixerat : « Quid autem? an necesse est ut vanas hypotheses solummodo jactemus, et de probabiliter *futuris* tantum loquamur? *Interea*, dum tempus disputationibus conterimus, res omnino quondam facta est ». *Wak.* — Forbigero hæc nimis artificiosa videtur explicatio, qui vulgatam lectionem retinet. — *Superantior;* superior, potentior, validior.

397. *Ignis enim*, etc. Utramque fabulam narrare nunc aggreditur. — *Ambens*, i. e. ambedens. Tertiam personam præsentis temporis, *ambest* nimirum, Festus agnoscit in Onomastico; noster Carus III, 1006, *exest;* Plautus, et alii, *comest* ac *comesse*, sæpius. De hac autem usitatissima translatione, quæ *dentibus* ignem instruit, omnia sunt pervagata, ut nihil supra; atque in aperto jacent. *W.* — Ceterum hoc participium alibi non videtur occurrere. *Forb.*

398. *Phaethonta*, etc. Fabulam hanc longa carminum serie prosecutus est Ov. Met. II. — *Rapax vis*, ob omnia arripientes, et haurientes *flammas* scilicet; ut alii passim similiter. *W.* — *Vis equorum;* notat violentos solis equos qui recto tramite exsilientes, et toto æthere aberrantes Phaethonta raptaverunt.

399. *Terrasque per omneis*, super quas nimirum devio curru vehebatur. *W.*

Digitized by Google

Magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram; solque, cadenti
Obvius, æternam suscepit lampada mundi:
Disjectosque redegit equos, junxitque trementeis:
Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans;
Scilicet, ut veteres Graium cecinere poetæ:
Quod procul a vera nimis est ratione repulsum.
Ignis enim superare potest, ubi materiai
Ex infinito sunt corpora plura coorta:
Inde cadunt vires, aliqua ratione revictæ;
Aut pereunt res, exustæ torrentibus auris.
  Humor item quondam cœpit superare coortus,
Ut fama est, hominum multos quando obruit undis.
Inde, ubi vis, aliqua ratione avorsa, recessit,
Ex infinito fuerat quæquomque coorta,

401. *Magnanimum Phaethonta.* Ita dictum scilicet, quia patriorum equorum regimen sibi po[illegible]re non dubitaverit. *W.*—Ergo quasi in malam partem accipiendum, μέγα φρονοῦντα, qui nimia de se *magno* et elato *animo* præceperit. Ed.—*Repenti*, repentino, subito. Virg. Æn. XII, 313: « quæve ista *repens* discordia surgit? »

402. *Equis*, curru dejecit. — *Cadenti*, Phaethonti, filio suo.

404. *Disjectos equos.* I. e. impetu fulminis disturbatos atque dissipatos. Compares nostrum, ad I, 652. *Wak.*

406. *Scilicet.* Ea nempe sunt veterum inter Graios poetarum commenta, sed futilia prorsus et absurda.

407. *Nimis est;* sic Wak. edidit ex antiquioribus edd. vulgo *a vera est animi*. Cf. I, 879, et VI, 768.

408. *Ignis enim superare potest.* Causam nunc prædicati illius incendii veram affert. — Hoc interea dicit poeta: Si forte fortuna fiat, ut igneæ particulæ solito copiosiores ex infinito spatio suboriantur, res mundi consueto tenore procedere nequibunt. Non æquo jam certamine, ut alias, geretur bellum. *Wak.*—*Materiai;* atomorum ignearum.

409. *Ex infinito.* Ex immenso mundi spatio, per quod atomi volitant perpetuo. Sic vs. 415; I, 1035, etc.

410 *Inde.* Sed mox illius vires aliqua causa *revictæ* (I, 594), vicissim victæ, reprimantur necesse est: sin aliter, omnia pereunt flatibus ardentibus combusta. Vel intellige cum Wak. *aera torrentem*, quia per *auras* solas, corpus ambientes tangentesque, calor sentitur. Ed.

412. *Cœpit superare,* poetis, atque etiam solutis metro scriptoribus, usitatus est pleonasmus, pro *superavit;* vide vs. 397. Sic Virg. Georg. I, 5: *canere incipiam.* Wak.

413. *Hominum multos.* I. e. τοὺς πολλοὺς ἀνθρώπων, vel universum fere humanum genus; uti Virg. Georg. II, 10, « *nullis hominum* cogentibus ». *W.*

415. *Ex infinito.* Versus hic opponitur τῷ 409.

Digitized by Google

Constiterunt imbres, et flumina vim minuerunt.
Sed, quibus ille modis conjectus materiai
Fundarit terram et cœlum pontique profunda,
Solis, lunai cursus, ex ordine ponam.
Nam certe neque consilio primordia rerum
Ordine se suo quæque sagaci mente locarunt;
Nec, quos quæque darent motus, pepigere profecto:
Sed, quia multa modis multis primordia rerum,
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,
Quæquomque inter se possent congressa creare;
Propterea fit, uti, magnum volgata per ævom,
Omnigenos cœtus et motus experiundo,
Tandem conveniant ea, quæ conventa repente
Magnarum rerum fiunt exordia sæpe,
Terrai, maris et cœli generisque animantum.
Hic neque tum solis rota cerni, lumine largo,
Altivolans poterat; nec magni sidera mundi,

416. *Constiterunt*. H. e. repressi sunt et cohibiti, se ad tranquillum statum represserunt.

417. *Sed, quibus ille modis*, etc. Hactenus de mundi exortu et interitu. Sat igitur probasse sibi videtur Poeta mundum et nativum et mortalem esse; (vide supra vs. 65). Nunc alteram promissi partem (supra vs. 68) solvit. Itaque ab hoc vs. 417, ad vs. 510, disputaturus est Poeta de modo generationis, quo cœlum, terra, mare, sol, luna, æther, et aer, ex atomorum concursu, congressu, ac cœtu coorta sunt et compacta. His ergo 35 vss. primum ait casu et fortuito res cunctas ex atomis constitisse; dum nempe atomi ex infinito tempore suis concitæ ponderibus, aut plagis resilientes, varios cœtus inire satagebant: *F.*— Si quis velit Græce legere nonnulla huc spectantia, is adeat Plutarchum, De Plac. Phil. I, 4, et Diogenem Laertium, X, 90. *Wak.*

418. *Pontique profunda*. I. e. θαλάσσης βένθεα, vel βάθεα, uti scholiastes interpretatus est ad Il. A, 358. *Wak.*

420. *Nam certe neque consilio*, etc. Hi 5 vss. positi sunt I, 1020; ubi vide notas; adi etiam infra Disq. var.

427. *Sed quia*, etc. Cf. supra vs. 188 sqq.

428. *Vulgata*, volitantia, vagata, quasi in conspectum omnium venientia. Sic IV, 75.

433. *Rota solis*. I. e. *currus* solis, ipse sol. Prior Ennius, fragm. p. 125: « Inde patefecit radiis *rota* candida cœlum »: *Wak.*

Digitized by Google

Nec mare, nec cœlum, nec denique terra, nec aer,
Nec similis nostreis rebus res ulla videri:
Sed nova tempestas quædam molesque coorta.
Diffugere inde loci partes cœpere, paresque
Cum paribus jungi res, et discludere mundum,
Membraque dividere, et magnas disponere parteis
Omnigenis e principiis; discordia quorum
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus conturbat, prælia miscens,
Propter dissimileis formas variasque figuras;
Quod non omnia sic poterant conjuncta manere,
Nec motus inter sese dare convenienteis.
Hoc est a terris altum secernere cœlum,
Et seorsum mare uti secretum humorque pateret;

437. *Tempestas molesque:* per hendyaden nempe, pro *moles tempestuosa* seminum discordium, sibi pugnantium tumultuantiumque: confer Ovid. Met. I, 9, 18, 19, 20. *Wak.*

438. *Inde loci;* ab illo loco, vel potius ab illo tempore, postea. *Lamb.* — *Diffugere partes cœpere.* I. e. ex ista unitate rerum secerni cœpere in locum proprium. *Wak.*

439. *Discludere*, discernere, distinguere. Sic VI, 240, et III, 172. — Id est, unamquamque mundi partem, quasi in caulis suis, et intra sæpta sua, *separatim claudere.* Committas Virg. Æn. XII, 782. *Wak.*

441. *Discordia quorum*, etc. Horum scilicet principiorum omnium, intervalla, vias, motusque conturbabat discordia, e dissimilitudine formarum, et figurarum varietate orta, quia sic, etc.

443. *Conturbat.* Hæc est verissima lectio poetæ, nobis codice nostro Ω conservata. Reliqua omnia exemplaria, *turbabat;* quod tempus rei præteritæ minus convenit. Insuper ipsum verbum *conturbare*, vel *una omnia turbare*, et fortius est, et convenientius scopo loci, simplice *turbare.* Wak. — Cf. ad I, 71; III, 710; VI, 587.

446. *Convenienteis*, I, 1029; II, 941.

447. *Hoc est.* Vulgo intelligunt hæc quasi interpretationem vocum *dare motus convenientes*, id est, separare cœlum a terris. Si tamen totam orationis seriem respicias, parum congruit ista explicatio. Malim equidem per parenthesim legere *discordia quorum ... convenienteis*, et τὰ *hoc est*, etc. referre ad *magnas disponere partes.* Quæ forsan etiam fuit Creechii mens hoc modo exponentis: «... ita conturbabat ut ... necessario fiat partium separatio. *Inde* magnum cœlum (aer) a terra secernitur». Ed.

448. *Mare humorque;* per hendyaden pro *maris humor;* quem simili schemate mox, ad vs. 489, noster poeta nominat ... *mare* ..., *camposque natanteis.* — *Pateret.* I. e. extenderetur in congeriem conspicabilem, particulis se colligentibus ex chao, quod eas seorsim obscuratas tenuerat, ac sepultas. Dictionis autem propositæ vim ac venusta-

Digitized by Google

Seorsus item purei secreteique ætheris ignes.
 Quippe etenim primum terrai corpora quæque,
Propterea quod erant gravia et perplexa, coibant
In medio, atque imas capiebant omnia sedeis:
Quæ, quanto magis inter se perplexa coibant,
Tam magis expressere ea, quæ mare, sidera, solem,
Lunamque efficerent, et magni mœnia mundi.
Omnia enim magis hæc e lævibus atque rotundis
Seminibus, multoque minoribu' sunt elementis,
Quam tellus: ideo per rara foramina terræ
Partibus erumpens, primus se sustulit æther
Ignifer, et multos secum levis abstulit igneis:
Non alia longe ratione, ac sæpe videmus,

tem melius aperiet Ovidius, in Met. I, 36: « Tum freta *diffundi* ». Wak.

449. *Seorsus item.* Constructionem veram verborum sic evolvendam atque edisserendam esse existimo: « Ignes item, qui facti sunt puri per separationem suam ab rerum conturbatarum fæce, seorsim stationem nacti sunt, et id, quod æthera nuncupamus, contexuerunt ». *Wak.*

450. *Quippe etenim primum*, etc. His 31 vss. agitatur de ortu terræ, cœli, solis, lunæ, et siderum. Docet nempe qua ratione coorta sint hæc primum ex fortuito atomorum congressu. *F.* — Vide Disq. var.

451. *Perplexa*, hamata, implexa; II, 101, 459.

452. *In medio.* Posuit quidem Lucretius cum Epicuro terram in medio mundi: sed negavit esse aliquod terræ medium, seu centrum ad quod omnia gravia tenderent, ut fusius explicatum est lib. II, sub finem. *F.*

454. *Tam* respondet τῷ *quanto* versus præcedentis; et ita respondent alibi plus semel hæ dictiones in Lucretio: vide IV, 252, 254. — *Expressere.* I. e. exprimendo effinxere, formavere; sociatis quodammodo primario sensu et secundario: nam, quoties materies aliqua, propter mollitudinem faciliter cedens, per aliam rem trudatur, vel allidatur ei, similitudinem rei, per quam compulsa, vel cui allisa sit, nancisci solet. *Wak.*

458. *Rara foramina,* quæ sunt Virgilio *cæca spiramenta*, ad Georg. I, 90. *Wak.*

459. *Partibus erumpens.* Id est, per partes, quæ statim coirent. Fayus jungit *terræ partibus,* minus bene. Wak. ingeniose satis emendat *partubus.* Sed vulgata non displicet. Dum enim terræ inter se coibant, ætheris *partes* expressæ (v. 454) eruperunt, et statim in unum collectæ *alta petiere,* ut ait Ovid. Met. XV, 243. Vide quæ mox Noster vs. 469. Ed.

460. *Ignifer.* I. e. ipse igneus multos alios ignes etiam secum abstulit. Hæc autem scriptura est codicum Vind. L, M, O, Δ, Π, Σ, Ω, et quorumdam Pii: reliqui, *Signifer*; intempestive prorsus, quoniam de *zodiaco* non agatur nunc jam: progredere ad vs. 499 hujusce libri. *Wak.*

Digitized by Google

Aurea quom primum gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina solis;
Exhalantque lacus nebulam fluvieique perennes;
Ipsaque et interdum tellus fumare videtur:
Omnia quæ, sursum quom conciliantur in alto,
Corpore concreto subtexunt nubila cœlum:
Sic igitur tum se levis ac diffusilis æther,
Corpore concreto circumdatus undique, sæpsit;
Et late diffusus in omneis undique parteis,
Omnia sic avido complexu cetera sæpsit.
  Hunc exordia sunt solis lunæque sequuta, et
Inter utrasque globei quorum vortuntur in auris,

462. *Gemmanteis rore.* Sic II, 319, Sic Manil. V, 256: «Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum». *F.*

463. *Radiati solis.* I. e. vel se *radiantis* et emittentis *radios* (i. e. *virgas lucis*); vel, quum scriptores probissimi tam activa verbi forma, quam passiva, indifferenter usi sint, *radiis instructi.* Wak.

464. *Exhalantque lacus nebulam.* Sic vs. 254. Sic Virg. Georg. II, 217: «Quæ tamen exhalat nebulam fumosque volucres». — *Fluviei perennes.* I. e. suis fontibus indesinenter profluentes; non, subitis imbribus creati, sive χείμαῤῥοι ποταμοί. *Wak.*—Ceterum qui hic *fluvii perennes*, ad I, 231, *æterna flumina* vocabantur. *Forb.*

465. *Ipsaque et.* I. e. ipsaque tellus etiam interdum. — Nos vero sic reposuimus ex conjectura; nam in omnibus vetustis exemplaribus scriptum est *Ipsaque ut ... videtur;* contra justam linguæ constructionem. Pius primus dedit, haud dubie ex ingenio, *Ipsa quoque:* sed audacius. *Wak.*

466. *Concilientur.* I. e. in concilium, vel cœtum, congregantur: committas autem velim I, 184, 485, et locos consimiles bene multos. Sic Virg. Æn. X, 151. *Wak.*

468. *Diffusilis æther;* ut statim *diffusus.* I. e. cujus qualitas est diffusio: proprie, quum sit *fluidus* liquidusque. *Wak.*

469. *Corpore concreto;* quam phrasin vox Ennii singularis optime declarabit, fragm. p. 187: «*pilatas* ætheris oras», i. e. moles concretas, globatim coalitas. *Se sæpsit.* I. e. se vallavit, et coercuit; cum quibus componas omnino velim Manilianos versus I, 149 sqq. *Wak.*

471. *Avido complexu;* ulnis quasi liquidis universa volens arripere, ac comprehendere: conferas vs. 202; II, 1066. *Wak.*

472. *Hunc.* Nempe æthera; h. e. cœlum. — *Solis lunæque.* Summatim locutus est poeta, in animo habens *sidera* quoque comprehendere, inter *multos* illos *ignes* scilicet, quos æther secum sustulerat, ad vs. 460. *Wak.*

473. *Inter utrasque.* P. quem editio Juntina secuta est hactenus, *utrosque;* ex audaci nimis insciti emendatoris temeritate. Nimirum, τὸ *utrasque* vel generalius nomen respicit solis et lunæ, *stellas* scilicet, de qua formula nos inspicias ad I, 353; II, 174, vel, ex consuetudine Lucretii, ad genus posterioris

Digitized by Google

Quæ neque terra sibi adscivit, nec maxumus æther;
Quod neque tam fuerint gravia, ut depressa sederent,
Nec levia, ut possent per summas labier oras;
Et tamen inter utrasque ita sunt, ut corpora viva
Vorsent, et partes ut mundi totius exstent:
Quod genus, in nobis quædam licet in statione
Membra manere, tamen quom sint ea, quæ moveantur.
His igitur rebus retractis, terra repente,
Maxuma qua nunc se ponti plaga cærula tendit,

nominis, *lunæ* dico, componitur adjectivum : redi ad annotata in III, 307, atque agnosces aliorum facinus scelerosum, aliorum vero insulsitatem, et Lucretiani sermonis ignorantiam : editores enim recentiores uno consensu *utrosque* posuerunt. Sic se habet ordo verborum, et constructionis ratio : « Exordia solis lunæque secuta sunt *æthera* ; (i. e. ætheris exordium) et *ea*, (i. e. eorum exordia) quorum globi inter utrasque in auris vertuntur, *secuta sunt solem lunamque* » : in quibus nihil, præter solitum lucidissimis scriptoribus, vel obscuri est, vel duri atque confragosi. *Wak.* — *Quorum globei.* I. e. *corpora crassiora* ; nempe vapores ignei, fulminis materies, trabes, faces volantes, et columnæ, cum reliquis meteoris stationem suam in media cœli regione retinentibus : confer sis Lucan. VII, 154-157 ; Ovid. Met. I, 24-29, et 52-56 ; Manil. I, 839. *Wak.* — *Vertuntur* : non circumvolvuntur, sed generalius *moventur*, *versantur* ; vide ad IV, 403. Et eo magis propria est in hoc usu dictio, quod meteora, vi levissima ventorum impellente, statim agitentur, et locum mutent. *Wak.*

474. *Quæ.* Suppl. exordia solis ac lunæ. — *Maxumus*, quia omnia complectitur, vs. 471 ; cf. 201.

476. *Labier*, ferri, attolli ; ut ætheria lumina labantur ; Virgil. Æn. III, 515. — *Oras*, interpretor extremitates mundi. Quidam tamen legi volunt *auras*. *Lamb.*

477. *Inter utrasque* : ut modo vs. 473. — *Corpora viva.* I. e. ita ut agitent vegeta, mobilia, efficacia, florentia, vera corpora, et officiis suis strenue fungentia. *Wak.* — Vide Disq. var.

478. *Vorsent.* I. e. moveant, agitent, huc illuc pro re nata sedes mutent ; vide nos ad vs. 473. Creechius, qui in sua interpretatione *volvant* posuit, exquisitiores virtutes dictionis neutiquam assecutus est. *Wak.*

479. *Quod genus*, qualia sunt ; II, 194.

480. *Manere in statione*, quiescere. Sic vs. 518.

481. *His igitur rebus*, etc. Sed opus nondum perfectum est ; nullibi enim, aqua, aer, ignis : fœculenta igitur ista congeries, quæ in imum confluxit, solis radiis ætherisque æstu ex omni parte pressa se contraxit, inde mare tanquam sudor emanavit ; leviores autem particulæ altius evectæ elementum ignis et aeris constituerunt : quum vero hujus congeriei particulæ quædam duræ magis essent rigidæque, omnes non pariter subsidebant, inde cava loca mari recipiendo idonea, inde etiam fluviorum alvei, inde denique plani campi, et montium altitudo. Hæc vs. 18. *Creech.*

482. *Se tendit* ; se extendit, extenditur.

Digitized by Google

Succidit, et salso suffodit gurgite fossas:
Inque dies quanto circum magis ætheris æstus,
Et radiei solis cogebant undique terram
Verberibus crebris, extrema ad limina apertam,
In medio ut propulsa suo condensa coiret;
Tam magis expressus salsus de corpore sudor
Augebat mare manando camposque natanteis:
Et tanto magis olla, foras elapsa, volabant
Corpora multa vaporis et aeris, altaque cœli
Densabant procul a terris fulgentia templa:
Sidebant campei, crescebant montibus altis
Ascensus; neque enim poterant subsidere saxa,
Nec pariter tantumdem omnes succumbere partes.
Sic igitur terræ concreto corpore pondus
Constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum
Confluxit gravis, et subsedit funditus, ut fæx.

483. *Succidit*, ima subsedit, sese retraxit. — *Suffodit fossas*. Ita Græci passim loquuntur vel purissimi styli, neque cognatas voces sic connectere non Lucretius solet sæpiuscule; ut modo habuimus, ad vss. 393, 394, *certamine certare;* quæ scribendi ratio primigeniam simplicitatem proxime attingit, et Hebraicas veteris instrumenti chartas peculiariter distinguit. *Wak.* — Vide Disq. var.

486. *Verberibus crebris*. Multo nimirum *percussu telorum* impingentes; vide mox vs. 1103; supra I, 148, et utrobique nos. Atque cum hoc Lucretii loco commode Virgilium componas, ad Georg. IV, 428; Æn. VIII, 243-247. *Wak.* — *Extrema ad limina*, extremas oras. Quo magis enim cœli calor versus centrum compellebat terræ particulas, dum illa undique ad extremas oras poris et meatibus hiaret, eo magis, etc. Wakef. edidit *lumina*: « Sunt autem, inquit, *lumina* per obviam translationem, ab *humano corpore* (cf. vs. 488) derivatam, rimæ, foramina, fenestræ ». Sed hoc nimis exquisitum videtur, neque habet vulgata quod displiceat. Quam igitur cum Eichst. et Forb. retinui. Ed.

488. *Tam magis expressus;* vs. 454. — *Sudor*. Imago ab humano corpore ducta; II, 465.

489. *Camposque natanteis;* VI, 405. Virg. Georg. III, 198 his verbis aliter usus est; cf. et Æneid. VI, 724; VIII, 695.

490. *Foras;* e sinu terræ, terrenis particulis exsoluta.

491. *Vaporis;* ignis corpuscula.

492. *Templa;* I, 1013.

493. *Sidebant*, subsidebant, plani fiebant: vs. 494.

494. *Subsidere*. H. e. ita sidere, ut planitiem efficerent. *Lamb.*

495. *Succumbere*, cadere, subjacere.

497. *Mundi quasi limus*, etc. Sic Manil. I, 159: « Ultima subsedit glomerato pondere tellus, Convenitque vagis

Digitized by Google

Inde mare, inde aer, inde æther ignifer ipse,
Corporibus liquidis sunt omnia pura relicta;
Et leviora aliis alia; et liquidissimus æther,
Atque levissimus aerias super influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus aeris auras
Commisci; sinit hæc violentis omnia vorti
Turbinibus, sinit incertis turbare procellis;
Ipse suos igneis certo fert impete labens;
Nam modice fluere atque uno posse æthera nixu,
Significat Ponto mare, certo quod fluit æstu,
Unum labundi conservans usque tenorem.

limus commixtus arenis, Paulatim ad summum tenui fugiente liquore, etc. »

499. *Inde mare*, etc. His 11 vss. docet iterum qua ratione mare, aer, et æther constiterint ex levioribus, tenuioribus, et liquidioribus atomis, atque pro sua minori levitate ac liquiditate alia aliis superius evolaverint in eas, quas jam sedes occupant. *F.* — *Æther ignifer*, cœlum, ut ait vs. 459. Vide Disq. var.

500. *Corporibus liquidis*. Sensus est: mare, aer, et æther, *quæ constant* liquidis corporibus, relicta sunt omnia *omni terrena fæce* pura. *Wak.*

503. *Turbantibus aeris auras*. Nec sinit æther liquidum corpus suum commisceri *corporibus*, vel *rebus*, turbantibus auras aeris. *Wak.*

504. *Commisci*. Sic optima exemplaria, quæ post Wakef. et Eichst. sequimur, ut verbum diu perditum denuo tandem restituatur Latio. — Nimirum, ut Romani veteres non minus dicebant *promisce* et *promiscus*, quam *promiscue* et *promiscuus;* ita defæcati codices Lucretii solitario suo testimonio satis evincere potuissent in usu fuisse *misco* quoque, *commisco*, et vocabula cognata. Sed feliciter nobis evenit, glossas veteres ex abundanti suffragium conferre: et sane *misco* parenti μίσγω proximius est vulgari *misceo*. *Wak.* — *Hæc;* nimirum *corpora*, quæ voce *turbantibus* comprehenduntur. *Wak.*

505. *Turbare;* II, 125.

506. *Suos igneis*, sua astra, quæ vel ignea, vel ignes videntur. — *Certo impete*. I. e. æther cum suis sideribus semper circumvolvitur æquabili rotatu, ac nullis interruptionibus obnoxio. *W.*

507. *Nam modice*. I. e. συμμέτρως· ad modum præstitutum, mensuramque certam; stabili moderamine: ne pro *lente*, vel *sensim*, fortasse capias. *W.* —*Nixu*. Ita O, Ω, vulgo, *nisu*; inspicias annotata ad IV, 907. Et nomen *nixus* pro *partus* nihil aliud esse judicaverim eidem vocabulo, sensum nacto secundarium: ob acerrimas illas colluctationes scilicet, et dolores vehementissime contentos, quibus puerperium efficitur. *W.*

508. *Ponto*: sic eleganter, et defæcate, libri veteres omnes, ut sit *mare Ponto* de eadem constructione, quam nos asseruimus ad II, 1 *æquora mari* scilicet. *Wak.* — *Certo æstu*. Seneca, Nat. Quæstt. IV, 2: « Ob hoc Pontus in inferum mare assidue fluit rapidus; non, ut cetera maria, alternatis ultro citro æstibus; in unam partem semper pronus, et torrens ». Idem alii testati sunt. *Wak.*

509. *Unum labundi*, etc. Hunc versum, quem valde miratur, Wakef. cum

Digitized by Google

Motibus astrorum nunc quæ sit causa, canamus.
Principio, magnus cœli si vortitur orbis,
Ex utraque polum parte premere aera, nobis
Dicundum est, extraque tenere, et cludere utrimque:
Inde alium supra fluere, atque intendere eodem,
Quo volvunda micant æterni sidera mundi;
Ast alium subter, contra qui subvehat orbem;
Ut fluvios vorsare rotas atque haustra videmus.
Est etiam quoque, uti possit cœlum omne manere

vs. 506 jungit, parenthesi scilicet vss. 507, 508 includens. Sed aliter melius, opinor, procedit oratio. Ed.

510. *Motibus astrorum*, etc. His 25 vss. docet poeta de motibus astrorum, memor scilicet eorum, quæ dudum supra pactus erat vs. 419: « Solis, lunai cursus, ex ordine ponam ». *F.*

511. *Si vortitur.* Ut certe vertitur. Sed Epicurus de cœlo, et de iis quæ ad cœli motum et naturam pertinent, et de iis quæ μετέωρα Græci appellant, disputat Academicorum more, nihilque certo affirmat, neque unam harum rerum causam affert, sed plureis. *Lamb.*

512. *Polum premere aera.* Id est, aere polum premi, ne structuram verborum quæras. *W.* — V. Disq. var.

514. *Supra.* Nimirum, supra eam cœli partem, quæ verticibus nostris incumbit. *F.* — Vide in Disq. var. ad vs. 513. — *Intendere.* De hoc absoluto hujusce dictionis usu, nos pauca superius, ad vs. 386. Frequentior est cum pronomine, *se intendere.* Wak.

515. *Volvunda.* Id est, volventia, volubilia; sic Virg. Æn. IX, 7, *volvenda dies.* Wak. — *Micant.* I. e. quasi *exsiliunt*, ob lucem quam jaculantur ex se; vibrant, διάττουσιν, celeriter moventur, tremunt: vide I, 1088, et dicta ad II, 195. *Wak.* — *Æterni.* Sic omnes quotcumque libri quos cum vulg. edd. sequutus sum. Omnes quidem intt. contendunt *mundum*, id est, hic cœlum, a Lucretio non posse *æternum* dici, quod Epicuri disciplinæ aperte repugnet. At quid facient locis I, 122, 231; etc. ubi *æterni versus*, *æterna flumina*, etc. commemorantur? Quid locis, I, 1; II, 434, 472; V, 947, aliisque, qui non minus Epicuri dogmatibus de Diis adversantur? Nimirum *æternus* hic nil nisi epitheton ornans est habendum, quo poeta utitur, philosophum Epicureum nunc quidem oblitus. *Forb.*

516. *Contra.* I. e. ab occidentali plaga in orientalem; ut, die Soli percursa, nox succedat invicem, dum ad priorem stationem cum sideribus ille redeat. *W.* — *Subvehat.* I. e. vehat subjiciendo se. Sic Virg. Æn. VI, 303: « Et ferruginea *subvectat* corpora cymba »; i. e. transfretat per cymbam suppositam. *Wak.*

517. *Haustra.* Haustrum genus est machinæ rotas habens, qua e puteis aut e fluminibus aqua hauritur, quod tympanum vulgo dicitur. Vel, ut Nonio placet, sunt ipsi cadi, seu situlæ machinis affixæ, quibus hauritur aqua. Sic autem dicitur ab hauriendo. *F.*

518. *Est etiam quoque*, etc. His 17 vss. posterioribus ait sic fieri etiam posse, ut cœlum quiescat, sidera vero moveantur. Quo casu triplicem motus astrorum causam assignari posse docet: 1° Aut quod ætheris ignes, h. e. sidera, inclusi, dum sibi quærunt exitum, cir-

Digitized by Google

In statione, tamen quom lucida signa ferantur:
Sive quod inclusei rapidi sunt ætheris æstus,
Quærentesque viam circumvorsantur, et igneis
Passim per cœli volvunt immania templa;
Sive aliunde fluens aliquunde extrinsecus aer
Vorsat agens igneis; sive ipsei serpere possunt,
Quo quojusque cibus vocat atque invitat eunteis,
Flammea per cœlum pascenteis corpora passim.
Nam quid in hoc mundo sit eorum, ponere certum

comversentur et passim sese per cœlum liquidum circumagant; 2° Aut quod aer extrinsecus aliunde fluens impellat ac verset illos ignes, seu sidera; 3° Aut quod sidera ferantur eo, quo quæque cibus invitat et rapit. Quum enim ignes sint, pasci et ali necesse est. Itaque nihil certum statuit in re tam incerta. Sic Epicurus loqui solebat de rebus incertis et obscuris; sic cautius sese gerebat. *F.* — *Manere in statione;* immotum stare.

519. *Quum ferantur;* quamvis interim volvantur. Sic Forb. cum vulg. edd. Wak. vero edidit *quum*, ὡς, dum, *feruntur*, e duobus tantum libris. Ed.

520. *Rapidi ætheris;* cujus celeritate stellæ versantur: nam orthographia nostra locis hujusmodi præsentissimam navat operam, et a lectoribus errorem interpretis propulsabit, qui conjunxit *rapidi* cum *æstus;* memor fortasse Virgiliani versus, in Ecl. II, 10. *Wak.* — *Æstus*, particulæ ætheris æstuantes et violento impetu abreptæ, dum viam sibi et exitum quærunt (VI, 200), ignes sidereos per immensa cœli volvunt spatia. Ed.

522. *Immania*, ingentia, immensa: Virg. Æn. IV, 199. — Ita legit Wak. quem cum Eichst. sequutus sum, quia ignes siderei non propria vi *se volvunt* ex mente Lucretii, sed *æstu* illo ætheris *volvuntur*. Negari tamen nequit, vulgari lectioni *se immania* codd. haud parum suffragari. *Forb.* — *Templa*, I, 1013.

523. *Aliunde aliquunde.* I. e. ex *alio quovis* loco; ἀλλαχόθεν ποθέν. *Wak.*

524. *Agens*, III, 492; IV, 903. — *Serpere.* I. e. generaliter, ire, moveri; ut passim *repere:* ad Græcorum consuetudinem sic adhibentium ἕρπω, *serpo*, et ῥέπω, *repo*, pro βαδίζειν, κινεῖσθαι. *Wak.*

525. *Eunteis.* Sic edidi cum omnibus codd. ut conjungantur verba *cibus vocat atque invitat eunteis.* Wak. autem *euntes* pro nominativo habet, ut constructio sic procedat: « sive ipsi, euntes quo cibus vocat eos pascentes corpora, possunt serpere »; quam rationem collocatio verborum parum juvare videtur. *Forb.*

526. *Pascenteis corpora.* Ordo est: Pascenteis *sibi* corpora *sua* flammea; i. e. alentes, reparantes proprias flammas pabulo illarum flammarum, quæ passim per cœli regiones obversantur. Hoc nonnullos latuit; redeas ad annotata in II, 996; I, 232. *Wak.*

527. *Nam quid in hoc*, etc. Hoc dicit Lucretius: « Generales illas leges, quibus necesse est universa gubernari, et ex quibus omnium phænomenôn causæ dominantes pendent, philosophus exponere valebit, atque ad liquidum perducere; sed speciales illæ leges, quæ mundum quemlibet singularem respiciunt, non sunt certis argumentis statim definiendæ ». His lucem dabit noster collatus, ad VI, 704-712. *W.*

Digitized by Google

Difficile est : sed, quid possit fiatque per omne
In variis mundis, varia ratione creatis,
Id doceo; plureisque sequor disponere causas
Motibus astrorum, quæ possint esse per omne:
E quibus una tamen sit et hæc quoque causa necesse est,
Quæ vegeat motum signis; sed, quæ sit earum,
Præcipere haud quaquam est pedetentim progredientis.
  Terraque ut in media mundi regione quiescat,
Evanescere paullatim et decrescere pondus
Convenit; atque aliam naturam subter habere,
Ex ineunte ævo conjunctam atque uniter aptam
Partibus aerieis mundi, quibus insita vivit.
Propterea non est oneri, neque deprimit auras;
Ut sua quoique homini nullo sunt pondere membra,

528. *Possit;* scil. fieri. — *Omne;* τὸ πᾶν; I, 522.

529. *Mundis creatis.* Vide II, 1056. Plutarchus, Plac. Phil. II, 1: Δημόκριτος καὶ Ἐπίκουρος, ἀπείρους κόσμους ἐν τῷ ἀπείρῳ κατὰ πᾶσαν περίστασιν. Hoc etiam a multis aliis accepimus : adi Diog. Laert. IX, 44 ; X, 42; Hermiæ Irris. gentil. philos. sect. 18; Ammian. Marcell. XV, 1, et ibi Lindenbrogium; Arnob. lib. II, p. 48. *Wak.*

530. *Sequor disponere*, pro *pergo disponere;* quod sedulo animadvertendum : nam longe rarissimæ sermonis formulæ non habeo ad manus pulchre parallelam, qua lectoribus illustratam dem. *Disponere* autem, diligenter et ordinatim exhibere : confer I, 47. *W.*

532. *E quibus una*, etc. Sic loci scopum capias : « Generalibus causis, per quas universæ res constituuntur reguntur que, patefactis et dispositis; necessum est, ut in his includatur etiam ea causa, quæ motum stellis præbet : quamvis non sit cuilibet in proclivi de numero causarum specialem illam seligere, nec prudentis philosophi quidem designationem ejus confidentem in se suscipere ». *Wak.*

533. *Vegeat;* vegetet, vegetum faciat. Vide Nonium, II, 876; Auson. Idyll. I, 21.

534. *Pedetentim;* infra vs. 1452.

535. *Terraque ut in media*, etc. His 30 vss. apte subnectit speculationi de cœli ac siderum motu perennem et tot seculis anteactis minime interruptam terræ quietem. *F.* — Vide Disq. var.

536. *Pondus*, illius; scil. terræ.

538. *Uniter aptam*, cognatam aeriis mundi partibus, simili natura fere præditam, arcte conjunctam. Sic vss. 559, et III, 851, 858, etc.

539. *Quibus insita vivit.* Vivit, h. e. stat immota, firmiter hæret, stabilis manet. Sic I, 1033, dixit *vivere* de sideribus, pro permanere, conservari. Neque enim animata vult esse sidera, ut docuit sub initium hujus libri. *F.*

540. *Propterea :* nimirum, propter diversam naturam, quam tellus habet subter, pondere suo decrescente paullatim, atque tandem prorsus evanescente. *Wak.*

Digitized by Google

Nec caput est oneri collo, nec denique totum
Corporis in pedibus pondus sentimus inesse.
At, quæquomque foris veniunt, impostaque nobis
Pondera sunt, lædunt permulto sæpe minora:
Usque adeo magni refert, quid quæque queat res.
Sic igitur tellus non est aliena repente
Allata, atque aureis aliunde objecta alieneis;
Sed pariter prima concepta ab origine mundi,
Certaque pars ejus; quasi nobis membra videntur.
Præterea, grandi tonitru concussa, repente
Terra, supra se quæ sunt, concutit omnia motu;
Quod facere haud ulla posset ratione, nisi esset
Partibus aeriis mundi cœloque revincta:
Nam communibus inter se radicibus hærent,
Ex ineunte ævo conjuncta atque uniter aucta.
Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis

544. *Foris*, extrinsecus, aliena, non cognata.—*Minora;* quamvis levia sint.

546. *Quid quæque queat res.* I. e. quæ sint primigeniæ qualitates ejus, et potestates, quibus sit natura prædita. *W.*

547. *Repente.* In hac voce vertitur, ut indoles loci clare loquitur, argumenti cardo: unde expositio, quam nosmet dedimus, et robur accipit et lucem; atque vanissima somnia editorum sub umbras propelluntur. *Wak.*

548. *Auris alienis.* I. e. ad eam nihil attinentibus, neque naturali cognatione primitus sociatis. *Wak.*

550. *Quasi membra videntur.* I. e. εἶναι δοκεῖ, uti passim loquuntur Græci: editores temerarii de suo nobis exhibent, *videtur.* Wak. — Sic igitur tellus aeri æquabiliter inequitat, libramine imperturbato, quod eam habeat ad aera rationem, quæ membri cujuslibet ad corpus sit; non propter concinnam aliquam inter se mutuo collocationem partium. Verissima est itaque, quam dedimus, interpretatio ad vs. 546 et ab omni contextus parte confirmationem accipit. *W.*

551. *Præterea, grandi tonitru,* etc. His 6 vss. continetur argumenti superioris confirmatio: nempe quia terra, grandi tonitru commota, ea quoque, quæ sunt in aere, commovet: quod non faceret, si non esset cum aere colligata et connexa. *Lamb.*

556. *Uniter aucta.* I. e. concrescentia simul, atque æqualiter pubescentia et adolescentia. Lector, attendas aliud specimen orationis variatæ, qua carmina Lucretius condivit, nobis toties prædicatum; et pariter audacissimum facinus editorum, ex arbitrio suum *apta,* de vs. 538 translatum, contextui inculcantium; quod inducendum habui, sincerissima lectione tandem reposita, libris universis morem libenter gerens. *Wak.*

557. *Nonne vides etiam,* etc. His 8 vss. continetur responsio ad objectionem præoccupatam adversus terræ stationem in medio mundi. Quæ sententia de vi

Digitized by Google

Sustineat corpus tenuissima vis animai;
Propterea quia tam conjuncta atque uniter apta est?
Denique, jam saltu pernici tollere corpus
Quis potis est, nisi vis animæ, quæ membra gubernat?
  Jamne vides quantum tenuis natura valere
Possit, ubi est conjuncta gravi cum corpore; ut aer
Conjunctus terreis, et nobis est animi vis?
  Nec nimio solis major rota, nec minor ardor
Esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.
Nam, quibus e spatiis quomque ignes lumina possunt
Allicere, et calidum membris afflare vaporem;
Nil missus intervallis de corpore librant

animæ jam posita est IV, 884 et sqq. ubi corpus ab anima moveri docuit. *F.* — *Magno pondere.* Ponderosam corporis molem sustinet anima, quæ tenuissima res est.

559. *Uniter apta;* vs. 538.

560. *Jam saltu.* Aer, terræ congenitus, eam itidem sustinere potest, ac anima quæ totum corporis humani pondus non modo sustinet, sed et nonnunquam saltu in altum tollit. *Faber.*

565. *Nec nimio solis,* etc. His 27 vss. rursus conscendit in cœlum Poeta, siderum magnitudinem exploraturus ac mensurus; reduxque tandem certiores nos facit nulla parte majores aut minores esse solis, lunæ, ac siderum aliorum orbes, quam a nobis hinc cernuntur : aut saltem non multo majores aut minores esse posse. *Fay.* — *Nimio,* id est, multo; ut infra vs. 986. — *Nec minor ardor.* Nemo unquam, opinor, contendit *majorem* quidem solis orbem, *minorem* vero interim ardorem esse, quam nostris videntur sensibus. Constructio igitur loci hæc erit: solis magnitudo et ardor non possunt esse multo majores vel minores (cf. vs. 574), quam oculis apparent. Ed. — Ad rem cf. Plutarch. Plac. phil. II, 21; Cic. Acad. II, 26; de Fin. I, 6; et consule quæ disseruntur infra in Disquis. variis.

567. *Nam quib. e spatiis.* Exemplum ab ignibus terrenis affert poeta; qui, quibuscumque spatiis a nobis distent, si modo lumen ad nos jacere, et membris nostris calorem afflare possunt, nihil intervallo amittent, id est, revera erunt non magis aut minus calidi, nec magis aut minus ampli quam sensibus nostris videntur. Sic de sole, cujus calor et lumen ad nos pervenit. Ed.

568. *Allicere.* I. e. *ad* quemvis locum *mittere*, vel jaculari; ab antiqua dictione *lacio.* Editores, sine vel necessitate vel usu, commentitium suum *Adjicere* in Lucretium inferserunt. *Allicere* igitur generaliter et laxe potest ἐπάγειν, *adducere* in quemdam locum, *apportare;* unde pervagatus sensus, blande tractare, demulcere, *fallere* : quod propius tangendo atque tractando fit. *Wak.*

569. *Nil missus* (IV, 409) *intervallis*, etc. Sensus est : ex quo intervallo ignes radios emittere iisque corpora nostra calefacere possunt, ex hoc intervallo (licet tantum intervallum sit), *missus* ignis, id est, emissiones quasi, vel emissi radii, nihil detrahunt de corpore flammarum. Sic *delibrare*, id est, proprie

Digitized by Google

Flammarum, nihil ad speciem est contractior ignis.
Proinde, calor quoniam solis lumenque profusum
Perveniunt nostros ad sensus, et loca fulgent;
Forma quoque hinc solis debet filumque videri,
Nil adeo ut possis plus, aut minus, addere vere.
  Lunaque, sive notho fertur loca lumine lustrans,
Sive suo proprio jactat de corpore lucem;
Quidquid id est, nihilo fertur majore figura,
Quam nostreis oculeis, qua cernimus, esse videtur.
Nam prius omnia, quæ longe semota tuemur
Aera per multum, specie confusa videntur,
Quam minui filum : quapropter luna necesse est,

librum vel corticem arbori detrahere, quod hic in duas voces solutum est, etiam III, 1101, a Lucretio usurpatur. *Forb.* — *Intervallis*, ob intervalla, ob distantiam de *corpore*, prout se habet, nihil ad visum detrahitur. Si diceret noster nihilo minorem reipsa fieri flammarum globum, quanquam emittat lucem et calorem, consentientes profecto omnes haberet. Sed hic aliud innuit, controversiæ certe obnoxium; flammarum scilicet corpus tale et tantum oculis nostris ex tanto intervallo apparere, quale et quantum revera est. Nota tamen, quam poeta conditionem faciat vs. 568 : dummodo ille ignis calorem ad nos usque mittat. Sed vereor, ut sic etiam stet et vigeat argumentum. Ed.

572. *Et loca fulgent.* I. e. uno continuo lucis, per omne intervallum meatus, sulco loca media refulgent : quod appositissimum est poetæ scopo. *Wak.*

573. *Hinc.* E terris, ex his locis inferioribus, unde cernimus solem. — *Filumque;* id est, lineamentum et quasi ductus extremus totius corporis solis. Inf. vs. 581. *Lamb.*

575. *Lunaque, sive*, etc. Hactenus, de sole, nunc his 10 vss. sqq. de luna.— *Notho lumine*, alieno lumine. Scilicet putant lunam non alio lucere lumine, quam eo quod a sole mutuatur : alii proprio lumine splendere volunt. Hanc litem non dirimit Lucretius : sed utramque proponit opinionem. Probabilior tamen opinio est lunam mutuari lucem a sole. Ita Festus, Catullus XXXIV, 15; Virg. Georg. I, 396, et Cicer. De Nat. Deor. II, censent. *F.*

578. *Qua cernimus.* Ordo est, et constructio, « Fertur figura nihilo majore, quam *ea figura*, qua *eam* cernimus *figura*, videtur esse nostris oculis ». Havercampus non tenuit rem, dum ad *oculis* punctum poneret, et Burmannum laudaret ad Valer. Flacc. V, 325, quasi *qua via* deberemus, per ellipsin, intelligere. Nimirum, Lucretius *quam* scripsisset, nisi vox eadem præcesserat, et κακοφωνίαν studeret evitare. *Wak.*

581. *Quam minui filum.* Vulgo legitur *minimum*, quod feliciter correxit Bentleius. — Ait eorum, quæ de longinquo contemplamur, prius speciem et formam confusam incertamque videri, quam *filum* (vs. 573) et magnitudinem deminutam. Epicurus (apud Diog. Laert. X, 91) : Εἰ γὰρ τὸ μέγεθος διὰ τὸ διάστημα ἀπεβεβλήκει, πολλῷ ἂν μᾶλλον τὴν χρόαν. Χρόα, *color*, superficies :

Digitized by Google

Quandoquidem claram speciem certamque figuram
Præbet, ut est oris extremis quomque notata,
Quanta quoque est quanta, hinc nobis videatur in alto.
Postremo, quosquomque vides hinc ætheris igneis,
Quandoquidem, quosquomque in terris cernimus igneis,
Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum,
Perparvum quiddam interdum mutare videtur
Alteram utram in partem filum, quo longius absit;
Scire licet, perquam pauxillo posse minores
Esse, vel exigua majores parte brevique.
Illud item non est mirandum, qua ratione
Tantulus ille queat tantum sol mittere lumen,

noster, IV, 267. *Bentl.* — Concludit igitur a fortiori Lucretius: Si distinctam *speciem* non amittit, multo minus *magnitudinem* suam amittet *Luna*». Confer II, 341. *Wak.*

582. *Claram speciem.* Id est, non modo figuram definitam, neque ob intervalla mutatam, sed speciem quoque, quod majus est, minime confusam. *W.*

583. *Ut quomque notata.* I. e. secundum lineamenta corporis in quovis tempore; adeo ut, si plena sit, plena videatur, non gibba: ac similiter in formis ceteris. *Wak.*

584. *Quanta quanta.* Terent. Adelph. III, 3, 40, *quantus quantus*, id est, quantuscumque. Committas Horat. Sat. I, 3, 88. Dicit igitur Lucretius: « Necesse est, ut luna pariter videatur nobis de terra quanta quanta sit in alto »: i. e. ea, quali sit re vera in cœlo, magnitudine. Nimirum, in his formulis prior *tantus* passim subintelligitur. *Wak.* — *Hinc*, e terris, *in alto*, in ea sublimi ætheris regione, in qua est. *Wak.*

585. *Postremo, quosquomque*, etc. His 7 vss. posterioribus agit de siderum aliorum magnitudine. *F.*

587. *Tremor.* Vide supra vs. 299 et ibidem dicta. *Clarus* autem valet *manifestus*; ut rei *evanidæ* intelligatur hic opponi vox. *Wak.*

588. *Mutare videtur*, nempe *filum*; vulgo *videntur*. Ceterum Creech. et Haverc. ad absolutum verbi *mutare* usum, pro *mutari*, vel *se mutare*, inscitissime quidem offenderunt; quasi vel sit tritius aliud hoc schemate, aut magis alii, quam nostro Lucretio, in deliciis. *W.* — Construe: quandoquidem filum ignium, quicumque sunt in terris, videtur, etc.

589. *Alteram utram.* Alii *alterutram*, secundum orthographiam recentiorum. — *Filum*, vs. 573. — *Quo longius absit.* I. e. si *filum* (poetice positum pro *corpore* ipso) longius longiusque pedetentim amoveatur, perquam pauxillo minus et minus fieri videbitur. *Wak.*

590. *Scire licet.* Hæc junge cum vs. 585. Cetera (586-589) quasi per parenthesim dicta sunt.

592. *Illud item non est mirandum*, etc. His 21 vss. de calore solis agit; docetque quamobrem sol, quum tantulus, ac tam parva figura præditus sit aut appareat, tantum tamen calorem tantumque lumen mittere ac profundere queat. Cujus rei rationes varias reddit. *F.*

Digitized by Google

Quod maria, ac terras omneis cœlumque rigando
Compleat, et calido perfundat cuncta vapore.
Nam licet hinc mundi patefactum totius unum
Largifluum fontem scatere, atque erumpere lumen;
Ex omni mundo quia sic elementa vaporis
Undique conveniunt, et sic conjectus eorum
Confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor.
Nonne vides etiam, quam late parvus aquai
Prata riget fons interdum, campisque redundet?
  Est etiam quoque, uti non magno solis ab igni
Aera percipiat calidis fervoribus ardor;
Opportunus ita est si forte et idoneus aer,
Ut queat accendi, parvis ardoribus ictus:
Quod genus, interdum segetes stipulamque videmus
Accidere ex una scintilla incendia passim.

594. *Rigando* : ἀρδεύσει· scaturigines lucis undique dispergende : redeas ad II, 147; IV, 203. *Wak.*

596. *Licet ;* fieri potest, ut.—*Mundi totius unum fontem* : ita ut omnis rerum universarum calor non habeat aperturam, qua possit effluere, præter unum solis spiraculum. *Wak.*

597. *Largifluum*, adeo ut copiosissimum erumpat flumen, quamvis e parvo *capite* : conferas vss. 271, 282 hujusce libri. Vetus poeta, apud Cicer. De orat. III, 39, *imbri largifluo*. Wak. — *Scatere ;* tertia conjug. ut VI, 892.— *Erumpere lumen*. I. e. activo sensu, *effundere*, emittere, eructare lucem; ut ἀπὸ κοινοῦ sit τὸ *fontem* repetitum, ne sine causa constructio turbetur. Tibullus, IV, 1, 86. *Wak.*

598. *Quia sic.* Vide Disq. var.

599. *Conjectus*, cœtus, congressus, concursus.

600. *Capite ;* vs. 271. — Post hunc versum recte Wak. maximam posuit interpunctionem. Vulgo semicolon modo, quod dicunt, appingitur. *Forb.*

601. *Nonne vides.* Rem confirmat exemplo fluvii e parvo fonte oriundi.

603. *Etiam quoque.* Sic vs. 154. — *Est uti*, etc. Fieri etiam potest ut, quum solis ignis non sit admodum magnus, neque acer, magnis tamen fervoribus aer exardescat, quia sit idoneus ad incendium accipiendum. Sed negat Aristoteles, ut dixi, solem esse igneum aut calidum. *Lamb.*

604. *Percipiat*, occupet, comprehendat. Si rem interius attendas, alterum habemus specimen doctioris schematis, poetis dilectissimi, pro vulgari *Aer percipiat ardorem*. Wak.

606. *Parvis*, quasi ex *multis* particulis minutis ardores constarent; ut *parvis humoribus*, VI, 1176. *Wak.*

607. *Quod genus ;* II, 194.

608. *Accidere.* Sic vetustissimi codices et castissimi, L, M, undequaque recte. Nimirum voces *incendia passim* sunt ὑφ' ἓν accipiendæ. Dicit igitur Lucretius, « Latissima incendia accidere, vel *attingere* stipulam, ex scintilla una ». Quibus nihil planius, et poetice

Digitized by Google

Forsitan et rosea sol alte lampade lucens
Possideat multum cæcis fervoribus ignem
Circum se, nullo qui sit fulgore notatus,
Æstifer, in tantum radiorum exaugeat ictum.
Nec ratio solis simplex ac recta patescit,
Quo pacto æstivis e partibus Ægocerotis
Brumaleis adeat flexus; atque, inde revortens,
Canceris ut vortat metas ad solstitialeis:
Lunaque mensibus id spatium videatur obire,
Annua sol in quo consumit tempora cursu:
Non, inquam, simplex heis rebus reddita causa est.
Nam fieri, vel cum primis, id posse videtur,

magis exquisitum, aut magis Lucretianum denique: conferas IV, 216. *Wak.*

609. *Forsitan, et rosea*, etc. Tertiam rationem affert.

610. *Possideat.* Suppl. Est etiam quoque, ut: vs. 603. — *Cæcis*, id est, obscuris, quos non oculi contingunt; vel, ut ipse Carus confestim explicuit, qui sunt fulgoribus destituti, et in effectibus solum sentiuntur. *Wak.*

611. *Nullo qui sit fulgore notatus*, (sed qui) *Æstifer*, etc. Qui non fulgeat, neque ideo cernatur; sed tamen æstum emittat, et solis radiorum vim *in tantum*, tam valide, tam acriter innutriat et augeat. Virgil. Æn. VI, 877: « *In tantum* spe tollet avos ». Ed.

613. *Nex ratio simplex.* His 36 vss. sqq. quærit Lucretius: cur sol deflectens a solstitio æstivo deflectit ad brumam Capricorni: et contra. Deinde cur luna singulis mensibus peragit spatium, quod nonnisi singulis annis percurrit sol. Cujus utriusque rei non unam ac simplicem causam afferri posse ait, sed multiplicem. *F.* — Vide etiam in Disq. var. — *Patescit*: ut *porta* scilicet, per quam recta possis ingredi, ad salutandam, atque amplectendam in fano suo delitescentem Veritatem. *Wak.*

614. *Partibus*; zodiaci sectionibus. — *Ægocerotis.* Ægoceros signum est cœleste, quod Latinis dicitur Capricornus; quod sidus sol ingrediens efficit brumam, seu brumale solstitium. *F.* — Lucan. IX, 537; X, 213; Senec. Thyest. 865.

615. *Brumaleis flexus.* Tralatio a certaminibus olympicis; significat autem id quod vulgus solstitium brumale appellat. *Lamb.*

616. *Canceris*; a recto *Cancer* neutrius generis: vide Priscian. VI, p. 697. — *Vortat.* Editiones nonnullæ ponunt *se* post *metas*; audacter, et inscite. Sed enim de hoc genere verborum, absolute positorum, sæpius jam diximus. Vide ad IV, 136. Confitendum est interea, voces *revortens* et *vortat* sic minus eleganter contexi tamen, atque auribus lautorum hominum compurgatis insuavius accidere. Forte an posuerit Lucretius: *veniat. W.*—*Metas solstitiales*, solstitium æstivum.

617. *Mensibus*; singulis scilicet.

620. *Nam fieri*, etc. His 16 vss. continetur Democriti sententia. — Et veterum philosophorum opiniones de conversionibus solis videas, si libeat vacetque, apud Plutarchum, de Plac. Phil. II, et D. Laertium, X, 93, quos longum esset singillatim exscriptos dare.

Digitized by Google

Democriti quod sancta viri sententia ponit:
Quanto quæque magis sint terram sidera propter,
Tanto posse minus cum cœli turbine ferri;
Evanescere enim rapidas illius et acreis
Imminui subter vireis; ideoque relinqui
Paullatim solem cum posterioribu' signis,
Inferior multum quod sit, quam fervida signa:
Et magis hoc lunam; quanto demissior ejus
Cursus abest procul a cœlo, terreisque propinquat,
Tanto posse minus cum signis tendere cursum.
Flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur,
Inferior quam sol, tanto magis omnia signa
Hanc adipiscuntur circum, præterque feruntur.
Propterea fit, ut hæc ad signum quodque revorti
Mobilius videatur, ad hanc quia signa revisunt.
Fit quoque, ut e mundi transvorsis partibus aer

621. *Democriti quod*, etc. III, 372.

622. *Quanto magis.* Quanto sint nobis propinquiora, *propter*, prope *terram*, atque ita a cœlo remotiora. *Lamb.*

623. *Cœli turbine.* « Quod impetu scilicet velocissimo circum rotatur, ad similitudinem volitantis turbinis »: conferas Virg. Æn. VII, 378. *Wak.*

624. *Evanescere.* I. e. *sensim*, magis ac magis, *vanescere*. Signatum est, et efficax, et speciosum vocabulum in primis. *Wak.*

625. *Imminui subter*; rapida enim vis motus supremi cœli, priusquam attingit inferiores orbes, paullatim imminuitur. *Creech.* — *Relinqui*, superari celeritate. *Lamb.*

627. *Inferior*, humilior, demissior, longe infra sidera ignifera supremi cœli.

628. *Et magis hoc.* Et lunam magis quam solem relinqui, superari celeritate; vel *hoc* dictum pro: ob hoc, propter hanc causam. — Ordo est ac sensus: Et magis (a fortiori nempe) hac de causa lunam tanto minus posse tendere cum signis, quanto, etc. *Wak.*

630. *Tendere cursum*, celerare motum, contendere cursum, ut Virg. Æn. V, 834.

631. *Flaccidiore.* Et quanto tardiore, languidiore motu fertur.

633. *Adipiscuntur;* assequuntur. — *Circum.* Voces *signa circum* ὑφ' ἓν accipiendæ sunt, pro *signa cingentia;* quod in re pari nuper ediximus faciendum ad vs. 608; nam editores vulgo ὑποστίζουσι post *adipiscuntur;* perperam: quod Bentleius quoque perspexerat. *Wak.*

635. *Mobilius.* I. e. *velocius*, aptius ad movendum. *W.* — *Ad hanc revisunt*, II, 359, 360.

636. *Fit quoque, ut e mundi*, etc. His 13 vss. continetur altera opinio, quæ Epicuri fuit, de solis gressu et regressu ab alterutro ad alterutrum tropicum, Cancri et Capricorni. *F.* — *Transversis;* oppositis, contrariis.

Digitized by Google

Alternis certo fluere alter tempore possit,
Qui queat æstivis solem detrudere signis
Brumaleis usque ad flexus gelidumque rigorem;
Et qui rejiciat gelidis ab frigoris umbris
Æstiferas usque in parteis, et fervida signa.
Et ratione pari lunam stellasque putandum est,
Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos,
Aeribus posse alternis e partibus ire.
Nonne vides etiam divorsis nubila ventis
Divorsas ire in parteis, inferna supernis?
Quî minus olla queant per magnos ætheris orbeis
Æstibus inter se divorsis sidera ferri?
At nox obruit ingenti caligine terras,

637. *Alter aer;* qui alternet cursus signorum scilicet, ea remittendo ab australibus partibus, postquam prior aer illuc a borealibus dejecerit. *Wak.*

638. *Queat aer detrudere.* Sic censuit etiam Anaximenes, teste Plutarcho, Plac. Phil. II, 23 : Ἀναξιμένης, ὑπὸ πεπυκνωμένου ἀέρος καὶ ἀντιτύπου ἐξωθεῖσθαι τὰ ἄστρα : quod Epicurus nuncupavit compressiore phrasi ἀέρος ἀντέξωσιν, apud Diog. Laert. X, 93. *W.*

639. *Gelidum rigorem.* I. e. rigidam brumæ glaciem. Manilius de *bruma*, II, 419 : « Hinc *rigor*, et *glacies* ». *Wak.*

640. *Frigoris.* I. e. *brumæ;* ut Maro, Ecl. II, 22. — *Umbris.* Hoc dicit ob majorem *noctium* brumalium longitudinem. Similiter Mantuanus de continuis Scythiæ *noctibus* per hyemem, in Georg. III, 357 locutus est. *Wak.*

643. *Volvunt magnos annos.* An quia lente luna et stellæ inferiores circumferuntur, ut noster innuit vs. 628 sqq.? Ergo *annos* hic non duodecim tantum menses significat, sed longam temporis periodum. Cf. I, 312, et 1028. Ed.

644. *Aeribus;* IV, 292. — *E partibus.* Nempe, e diversis alternatim cœli plagis; e borealibus ad australes, ac vicissim. *Wak.*

646. *Inferna supernis.* Nimirum, inferna *diversa* supernis : ad gemellum schema regiminis istius ad III, 1051 in divinis versibus : « *eadem aliis* sopitu' quiete est ». *Wak.*

647. *Qui minus.* Quid igitur impedit quin per magnos cœli orbes sidera ipsa *æstibus*, flatibus aeris, inter se diversis ferantur? *Creech.*

649. *At nox obruit*, etc. His 6 vss. explicat causas noctis. Bene quidem, ut par erat, causam noctis in solis recessum rejicit : at minus sane putat solem recedere, ac tenebras referre, quia longo itineris cursu labefactatus proprios jamjam ignes efflavit. Resipiscit tamen dum aliam, quæ vera et germana est, rationem reddit, nempe, quia sol pari vi ac potentia vicissim et indesinenter fertur super et subter terras. *F.* — *Obruit caligine terras.* I. e. ruit ob, vel *in* terras ingenti *cum* caligine; nam fuerit tironibus frugiferum non alere νοῦν ἀδόκιμον, sed ubique veras orationis structuras diligenter investigasse : hinc enim solide proficitur. *Wak.*

Digitized by Google

Aut, ubi de longo cursu sol ultima cœli
Impulit, atque suos efflavit languidus igneis,
Concussos itere, et labefactos aere multo;
Aut quia sub terras cursum convortere cogit
Vis eadem, supra quæ terras pertulit, orbem.
  Tempore item certo roseam Matuta per oras
Ætheris Auroram defert, et lumina pandit;
Aut quia sol idem sub terras ille revortens
Anticipat cœlum, radiis accendere tentans;
Aut quia conveniunt ignes, et semina multa
Confluere ardoris consuerunt tempore certo,
Quæ faciunt solis nova semper lumina gigni.

651. *Impulit.* I. e. vel rotarum atque ungularum equinarum, vel radiorum verberibus. *W.* — *Efflavit igneis.* I. e. *equi* defessi suos ignes consumpserunt, nec habent quos spirent amplius. *Wak.*

652. *Concussos itere.* I. e. longæ ac difficilis viæ succussionibus defatigatos. Sermonem scilicet ab agente ad actionem, ab *equis* ad *ignes*, more poetico venuste transtulit. *W.* — *Itere,* itinere. Sic solebant antiquissimi : vide Sosip. Charis. lib. I, p. 63, 106, ex Julio Hygino, Pacuvioque, exempla proferentem. Nonius etiam Marcellus, VIII, 13. *W.* — *Labefactos aere multo.* Per iter longissimum scilicet pulsibus aeris, propter cursus celeritatem, violentius impingentibus, et corpora everberantibus : conferas IV, 935; VI, 1026. *Wak.*

654. *Vis eadem,* quæ pertulit orbem solis supra terras, cogit eum, etc.

655. *Tempore item certo,* etc. His 24 vss. quærit Lucretius, cur fiat Aurora. — *Roseam Matuta.* Attendas velim, quam suo ordine procedant omnia, et concinne quadrent. *Matuta* nimirum, quæ est Leucothoe dea, sive Albunea, *Auroram* præcedit, atque ancillari quodam ministerio deducit : i. e. *alba lux* gradatim pedetentimque *roseæ*, vel rubræ, *luci* locum dat. Quo quid verius et appositius? *Wak.*

656. *Auroram defert;* obsequiosum scilicet per officium deducit. *Wak.* — *Lumina pandit;* ob *divergentes* in quamlibet partem radios : vide me ad I, 145. *Wak.* — Verum tenor orationis figuratæ, quo versus Lucretiani perducuntur, me cogunt credere nostrum initio scripsisse : « limina pandit ». Quid opportunius, et elegantius, aut ex omni parte convenientius? Nempe, « postquam Matuta sit Auroræ ancillata usque ad extremitates ætheris, lucidis *digitis*, ut *ingrediatur* mundum inferiorem, ei *portarum valvas aperit*, atque intromittit obsequiose ». *Wak.*

658. *Anticipat tentans.* I. e. luci splendidiori præludit, quasi prævium faciens experimentum sui. Pulcherrima est locutio. *Wak.*

659. *Ignes, et semina ardoris.* Per hendyaden, ignea et ardentia semina. *W.*

661. *Solis nova semper lumina;* adeo ut oriens sol alius sit atque non idem occidenti, sed de novo prorsus confluentibus flammæ seminibus constitutus; sole, qui præcesserat, labefacto penitus consumptoque : ad hypothesin nimirum superiorem, in vss. 650-653. *W.*

Quod genus, Idæis fama est e montibus altis
Dispersos igneis orienti lumine cerni;
Inde coire globum quasi in unum, et conficere orbem.
Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Esse, quod hæc ignis tam certo tempore possint
Semina confluere, et solis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo quæ tempore fiunt
Omnibus in rebus; florescunt tempore certo
Arbusta, et certo dimittunt tempore florem:
Nec minus in certo denteis cadere imperat ætas
Tempore, et impubem molli pubescere veste,
Et pariter mollem malis demittere barbam.
Fulmina postremo, nix, imbres, nubila, ventei,
Non nimis incertis fiunt in partibus anni.

662. *Quod genus;* II, 194. — *Idæis.* In Ida, qui mons est omnium, qui sunt ad Hellespontum, altissimus, inquit Diodorus. Ad rem confer Diod. Sic. Bibl. XVII, 7; Pompon. Melam, De situ orbis, I, 18. — Conferas Priscian. Perieg. 527; Eurip. Troad. 1068; Ion. 88, cum annotationibus meis ibidem; Plin. Hist. Nat. II, 8, ed. Harduin. Nam fabula orta est ob altitudinem montis, mature radios solis accipientem, nondum supra horizonta visi. *Wak.*

663. *Orienti lumine.* Oriente Sole. — De ablativo participiorum in *i* conf. Ruddim. Inst. Gr. I, p. 88, not. 98; et Bentl. ad Hor. Od. I, 2, 31. *Forb.*

665. *Nec tamen illud in his,* etc. His 13 vss. posterioribus confirmat variis exemplis rem ita se habere posse, ut congregatis ignium seminibus soles alios atque alios semper splendere ac regenerari dicamus. *F.*

669. *Florescunt tempore certo.* Sic I, 175 et sqq. hæc eadem fere prosecutus est omnia.

671. *Denteis cadere.* Nempe, intra septem annos post partum, teste Solone; cujus versus exstant apud Clem. Alex. Str. VI, 16, et Phil. Jud. de opif. mund. p. 25, ed. Mangæi. *Wak.*

672. *Impubem pubescere.* Exquisita sane elegantia sermo est, et curiosissima felicitate. « Ille ἀνδρόπαις, qui *plenam pubertatem* nondum attigerit, *appropinquantis* tamen *pubertatis* indicia præ se fert, *amictu lanuginoso* proserpente, mentumque et genas induente; *barbæ capillaceæ* præcursore. *Wak.* — *Veste,* lanugine. Sic vs. 815 et 887. Unde investes, i. e. impuberes, Nonius. Sic Virg. Æn. VIII, 659: « Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis »; hoc est, lanugo, barba. *Lamb.*

673. *Demittere.* Demittitur enim barba quum crescit. Sic Virg. Ecl. VIII, 34, *promissa barba.*

675. *Non nimis incertis fiunt.* I. e. non valde sunt incerta temporibus, nec tamen æque certa, ac res positæ superius: « non semper eveniunt eodem prorsus tempore, nec admodum diverso tamen ». *Nix* enim, et *imbres*, extra ordinem, aliquoties *æstate* fiunt; et *fulmina* rursus per *hyemem*. Wak.

Digitized by Google

Namque, ubi sic fuerunt causarum exordia prima,
Atque ita res mundi cecidere ab origine prima,
Consequiæ quodque est jam rerum ex ordine certo.
Crescere itemque dies licet, et tabescere nocteis,
Et minui luces, quom sumant augmina noctes;
Aut quia sol idem, sub terras atque superne
Imparibus currens amfractibus, ætheris oras
Partit, et in parteis non æquas dividit orbem;
Et, quod ab alterutra detraxit parte, reponit
Ejus in advorsa tanto plus parte, relatus;
Donec ad id signum cœli pervenit, ubi anni

676. *Namque ubi*, etc. Secundum leges in prima mundi origine constitutas.

678. *Consequiæ;* pluralis casus pro singulari. — *Quodque* (i. e. eventum unum quodque) *est consequiæ*, vel consequentiæ, *ex ordine certo rerum.* Exspectavisses forsan *consequia* in unitatis numero; sed haud aliter veteres passim in permultis dictionibus, ut pæne pudeat huic inhærere: vide quæ dederim ad Sophoclis Philoct. 35. *Wak.*

679. *Crescere itemque dies*, etc. His 24 vss. varias item refert causas incrementi et decrementi dierum ac noctium alternatim: prima causa ex cœlo ducitur, quæ sane germana est ratio. *F.* — Vide Disq. var.—Ceterum causæ inæqualium dierum, quas noster ponit, rationibus Epicuri, quas Diogenes Laertius exhibuit, ad X, 98, lectoribus adeundus, haud videntur ex omni parte consentire. — *Tabescere nocteis.* I. e. quasi liquescere; i. e. pedetentim deminui. Ita Plautus etiam, Stich. V, 1, ult. «quasi senex, *tabescit dies* ». Wak.

680. *Luces*, dies; ut mox 687. Sic Nonius, XII, 39.

681. *Aut quia*, etc. Huic vs. respondet tandem versus 695.

682. *Amfractibus*, viis, flexibus, cursibus sinuosis. — M. Tullius, Somn. Scip. 2: «Quum ætas tua septenos octies *solis amfractus*, reditusque converterit», i. e. *circumflexiones* solis; nam *frangere* sæpe valet *flectere* tantummodo: de quo nos ad Silv. Crit. III, p. 141. Glossæ vetustæ: «*Amfractus*, περίοδος »: et redeas ad I, 719. *Wak.*

683. *Partit.* Sic solebant vetustissimi pro recentiorum forma *Partior;* adi Nonium Marcellum, ad VII, 63, 64. Vide sis etiam Priscianum, lib. VIII, p. 799; Valerium Probum, p. 1483, qui Ciceronem allegat. *Wak.* — *Orbem*, totum mundum, cœli et terræ globum. De cœlo tantum intelligi hanc vocem jubet *Lagrange;* rectius fortasse ob vs. 686.

685. *Tanto plus.* I. e. aquæ portioni tantum hinc addit sol, quantum illinc detraxerat. Speravisses, opinor, *tantumdem* vice *tanto plus :* sed vocula *plus* respicit definitam quamdam mensuram scilicet, quam in vs. 683, *æquam partem* poeta vocitaverat. *Wak.*

686. *Donec ad id signum.* His 9 vss. sqq. præclaram et elegantem instituit æquinoctii descriptionem. Duplex est signum, in quo æquinoctium contingit, Aries et Libra, in cujus utriusque initio mutua fit æquatoris et zodiaci intersectio. Qua in intersectione sol constitutus dies noctibus et noctes diebus

Digitized by Google

Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras :
(Nam medio cursu flatus Aquilonis et Austri
Distinet æquato cœlum discrimine metas,
Propter signiferi posituram totius orbis,
Annua sol in quo contundit tempora serpens,
Obliquo terras et cœlum lumine lustrans;
Ut ratio declarat eorum, qui loca cœli
Omnia, dispositis signis ornata, notarunt:)
Aut, quia crassior est certis in partibus aer,
Sub terris ideo tremulum jubar hæsitat igni,
Nec penetrare potest facile, atque emergere ad ortus;
Propterea noctes hiberno tempore longæ

pariter æquales reddit. Quod quidem semel contingit circa 22 diem mensis martii, et iterum circa 24 diem mensis septembris. *F.* — *Anni Nodus.* Nodum anni vocat illam zodiaci et æquatoris intersectionem.

688. *Medio* (in) *cursu flatus Aquil.*, etc. H. e. inter aquilonem et austrum, vel inter solstitium æstivum, et brumam; nempe in æquatore, in quo sol currens quasi medius lucet inter solstitium et brumam, seu inter austrum et aquilonem, qui venti sunt, hic a septemtrione, ille a meridie flans, et quos vulgo accipiunt poetæ pro septemtrionalibus et australibus partibus, seu pro septemtrionali et meridionali polo. *F.* — Constructio est : Nam cœlum ad æquales distantias, in medio Aquilonis et Austri, metas separatim tenet, vel seorsim habet. *Wak.*

689. *Metas.* Nempe tropicum Cancri et tropicum Capricorni, quæ sunt duæ metæ, ad quas sol accurrit, sed quas non prætergreditur. *F.*

690. *Signiferi totius orbis.* I. e. totius circuli sphærici, quem signa complent; vel zodiaci. Possis profecto voces *totius orbis* ad *metas* amandare; sed illam viam egomet malim ingredi. Cicero, De divin. II, 42 : « *signifero in orbe*, qui Græce ζωδιακὸς dicitur ». *W.*

691. *Contundit*, conterit, consumit. Sic vs. 618; cf. IV, 959. — *Serpens*, ob *tardiorem* motum respectu lunæ; vide vs. 617.

692. *Obliquo lumine.* Rem eleganter translulit a *semita* ad *solem*. Zodiacum Virgilius more minus poetico definivit, ad Georg. I, 239 : « Obliquus qua se signorum verteret ordo ». *W.* — *Terras lumine lustrans.* Redeas ad vs. 575 hoc libro. Virg. Æn. IV, 607. *Wak.*

693. *Eorum, qui*, etc. H. e. Astrologorum, et eorum qui scripserunt phænomena. *Lamb.*

694. *Dispositis signis.* Nempe in sua nomina, in suas formas, in suas sedes rite ordinatis. *F.*

695. *Aut, quia crassior est*, etc. His 5 vss. continetur altera causa, seu ratio incrementi et decrementi dierum ac noctium. Opponuntur vss. 681 sqq.

696. *Tremulum jubar :* nempe, vibrationibus et *quassationibus* hi tremores excitantur. *Wak.* — *Hæsitat*, hæret, tardius sese expedit. — *Igni*, soli, luci. Elegantius quam vulgata lectio *ignis*.

697. *Penetrare ;* nempe istum densum aerem.

Digitized by Google

Cessant, dum veniat radiatum insigne diei :
Aut etiam, quia sic alternis partibus anni
Tardius et citius consuerunt confluere ignes,
Quei faciunt solem certa desurgere parte.
Luna potest, solis radiis percussa, nitere;
Inque dies majus lumen convortere nobis
Ad speciem, quantum solis secedit ab orbe,
Donec eum contra pleno bene lumine fulsit,
Atque oriens obitus ejus super edita vidit :
Inde minutatim retro quasi condere lumen
Debet item, quanto propius jam solis ad ignem
Labitur ex alia signorum parte per orbem :
Ut faciunt, lunam quei fingunt esse pilai
Consimilem, cursusque viam sub sole tenere :
Propterea fit, uti videantur dicere verum.
Est etiam quare proprio cum lumine possit

699. *Cessant;* pigræ sunt; tardæ manent. — *Radiatum;* supra vs. 463. — *Insigne diei.* I. e. signum, vel ornamentum diei, radiis instructum; *diadema* scilicet. Virg. Æn. II, 392 : « clypeique *insigne* decorum ». *Wak.*

700. *Aut etiam*, etc. His 3 vss. continetur tertia ratio, cur noctes aut dies crescant; et respondent vss. 681, 695.

701. *Ignes;* id est, semina ardoris (ut modo vs. 659) quibus nova semper solis lumina gignuntur.

702. *Desurgere.* Alii legunt per anastrophen *certa de surgere.*

703. *Luna potest, solis*, etc. His 47 vss. sqq. quærit jam de lunæ lumine. Nimirum, qui fiat, ut in tot ac tam varias formas luna se vertat, ut modo plena, modo dimidiata, modo bicornis, modo tandem nulla appareat. *F.* — *Percussa;* II, 800.

705. *Ad speciem;* nostris oculis videndum obvertere.

706. *Eum contra.* Adversus solem; e regione solis; opposita soli. — *Pleno bene.* I. e. *valde* pleno, sive plenissimo : perlegas quæ dederim in Silv. Crit. sectt. LVIII, CCVI, de hac potestate vocis *bene,* et similium formularum in linguis aliis. *Wak.*

707. *Oriens*, dum oritur, ac surgit de orientali parte luna, jam supra terras elata, solem occidentem vidit.

708. *Condere lumen*, abscondere lumen, obscurari.

710. *Ex alia signorum parte.* Nimirum ex ea parte cœli, quæ sub terris latet. *Per orbem,* per circulum suum. *F.* — Ordo potius verborum, licet intricatus, esse videtur : Labitur ex alia parte per signorum orbem, per Zodiacum. Ed.

711. *Ut faciunt;* ut dicunt fieri, etc.

714. *Est etiam quare*, etc. His 16 vss. sqq. proponit sententiam eorum, qui non alieno, sed nativo et proprio lumine lucere lunam putant. *F.*

Digitized by Google

Volvier, et varias splendoris reddere formas.
Corpus enim licet esse aliud, quod fertur et una
Labitur, omnimodis occursans officiensque;
Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.
 Vorsarique potest, globus ut si forte pilai
Dimidia ex parti candenti lumine tinctus;
Vorsandoque globum varianteis edere formas.
Denique, eam partem, quæquomque est ignibus aucta,
Ad speciem vortit nobis, oculosque patenteis:
Inde minutatim retro contorquet, et aufert
Luciferam partem glomeraminis atque pilai:
Ut Babylonica Chaldæum doctrina, refutans

715. *Reddere formas;* phases exhibere.

716. *Corpus enim.* Volebant quidam, ut Anaximander et Antiphon, lunam propria lucere luce, sed interdum certis temporibus ac motibus corpus aliquod opacum lunæ corpori lucido quasi operculum obduci, ac vicissim subduci; qua ratione varius ac multiplex lunæ vultus bene concipiatur et explicetur. *F.*

717. *Officiensque.* I. e. *intercedens*, se interponens. Cicero, De Nat. Deor. II, 19: « Ipsa enim umbra terræ, soli *officiens*, noctem efficit ». Adi ad dicta in vs. 887. *Wak.*

718. *Potis est;* I, 453.

719. *Vorsarique potest*, etc. His 11 vss. sqq. alteram proponit eorum sententiam, qui lunam quoque proprio lumine lucere putarunt, sed qui corpus lunæ globosum ac in pilæ modum formatum esse voluerunt, quod media sui parte tingatur lumine, altera vero cæcum sit et tenebris suffusum. Quo fit, ut dum versatur ac in se vertitur, modo pleno luminis corpore, modo dimidiato, modo minimo, modo nullo nobis appareat. *F.* — *Globus pilai;* globosa pila; erant enim aliter figuratæ pilæ. *Wak.* — *Ut si forte* pila circa suum centrum *versetur:* quod v. ex præcc. supplendum.

720. *Lumine tinctus:* quasi *immersus* scilicet. Sed, qui sic locutus est sine epitheto, nondum inveni, quamvis formula sit omnino speciosa et laudabilis, quum de *luce*, ut *fluido*, passim Lucretius loquatur. *Wak.*

723. *Oculos patenteis.* I. e. os manifestissime obversum, et illuminatum plene, ita ut oculis apertissimis Luna nos adspiciat. Hoc modo intelligenda est venustissima phrasis, et specie prorsus poetica figurata; editorum tamen nemini percepta, vel interpretum, eam ad oculos spectatoris inscitissime revocantium. *Os* nimirum de stellis locutio pervulgata est; *oculus* autem sic adhibitus, multo rarior. *Wak.* — Equidem, si ita locutus est Lucretius, eum nimis exquisite fecisse arbitror; neque tamen omnino placet altera interpretatio. Ceterum cf. infra vs. 776. Ed.

725. *Glomeraminis atque pilai:* divise, per hendyadem, pro *glomeratæ pilæ;* et similiter nuper supra vs. 719. *Wak.*

726. *Ut Babylonica Chaldæûm*, etc. Chaldæos et Babylonios Astrologiæ fuisse peritissimos testantur veteres. Unde Manilius I, 41, docet Astrologiam

Digitized by Google

Astrologorum artem, contra convincere tendit:
Proinde quasi id fieri nequeat, quod pugnat uterque;
Aut minus hoc illo sit quur amplectier ausis.
Denique, quur nequeat semper nova luna creari,
Ordine formarum certo certisque figuris,
Inque dies privos aborisci quæque creata,
Atque alia illius reparari in parte locoque;
Difficile est ratione docere, et vincere verbis:
Ordine quom videas tam certo multa creari.
It Ver, et Venus; et, Veris prænuntius, ante
Pennatus graditur Zephyrus, vestigia propter

primum a Diis datam regibus Babyloniorum et Chaldæorum. *F.* — *Doctrina.* Berosum innuens, de quo Vitruvius, IX, 4: « *Berosus*, qui, a *Chaldæorum* civitate, sive natione, progressus, in Asia etiam disciplinam patefecit ». Nonnulli malunt, *Chaldæam;* quod nullo modo tolerandum, quum satis sit Babylonicos astronomos cum Græcis Lucretio componi. *Wak.*

727. *Astrologorum artem.* I. e. *astrorum rationibus* investigandis operam dantium; qui postea *astronomi* vocati sunt, priore nomine illis reddito, qui ex astris augurabantur. *Wak.* — *Convincere tendit;* III, 524.

728. *Quod pugnat uterque.* I. e. de quo Græci Chaldæique digladiantur. Cicero, in Epist. ad Famil. III, 10: « *Illud pugna;* et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur ». *Wak.*

730. *Denique, quur nequeat,* etc. His 20 vss. sqq. tertiam proponit sententiam Epicuri, qui putavit lunam quotidie novam creari et interire, cum certa figura ac forma · quemadmodum solem voluit quotidie exstingui ad occasum, et rursus creari ad ortum. *F.* — *Semper;* singulis diebus; cf. supra vss. 650-653, et 659-665.

731. *Formarum,* varii vultus et aspectus, quem nobis exhibet luna. *F.*

732. *Aborisci:* ἀρχαϊκῶς haud dubie, quamvis de verbi forma nihil alibi reperire quiverim, pro *aboriri:* i. e. *abortum pati*, vel perdi, et interire: redeas ad III, 156. Facile fuisset cum quibusdam doctis reponere *abolesci;* nos autem optimis codicibus standum esse existimavimus. *Wak.* — *Quæque creata.* I. e. unaquæque forma lunæ, quæ varie figurata singulis diebus subnascatur. *Wak.*

734. *Vincere verbis;* Virg. Georg. III, 289.

735. *Multa creari.* Sic enim, verbi gratia, certo et inviolabili tempore sese subsequuntur anni tempestates; quas statim noster poetice admodum designat.

736. *Venus.* Venus quippe generationis Dea comitatur vernum tempus. Cujus laudes præclare cecinit Poeta initio lib. I, usque ad vs. 24. *F.* — *Veris.* Vide Disq. var.

737. *Pennatus Zephyrus:* κουφόπτερος, uti nominatur in hymnis Orphei, LXXX, 6. Et hi versus Lucretiani sunt in elegantissimis antiquæ poeseos reliquiis, et omnes numeros descriptionis hilarioris explent. Porro, ne cum aliis omnibus fallaris, admonendus es, lector; *pennas* Zephyri sub *auribus* esse positas, non appensas *humeris*, uti recentes pictores exhibent. *Wak.* — Qua in re errat vir doctissimus; cf. præter alios

Digitized by Google

Flora quibus mater præspargens ante viai
Cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet:
Inde loci sequitur Calor aridus, et comes una
Polverulenta Ceres, et Etesia flabra Aquilonum.
Inde Auctumnus adit, graditur simul Evius Evan:
Inde aliæ Tempestates, Venteique sequuntur;
Altitonans Volturnus, et Auster fulmine pollens.
Tandem Bruma niveis affert, pigrumque rigorem
Reddit; Hyems sequitur, crepitans ac dentibus Algu.
Quo minus est mirum, si certo tempore luna
Gignitur, et certo deletur tempore rursus;
Quom fieri possint tam certo tempore multa.
  Solis item quoque defectus, lunæque latebras,
Pluribus e causis fieri tibi posse putandum est.
Nam, quur luna queat terram secludere, poscis,

Hirtius in *Bilderbuch für Mythol.* etc. II, p. 146. *Forb.* — *Vestigia propter Flora quibus;* propter Floram, quæ vestigiis suis, etc. Vide Disq. var.

738. *Viai cuncta*, etc. Viam omnem floribus egregii coloris et odoris replet.

740. *Inde loci.* H. e. ab illo loco, vel, ab illo tempore: h. e. postea, deinde. Sic vs. 789. — *Calor aridus*, æstas.

741. *Ceres.* Quæ frugum Dea fingitur; et *pulverulenta* dicitur quia *pulverulentam æstatem* comitatur; cf. Virg. G. I, 66.—*Etesia flabra.* Etesiæ, venti sunt, qui quotannis in vigore æstatis per undecim dies potissimum perflant post Caniculæ exortum. Etesiæ dicti quasi annui, a voce Græca ἔτος, annus. Plin. II, 47, 2, et Gell. II, 18. Hos Strabo vocat Subsolanos. *F.*— Isidorus, Orig. XIII, 1: « Etesiæ flabra aquilonis sunt ». Nempe quia flant inter septemtrionem et ortum solstitialem, unde ipse Aquilo.

742. *Evius Evan.* Bacchus, sic a voce Bacchantium εὐοῖ appellatus.

744. *Volturnus*, Euronotus. Ventus inter Eurum et Notum flans; a Latinis dictus Vulturnus, inquit A. Gell. II, 22. *F.* — *Auster.* Ventus meridionalis, qui flare solet autumnali tempore. *F.*

746. *Algu.* Vulgo ponitur *Algus;* sed, opinor, sine librorum scriptorum auctoritate. Nimirum hoc *Algu* erat ex nominibus monoptotis; adeas Sosip. Charis. lib. I, p. 23, et nos ad III, 732. *Wak.*

750. *Solis item quoque*, etc. His 21 vss. jam disputat de solis et lunæ defectibus ac laboribus, quos vulgo vocant *Eclipses.* Cujus rei non unicam reddit causam: neque unicæ causæ fidendum, aut vulgatis rationibus assentiendum censet; sed sceptice disputandum. *F.* —*Item quoque.* Sic etiam VI, 757; cf. III, 293.— *Lunæque latebras.* Virg. dixit *labores*, Georg. II, 478.

752. *Poscis*, quæris, vel quærere potes dum veras rerum causas undequaque perscrutaris. — Sensus loci, subtiliore dicendi genere involutus, sic

Digitized by Google

Lumine, et a terris altum caput obstruere ei,
Objiciens cæcum radiis ardentibus orbem;
Tempore eodem aliud facere id non posse putetur
Corpus, quod cassum labatur lumine semper?
  Solque suos etiam dimittere languidus igneis
Tempore quur certo nequeat, recreareque lumen,
Quom loca præteriit, flammeis infesta, per auras,
Quæ faciunt igneis interstingui atque perire?
  Et, quur terra queat lunam spoliare vicissim
Lumine, et oppressum solem super ipsa tenere,
Menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras;
Tempore eodem aliud nequeat succurrere lunæ

se habet : Poscis autem, cur luna terram queat obumbrare; tum aliud corpus putetur non posse idem facere? Nempe, qui dubitat de priore re, eidem liceat de posteriore quoque dubitare : quum vero priori assenserint plerique, nihil causæ est, quare et posteriori recusent assentire. Nobismetipsis certissima videtur hæc enarrandæ structuræ ratio; et dicendi formulas haud dissimiles lector reperiat ap. Virgil. Ecl. III, 90, Georg. II, 105, 106. *Wak.* — Vide Disq. var.

753. ***Et a terris;*** ne penetret ad terras. — ***Ei*** (II, 1136); id est, soli, quæ vox repetenda e vs. 750; vel potius dicenda est contineri in τῷ *lumine.* — — ***Altum caput;*** tam longe distans, unde augetur hypotheseos istius difficultas. *Wak.*

757. ***Dimittere igneis;*** atque hoc modo eclipsin pati, quemadmodum *noctem* etiam fieri quidam opinati sunt, uti dictum est superius, vs. 651. *W.*

758. ***Recreare.*** I. e. *de novo creare* lumen dimissum ac deperditum ob eclipsin factam. *Wak.*

759. ***Flammis infesta.*** H. e. luminibus suis inimica, ut loquitur vs. 769.

762. ***Oppressum solem.*** Non aliam adhibuit orationem Curtius, IV, 10, 5: «Lunamque deficere, quum aut terram subiret, aut *sole premeretur*». Wak. — *Super ipsa.* Quum ipsa terra sit super, solemque quodammodo ipsa subter se oppressum teneat.

763. *Menstrua.* Scilicet luna, quæ singulis mensibus cursum peragit. — *Rigidas umbras.* In proclivi est capere pro *frigidas;* hæc autem interpretatio ad usus loci nihil facit : intelligas ergo multo commodius *densas*, vel *crassas;* quum corpora, quo crassiora sint, ut plurimum sunt duriora et *rigidiora :* et hæc notio poetæ nostro in hoc versu opportunior est, quod de *cono*, speciem *rigidam* ac minime flexilem præ se ferente, jam sermo fiat. *Wak.* — *Coni umbras.* Quidam per conum intelligunt terram, quasi sit κωνοειδής, quum Arist. lib. II Meteor. dicat esse tympani figura, et lineas ab ejus centro ductas efficere duos conos. Verum significat poeta lunarem eclipsin fieri ob coniformem terræ umbram. *Fay.*

764. *Succurrere lunæ.* I. e. sub lunam currere, uti tellus facit; atque lucem lunarem similiter intercipere. Ubi notes velim primariam significationem vocis. *Wak.*

Digitized by Google

Corpus, vel supra solis perlabier orbem,
Quod radios interrumpat lumenque profusum?
Et tamen, ipsa suo si fulget luna nitore,
Quur nequeat certa mundi languescere parte,
Dum loca luminibus proprieis inimica per exit?
Quod superest, quoniam, magni per cærula mundi
Qua fieri quidquid posset ratione, resolvi;
Solis uti varios cursus lunæque meatus
Noscere possemus, quæ vis et caus̄a cieret;
Quove modo soleant offecto lumine obire,
Et nec opinanteis tenebris obducere terras;
Quom quasi connivent, et aperto lumine rursum
Omnia convisunt clara loca candida luce:
Nunc redeo ad mundi novitatem et mollia terræ
Arva; novo fetu quid primum in luminis oras
Tollere, et incerteis credunt committere venteis.
Principio, genus herbarum viridemque nitorem

766. *Radios;* solis videlicet.

768. *Languescere*, deficere, deliquium parti, laborare; cf. vs. 757.

769. *Lumin. inimica.* Sic locutus est vs. 759.—*Per exit.* Junge: exit per loca.

770. *Quod superest, quoniam*, etc. His 11 vss. quasi brevi epilogo resumit ea, quæ hactenus de cœlesti regione disputata sunt; deinde redit ad initium mundi, ut doceat quid primum in recenti mundi exortu sit natum. *F.*—*Magni cærula mundi.* H. e. cœli late patentis loca cærulea, I, 1089; VI, 96.

771. *Resolvi;* docui, omnibus solutis difficultatibus.

772. *Uti.* Ita ut possemus, etc.

774. *Offecto*, obducto, obstructo, et per alicujus corporis interpositionem ad tempus excluso. Sic locutus est II, 155. *Lamb.* — *Offecto lumine.* Similiter Apuleius, Met. V, uti solet, eleganter: « Jam nil *officiunt* mihi nec ipsæ nocturnæ *tenebræ* ». Redeas vs. 717. *Wak.*

776. *Connivent.* Lumen suum claudunt; suppl. sol et luna. — *Aperto lumine.* Sic de solis lunæque et *oribus*, et *vultibus*, poetæ nusquam non loquuntur: redeas ad vs. 705. *Wak.*

777. *Convisunt.* I. e. intuentur; *oculis* nimirum, postquam conniverint, reclusis. *Candida* autem valet, *albentia*, fulgentia. *W.*

778. *Mollia;* quia nascens mundi orbis *tener* fuit, ut ait Virg. Ecl. VI, 34.

780. *Credunt.* Quinam? philosophi scilicet; qui in rebus hisce explicandis operam ingenii posuerunt. *Wak.* — Empedocles scil. apud Pseudo-Plut. de Placitis phil. V, 26, et Theophrast. apud Porphyr. De abstin. II, 5. *Orell.*

781. *Principio.* Ita vss. 18, ortum rerum e recenti tellure enarrat Lucretius, ut ipsam originem spectasse videatur. *Creech.* — Similiter Porphyrius

Digitized by Google

Terra dedit circum colleis; camposque per omneis
Florida fulserunt viridanti prata colore:
Arboribusque datum est varieis exinde per auras
Crescundi magnum immissis certamen habenis.
Ut pluma atque pilei primum setæque creantur
Quadrupedum membris et corpore pennipotentum;
Sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
Sustulit; inde loci mortalia corda creavit
Multa modis multis, varia ratione coorta.
Nam neque de cœlo cecidisse animalia possunt,
Nec terrestria de salsis exisse lacunis.
Linquitur, ut merito maternum nomen adepta
Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.
Multaque nunc etiam exsistunt animalia terris,
Imbribus et calido solis concreta vapore.
Quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta

apud Euseb. Præp. evang. I, 9. *Wak.*

783. *Fulserunt prata.* Locum in eodem argumento præclarius ornatum non novi quodam Manilii, V, 256; nec Lucretius tamen cesserit. *Wak.*

785. *Immissis habenis.* Hinc ille Mantuanus haud dubie sua mutuatus evincitur, ad Georg. II, 363 : « lætus *ad auras Palmes* agit, laxis per purum *immissus habenis* ». *Wak.*

789. *Inde loci*, deinde; vs. 740. — *Mortalia corda;* i. e. *ipsos mortales*, vel *animalia mortalia;* sic a rationali parte denominatos recte τοῖς ἀλόγοις, *corpore* et *membris*, opposita. *Wak.* — Orellius tamen post Eichst. vulgatam *secla* reduxit, rejiciens *corda*, quod tum demum locum haberet, ubi de sensu aliquo humano sermo esset. Scio equidem lectionem *corda* uno codice Poor. niti, sed mihi cum Forbigero elegantior videtur, coll. vs. 862, et Virg. Georg. I, 330. Ed.

791. *Nam neque de cœlo*, etc. Cf. quæ jam de hac opinione dixit II, 1154 sqq.

792. *De salsis lacunis*, de mari, cujus aquæ salsæ sunt. — Et breviter alias hypotheses tangit Poeta, quum *aqua*, tam infesta hominum immersorum vitæ, atque *cœlum igneum*, nullo modo judicari possint illos produxisse. *Wak.*

793. *Maternum nomen*, etc. Sic II, 998, et infra jam vs. 819.

795. *Multaque nunc etiam*, etc. Probat a simili, ut aiunt, animalia principio e terra humida solis calore calefacta exstitisse; sicut nunc videmus procreari, v. g. ranas, vermes, et insecta. *F.*—Quam creationem animalium pereleganter descriptam nobis exhibuit luxuriosissimus Ovidii stylus in Met. I, 416-438, quem perlegas. *Wak.*

796. *Concreta.* I. e. in suas corporum figuras membratim coalescentia. Sic in sua brevi cosmogonia Virg. Ecl. VI, 34 : « ipse tener mundi *concreverit* orbis ». *Wak.*

797. *Tum*, initio mundi, in primo

Digitized by Google

Et majora, nova tellure atque æthere, adulta.
Principio, genus alituum variæque volucres,
Ova relinquebant, exclusæ tempore verno:
Folliculos ut nunc tereteis æstate cicadæ
Linquunt sponte sua, victum vitamque petentes.
Tum tibi terra dedit primum mortalia secla;
Multus enim calor atque humor superabat in arvis.
Hoc, ubi quæque loci regio opportuna dabatur,
Crescebant uterei terræ radicibus aptei:

mundi exortu; cf. quæ contra, II, 1151.

798. *Et majora, nova tellure*, etc. Quum enim Lucretius sibi objici posse videret, perfecta et adulta jam animalia non erumpere e terra, innuit his verbis terram nunc effœtam non posse gignere canem, leonem, et alia animalia: sed initio mundi potuisse, quum illa sua uberiore fœcunditate turgesceret. *Fay.* — *Adulta;* sic omnes libri veteres, et scripti, et effigiati typis; editores autem hodierni, solita cum impudentia, dederunt ex suis commentis *adulto:* putantes scilicet, casum sextum post *adulta* contra leges Latini sermonis stare; sed inscitissime. Ordo est et constructio: « *Adulta*, i. e. ad suam magnitudinem perducta, tellure nova, atque æthere *novo* ». Quæ ratio ne Lambino quidem displicuit. Vide quæ nos de hac dictione, non pœnitenda, disseruimus ad II, 1130. Ceterum, clarissime liquet, phrasin *æthere adulto*, i. e. qui *maturitatem* suam attigerit, menti poetæ atque apertissimis loci postulatis contradicere; quum omnia fingantur jam nascentia ex primordiis. Nimirum, *adoleo* et *adolesco* valent *crescere* vel *augere*. Consule Nonium Marcellum, I, 288; IV, 44. *W.*

799. *Principio, genus alituum*, etc. His 25 vss. sqq. docet quem ordinem secuta sit terra in procreandis animantibus, atque nutriendis. *F.* — *Variæque volucres;* I, 590; cf. et vs. 823.

800. *Ova relinquebant exclusæ.* I. e. pulli avium perrumpebant ovorum corticem. Vocem *excludo* Plinius et alii sæpe hoc sensu usurpant.

801. *Folliculos*, tunicas, ut dixit IV, 56. — *Tereteis.* I. e. rotundos et oblongos, ad proportionem corporis similiter tornati: vide Servium, ad Virg. Ecl. VIII, 16. *Wak.*

802. *Victum.* I. e. cibum. *Vitam*, i. e. aera et lucem; quibus hauriendis carpendisque vita animalium sustentatur: vide vs. 808. *Wak.*

804. *Humor superabat in arvis;* ut *tempore verno* scilicet nascentis mundi. Virgilius nonnihil hinc defloràvit, ad Georg. II, 330: « *superat* tener omnibus *humor* »; i. e. *omnibus arvis. Superabat* autem est *abundabat*, ἐπερίσσευεν· uti glossæ veteres: videas etiam Sallust. Catil. XX, 11, ibique Cortium, cum Nonio Marcello, IV, 414. *Wak.*

805. *Hoc*, id est, ideo, propterea, non *hoc modo*, ut ratus est Wak. *Orell.* — Vulgo *hinc.* — *Quæque loci regio.* Usitatissimum schema dicendi Lucretianum pro *cujusque loci regio.* Videas ad I, 475. Et *loci regio* est *situs* loci, vel positura. Virgil. *Æn.* VII, 215. *Wak.*

806. *Terræ*, casu tertio; *radicibus* sexto; ita certe locum intellexit Censorinus c. 4: « uteros radicibus terræ cohærentes primum increvisse ». *Orell.*

Digitized by Google

Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum, fugiens humorem, aurasque petissens,
Convortebat ibi Natura foramina terræ,
Et sucum venis cogebat fundere apertis,
Consimilem lactis; sic ut nunc femina quæque,
Quom peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
Impetus in mammas convortitur ille alimenti.
Terra cibum puereis, vestem vapor, herba cubile
Præbebat, multa et molli lanugine abundans.
At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras:
Omnia enim pariter crescunt, et robora sumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
Humanum, atque animans prope certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim:
Aeriasque simul volucres variantibu' formis.
Sed, quia finem aliquam pariundi debet habere,

808. *Humorem.* In quo videlicet infantes, in his uteris inclusi, natabant. — *Petissens.* Idem sane verbum, quod jam occurrit ad III, 648, etiamsi varie in codd. proferatur. Ed.

809. *Convortebat foramina.* I. e. occupabatur in his foraminibus dirigendis ad novos fetus; ut nutrix mammam convertit ad os infantuli, lac appetentis. *W.*

813. *Impetus alimenti.* Quoniam omnis liquor lacteus, per totum corpus diffusus, tum temporis in mammas cum impetu derivatur. *Creech.*

814. *Vestem vapor.* Hoc est in ausis concessis poetarum pro: vestem reddebat calor minus necessariam. *Wak.*

815. *Lanugine.* I. e. gramine lanuginoso et tenerrimo, ob novitatem rerum. *Wak.*

816. *At novitas mundi*, etc. Quomodo autem vim frigoris aut caloris ferre, aut vivere potuerunt, aut omnino nasci, quum sol exureret, frigus astringeret? Quia in principio mundi non erat hyems et æstas, sed perpetua temperies, et ver æquabile. *Lactantius.*

819. *Maternum nomen adepta.* Sic supra vs. 793.

821. *Fudit;* Virg. Georg. I, 13; Æn. VIII, 139.

822. *Omne:* ut adjectivum respiciat nomen vulgarius *animal*, in *animans* comprehensum. *Wak.* — Sed quidni sumamus Lucretium participium *animans* ipsum neutro genere adhibuisse? *Forb.* — *Bacchatur.* Bacchantium in morem vagatur. *Lamb.*

823. *Aeriasque.* Vulgatam cum Orell. et Forb. retinui, quæ unice vera videtur. Wak. *aeriæ*, nempe *fundebantur* subaudito; recte a doctis viris desertus. Ed.

824. *Sed, quia finem aliquam*, etc.

Digitized by Google

Destitit, ut mulier, spatio defessa vetusto.
Mutat enim mundi naturam totius ætas,
Ex alioque alius status excipere omnia debet,
Nec manet ulla sui similis res; omnia migrant,
Omnia commutat Natura et vortere cogit.
Namque aliud putrescit et ævo debile languet;
Porro aliud concrescit, et e contemtibus exit.
Sic igitur mundi naturam totius ætas
Mutat, et ex alio terram status excipit alter:
Quod potuit, nequeat; possit, quod non tulit ante.
  Multaque tum tellus etiam portenta creare
Conata est, mira facie membrisque coorta:
Androgynem inter utras, nec utramque, utrimque remotum:
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim;
Muta sine ore etiam, sine voltu cæca reperta;
Vinctaque membrorum per totum corpus adhæsu,

His 11 vss. præoccupat objectionem. Cur vero nihil horum fieri etiamnum videmus? quoniam ea est rerum conditio ut tandem finem faciant. Unde terra, sicut mulier longo ævo defessa languet, et finem pariendi facit. *F.*

825. *Spatio defessa;* II, 1175.

827. *Excipere;* subsequi. — Hic est maxime proprius verbi *excipio* significatus; unde ab *accipio* distingui possit. *Wak.*

828. *Omnia migrant,* πάντα μεταβαίνει, omnia mutantur et demigrant ex suo statu, aut ex sua forma. *Lamb.*

829. *Vertere;* neutre pro *verti;* ut sæpius; IV, 1126.

831. *E contemtibus;* infra vs. 1277. Exit e numero rerum quæ contemtui sunt, et jam inter magna et mirabilia habetur. Male, opinor, Fayus: « ex vili materia, ex fere nihilo exoritur ». Loco morbum inhærere suspicatur Wak. Ceteri silent. Ed.

832. *Sic igitur,* etc. vs. 826 sq.

834. *Quod potuit.* Ita ut jam nequeat facere quod olim potuit; jam etiam producat, quod olim non produxit. *Creech.*

835. *Multaque tum tellus,* etc. His 20 vss. verisimile fuisse tradit multa quoque initio mundi procreata esse monstra ac portenta, dum terra spontaneo partu in lucem edebat animalia. Verum docet ea non potuisse propagare suum genus. *F.* — Hæc, et alia Lucretiana, de fontibus Epicuri derivata, sibi destruenda sumpsit Lactantius, De opif. Dei, cap. 6, Lambino memoratus, atque dignissimus, qui perlegatur. *Wak.*

837. *Androgynem.* Ordo est, ac sensus: « Hermaphroditum, inter utram naturarum, virilis atque muliebris, quis velit; nec tamen, qui utramque naturam in se rite complectatur, quum sit æque remotus ab utraque ». *Wak.* — Vide Disq. var.

839. *Sine voltu,* sine oculis; vide Disq. var.

840. *Vinctaque,* etc. Vincta et con-

Digitized by Google

Nec facere ut possent quidquam, nec cedere quoquam,
Nec vitare malum, nec sumere quod volet usus.
Cetera de genere hoc monstra ac portenta creabat:
Nequidquam; quoniam Natura absterruit auctum;
Nec potuere cupitum ætatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.
Multa, videmus, enim rebus concurrere debent,
Ut propagando possint producere secla:
Pabula primum ut sint; genitalia deinde per artus
Semina, quæ possint membris manare remissis;
Feminaque ut maribus conjungi possit, habere
Mutua, quî nectant inter se gaudia uterque.
Multaque tum interiisse animantum secla necesse est,
Nec potuisse propagando procudere prolem.
Nam, quæquomque vides vesci vitalibus auris,

stricta membrorum *adhæsu*, colligatione et adhæsione, eaque per totum corpus. Vide ad III, 382; IV, 1238; VI, 472, etc.

842. *Volet*: at Lambinus, et editores alii, contra libros veteres universos, ni fallor, intruserunt de suo, *foret*; audacter et indocte. Nempe, antiquissimis *volet* officio recentioris *velit* sæpe videtur fungi. *Wak.*

843. *Creabat*, terra, i. e. *solebat creare*; nam hoc verbi tempore *series* talium portentorum *durabilis* ostenditur. *Wak.*

844. *Absterruit*, prohibuit, non passa est.

845. *Nec potuere*, etc. H. e. nec potuere ad justum ætatis robur ac vigorem pervenire. Cf. I, 556; III, 771.

846. *Per veneris res.* Sic II, 173, 437.

848. *Producere.* Wak. legit *procudere*, citato Non. Marc. II, 677; quæ vox minus bene cum *propagando* congruere videtur. Ut animantes genera sua propagare et multiplicare possint. Sed tamen infra vs. 854, omnes in voce *procudere* consentiunt: forsan igitur et hic bene habet; nisi dicas *prolem* potius *procudi*, formari, effingi; secla vero *produci*, multiplicari. Ed.

849. *Genitalia.* Sic I, 53, 168, etc.

850. *Quæ.* Vulgo *qua*; minus recte: nam nihil proficeret meatus, *quo* quid effluat; nisi provisum esset, *quod* effluat. *Wak.* — *Membris remissis.* I. e. *se remittentibus*, laxantibus, solventibus. Virgilius, Georg. IV, 199: « nec corpora segnes In Venerem *solvunt* ». *W.*

851. *Habere*; supple *debent* e vs. 847.

852. *Mutua.* Id est, mutuas partes, partes quibus mutuo conjungantur. Alii vero, sed forsan minus bene, *mutua* ad *gaudia* referunt: quod tamen defendi potest. Ed. — *Quî*, quomodo.

854. *Procudere*; vs. 848.

855. *Nam, quæquomque vides*, etc. His 21 sqq. docet interim, quid quæque animalia, quæ jam videmus, tutatum sit, ac conservaverit. *F.* — *Vitalibus auris*: quæ sunt utique ætheriis ignibus animatæ, atque hoc nomine ab *aeriis au-*

Digitized by Google

Aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas est
Ex ineunte ævo genus id tutata, reservans:
Multaque sunt, nobis ex utilitate sua quæ
Commendata manent, tutelæ tradita nostræ.
Principio, genus acre leonum sævaque secla
Tutata est virtus, volpeis dolus; ut fuga cervos.
At levisomna canum fido cum pectore corda,
Et genus omne, quod est veterino semine partum,
Lanigeræque simul pecudes, et bucera secla,
Omnia sunt hominum tutelæ tradita, Memmi!
Nam cupide fugere feras, pacemque sequutæ
Sunt et larga suo sine pabula parta labore:
Quæ damus utilitatis eorum præmia causa.
At, queis nil horum tribuit Natura, neque ipsa
Sponte sua possent ut vivere, nec dare nobis

ris, seu *non vitalibus*, distinguuntur. Hinc Virg. Æn. I, 546: « si *vescitur aura Ætheria* ». *Wak.*

856. *Aut dolus, aut virtus, aut mobilitas.* Simili modo noster, ad III, 741, 742, quo redeas. Virg. Æn. II, 390. Jam vero constructio verborum, quam nemo videtur perspexisse, sic se habet: « Mobilitas, tutata id genus, reservans est *ea*, quæcumque ». Phrasin vero *reservans est*, pro *constanter reservat*, vel reservavit et etiamnum reservat, nos attigimus in Silv. Crit. II, p. 17. *W.*— Construe: Mobilitas est tutata id genus, idem reservans, ita ut idem conservaret. *Orell.*

857. *Ex ineunte ævo.* Ab initio mundi, a primo mundi exortu.

859. *Commendata.* I. e. *se commendantia;* ad mediæ vocis significatum: ut sæpe alibi. *Wak.* — *Tutelæ tradita nostræ.* Constructio est, et sensus: Multaque sunt, tradita (i. e. commissa) tutelæ nostræ, quæ manent *in hunc usque diem*, commendata nobis ex sua utilitate. *Wak.*

860 sq. *Genus acre leonum*, etc. Cf. similia ad III, 741 sq.

862. *Levisomna.* Canes enim levem somnum dormiunt; e somno facile excitantur. Unde ab Hor. Od. III, 16, 2, dicuntur *vigiles*. *F.*—*Canum corda;* pro *canes ipsi:* perlegas de hoc schemate nuperrime adnotata sub vs. 789. *Wak.*

863. *Veterino,* vecturæ idoneo. « Veterina, inquit Nonius, animalia dicuntur ea, quæ vehere quid possunt »; citatque hunc Lucretii versum. Et Festus, « Veterinam bestiam jumentum Cato appellavit a vehendo. Opilius veterinam dici putat, quasi venterinam, vel uterinam, quod onus ad ventrem religatum gerat». *Lamb.* — *Partum*, prognatum, procreatum.

864. *Bucera secla*, boves; II, 662; VI, 1236.

865. *Tutelæ tradita;* vs. 859.

866. *Sequutæ;* scil. pecudes, vs. 864; vel respicit remotius subjectum *animantes*, quo sæpius Lucretius genere feminino utitur. *Forb.*

867. *Suo sine;* quæ facile sibi et sine

Digitized by Google

Utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
Præsidio nostro pasci genus, esseque tutum;
Scilicet hæc alieis prædæ lucroque jacebant
Indupedita suis fatalibus omnia vinclis,
Donec ad interitum genus id Natura redegit.
Sed neque Centaurei fuerunt, nec tempore in ullo
Esse queunt; duplici natura et corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas,
Hinc illinc par vis ut non sic esse potissit:
Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.
Principio, circum tribus actis impiger annis
Floret equus; puer haud quaquam; quin sæpe etiam nunc

labore comparabant; nam ea nos illis ob merita, ut mercedem, tribuimus.

871. *Quare*, propter quam utilitatem. Neque enim interrogatio est, sed mera enunciatio; quod non videre Creech., Eichst. et Forb. a Lamb. tamen moniti. Ideo interrogationis signum post *tutum* posuere. Male: nam series orationis aliud postulat: « At animalia, quæ neque *sponte sua*, propriis viribus, ut leones, neque *præsidio nostro* ob utilitatem, ut oves, vivere possent, necesse fuit cuncta interire ». Ed. — *Quare* non est part. interrogationis, sed causalis, « quam ob causam, propter quam utilitatem ». *Orell.*

872. *Tutum*. I. e. defensum; uti Virgilius plus semel. Sic Æn. VI, 238: « *tuta* lacu nigro, nemorumque tenebris ». Similiter ibid. I, 571; VIII, 603. *W.*

874. *Indupedita*; I, 241; II, 101. — *Fatalibus vinclis*; vinculis miserrimæ naturæ, quibus eos fatum devinxerat.

876. *Sed neque Centaurei*, etc. His 47 vss. sqq. docet interim nullos in primo mundi exortu, neque in alio tempore, exstitisse Centauros, Scyllas, Chimæras, et alia id genus portenta. *F.* — Cf. IV, 734. — *Fuerunt*. Corripitur perfectum, ut sæpius; cf. III, 86, 135; IV, 41, etc. Wakef. *fuerant*, sine causa. — Immoratur huic opinioni refellendæ, respiciens non solum fortasse ad fabulam de Centauris, sed etiam ad Empedoclis illud vs. 214, πολλὰ μὲν ἀμφιπρόσωπα, κ. τ. λ. Ceterum Centauros Scyllasque apud poetas et in antiquis monumentis passim conjungi observat Visconti Museo Pio-Clem. V, p. 21; Virg. Æn. VI, 286; Stat. Silv. V, 3, 280. *Orell.*

879. *Hinc illinc*. Sensus est: Ita ut ex utraque parte monstri, ex homine puta et equo constantis, nequeat esse par utilitas membrorum: vel, Impossibile est, animantem sic compositam membris alienigenis utrobique fungi. *W.* — *Potissit*. Nimirum forma *potesse* facit in tempore instante indicativi modi *potessit*, et in eodem tempore subjunctivi *potissit*. Vid. Diomed. lib. I, p. 381; Plaut. Curc. V, 3, 23. *Wak.*

880. *Id*. Nempe in Centauris non posse hinc illinc parem vim esse; IV, 51. *Lamb.*

881. *Circum*; circiter; vel potius *circumactis*, ut sit tmesis. *Lamb.*

882. *Floret*; viget; ἀκμάζει. — *Etiam nunc*. Nempe quum jam tres annos natus est.

Digitized by Google

Ubera mammarum in somnis lactantia quæret.
Post, ubi equum validæ vires, ætate senecta,
Membraque deficiunt fugienti languida vita;
Tum demum, puerili ævo florente, juventas
Officit, et molli vestit lanugine malas:
Ne forte ex homine, et veterino semine equorum,
Confieri credas Centauros posse, neque esse:
Aut rabidis canibus succinctas, semimarinis
Corporibus Scyllas; et cetera de genere horum,
Inter se quorum discordia membra videmus:
Quæ neque florescunt pariter, nec robora sumunt
Corporibus, neque perficiunt ætate senecta;

883. *Ubera mammarum*. I. e. θηλὰς μαστῶν, *mammarum papillas*. Wak.— *In somnis*. Ita codices editique omnes; idque verum censeo. Puer triennis somnians tantum mammam quærit. Wak. conj. *insomnis*, difficilis, querulus. Per similem ἀδελφίαν rerum naturalium Haverc. *lætantia* recepit. *Orell.*— *Lactantia*, lac suppeditantia. I, 260, 886. Cf. Virg. Georg. II, 524.

887. *Officit*. I. e. intervenit, puerile scilicet ævum atque senectam ætatem, in vs. 884. Nihil liquidius faciliusque. Cicero Tusc. Dispp. V, 32: « At vero Diogenes liberius, ut cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, si quid sibi opus esset, Nunc quidem paullulum, inquit, a sole. *Offecerat* videlicet apricanti ». I. e. se *inter* eum ac solem *posuerat*. Sic noster modo superius, vs. 717, et alii non raro. Potest idem quod *obsto*, quæ verba Lucretius quoque consociavit, ad I, 338; II, 784. Nimirum in Pio et reliquis editoribus scriptum est *Occipit*; contra unanime ac luculentissimum testimonium membranarum omnium, et impressorum veterrimorum. *Wakef.* — *Officit*, obstat, interponit se lævori genarum. *Orell.*

888. *Veterino*. Supra vs. 863.

889. *Confieri*; II, 1069. — *Neque esse*. I. e. *vivere* et propagare vitam; etiam si possent sic compositi exsistere: compares vss. 844-847. Ad hunc autem modum mollius scribitur concinniusque; vulgo *nec esse*. Wak.

890. *Rabidis*. Ita prius ex conjectura non erubueram substituere pro *rapidis*, quum in his dictionibus confundendis sexcenties librarii peccaverint, quam intellexerim idem Heinsio excogitatum. Poteras sane vulgatum per *rapacibus*, vel *avidis* interpretari, propter *voracitatem*, de qua Homerus Od. M, 246, 256, et consulas Sabin. Epist. I, 33, cum nostris ad IV, 714; sed longe verissimum est in hoc loco *rabidis*: i. e. latratu sævientibus ac rabientibus. Similiter tantum non in quibusvis paginis poetæ de *canibus* loquuntur. Conf. Maronem Æn. V, 257; qui in Ecl. VI, 74, Lucretiana omnia oratione leviter immutata adumbravit. *Wak.*

891. *Scyllas*; IV, 734.

894. *Perficiunt*. I. e. *ad finem* ducunt, ita ut nequeat progredi; quod fit accedente senectute: conferas II, 1116. Sic autem legitur optime in O. ceteri

Nec simili Venere ardescunt, nec moribus unis
Conveniunt; neque sunt eadem jocunda per artus:
Quippe videre licet pinguescere sæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum.
  Flamma quidem vero quom corpora fulva leonum
Tam soleat torrere atque urere, quam genus omne
Visceris in terris quodquomque et sanguinis exstet:
Quî fieri potuit, triplici cum corpore et una,
Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra,
Ore foras acrem flaret de corpore flammam?
  Quare, etiam tellure nova cœloque recenti,
Talia qui fingit potuisse animalia gigni,
Nixus in hoc uno novitatis nomine inani;
Multa licet, simili ratione, effutiat ore.
Aurea tum dicat per terras flumina volgo

omnes, *proficiunt;* cujus loco consenserunt in emendatione Turnebi editores, *projiciunt:* sed nostra lectio probabilior. *Wak.*

896. *Eadem jocunda*, eadem grata alimenta, ut jamjam sese explicat vss. seqq. *F.*

897. *Quippe videre licet.* Sic lib. IV, vs. 642.

898. *Barbigeras pecudes,* capras. Sic VI, 971.

899. *Flamma quidem.* Probat nunquam fuisse Chimæram, etiam hoc argumento, quod, quum poetæ fabulentur, eam flammas ore efflare solitam, constet autem Chimæra ex leone, dracone, capra, seu ipsa Chimæra; leones proinde, ut ceteræ animantes, a flammis lædantur et torreantur. *Lamb.*

901. *Visceris et sanguinis.* Quæ potissimum scilicet violentia flammarum tentarentur. *Wak.*

902. *Quî;* quomodo.

903. *Prima;* τὰ πρῶτα, id est, κατὰ πρῶτα. *Faber.* — Ergo adverbialiter dictum vult. Equidem pro adjectivo unice accipio: quoad *prima* est, in prima sui parte. Similiter de verbo *prima* ambigitur ad Virg. Georg. I, 12. Hic autem nostra interpretatio melius procedere videtur ob τὰ *postrema* et *media.* Ed. — *Ipsa chimæra.* I. e. illud *ipsum* animal, a quo nomen tricorpori naturæ derivatur. Hæc est vis pronominis in hoc loco. *Wak.* — *Chimæra.* Sat explicat Poeta quid sit Chimæra. Sic Homer. Iliad. VI, 181; Hesiod. in Theog. 323; Virg. Æn. VI, 288, etc.

905. *Ore* suo leonis, ideoque facile comburendo.

907. *Nixus in hoc uno nomine.* Uno hoc vano argumento innixus quod tunc novus foret mundus. Wakef. post *uno* distinguit, nulla ratione, ni fallor: nam certe res eodem redit. Ed.

908. *Multa licet.* Potest pari modo multa alia mentiri. Nam *effutire* est cum mendacio dicere. Non. II, 272. Cf. Horat. Art. Poet. vs. 231.

909. *Aurea;* aurum pro undis volventia.

Digitized by Google

Fluxisse, et gemmis florere arbusta suesse:
Aut hominem tanto membrorum esse impete natum,
Trans maria alta pedum nixus ut pandere posset,
Et manibus totum circum se vortere cœlum.
Nam, quod multa fuere in terris semina rerum,
Tempore quo primum tellus animalia fudit;
Nil tamen est signi, mixtas potuisse creari
Inter se pecudes, compactaque membra animantum:
Propterea quia, quæ de terris nunc quoque abundant,
Herbarum genera ac fruges arbustaque læta,
Non tamen inter se possunt complexa creari:
Sed, si quæque suo ritu procedit, et omnes,
Fœdere naturæ certo, discrimina servant.
Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creasset;

910. *Gemmis*, margaritas pro floribus ferre. — *Florere*; ut nunc utique florent roribus, gemmas referentibus. Noster apposite, II, 319. *Wak.*

911. *Tanto impete.* I. e. tantum spatium uno conatu pedis valentium obire et complecti; conferas I, 200, et de hac vocis *impetus* potestate, v. 201 hujusce libri. *Wak.*

912. *Pandere.* I. e. cruribus semel divaricatis alta maria comprehendere; vel gradu simplice transire. Sic autem legitur emendatissime in P. L. editores inscite *ponere* effinxerunt e *pondere* librorum. *Wak.*

913. *Vortere*, rotare, movere.

915. *Tempore quo primum.* Phrasem Virgilius excepit, in Georg. I, 61. — *Tellus animalia fudit.* Redi vs. 821.

917. *Compactaque.* I. e. animalia e diversis corporibus composita: diversorum animalium membra in unum corpus colligata.

920. *Complexa*, ut *compacta*, vs. 817.

921. *Sed, si quæque*, etc. Ordo est et constructio: Sed, si (i. e. *quoniam*; vide nos ad I, 869, et alibi) quæque (i. e. *herba*, vs. 919) suo ritu procedit, et omnes (i. e. omnes *etiam herbæ ac fruges, omnigeni fetus terræ*) servant discrimina, naturæ certo fœdere. *W.*— Mallem equidem cum Orellio hæc præcedentibus adnectere ita supplendo: *sed* contra possunt tantummodo creari *si quæque*, etc. Ed.

923. *Et genus humanum*, etc. His 104 vss. seqq. jam docet de primis seu priscis hominibus. Itaque, quid humano generi contigerit ab ineunte mundi ætate, qua valetudine fuerit, quibusve moribus institutum; et cetera ejusmodi, rite prosequitur Lucretius. *F.* — *In arvis.* I. e. in saxoso telluris gremio conformatum; atque in apertis campis sub æthere nudo vitam degens. *Wak.*

924. *Durius*, etc. Hæc Virgilius respexit, ad Georg. I, 63, observante id etiam Lambino: « Unde *homines* nati, *durum genus* ». Et Noster in hoc loco,

Digitized by Google

Et majoribus et solidis magis ossibus intus
Fundatum; validis aptum per viscera nervis:
Nec facile ex æstu, nec frigore quod caperetur;
Nec novitate cibi, nec labi corporis ulla.
  Multaque per cœlum solis volventia lustra
Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robustus erat curvi moderator aratri
Quisquam, nec scibat ferro molirier arva,
Nec nova defodere in terram virgulta, neque altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.
Glandiferas inter curabant corpora quercus

cum vs. 778 collatus, vix sibi satis constare videri possit. *Wak.*

925. *Ossibus intus.* Arnobius lib. II, p. 54: « Et nobis *ex ossibus fundata* sunt corpora, et *nervorum* colligatione devincta ». *Wak.*

927. *Caperetur.* I. e. implicaretur, tentaretur, teneretur. Virgilius Æn. II, 384: « Ignarosque loci passim, et *formidine captos* ». Consulas insuper Nonium Marcellum IV, 48, et conferas Nostrum VI, 1250; Virg. G. III, 441, atque Horat. Sat. I, 1, 80. *Wak.*

928. *Labi corporis.* I. e. morbo, qui ruere facit, ac *labi* homines; uti Servius bene interpretatus est ad Virgilii Æn. II, 97: « Hinc mihi prima *mali labes* ». Wak.

929. *Lustra solis*, per multos annuos solis cursus; quod innuit tunc homines longævos fuisse.

930. *Volgivago*, vel vulgivago; i. e. turmatim errante. Sic IV, 1067. — Atque de solito sibi dixit Carus, « *Volgivago* more ferarum », vice tritioris ac plebeii, « *Volgivagi*, more ferarum »: i. e. sine certis domiciliis. W. — Conf. Cic. de Inv. I, 2.

931. *Nec robustus erat*, etc. Virgil. G. I, 125, et seqq.; Ovid. Met. I, 136; Tibull. Eleg. I, 3; Martial. XII, 63, et Manil. I, a vs. 66 ad vs. 96.

932. *Quisquam, nec.* Wak. post *aratri* male ponit semicolon, quod dicunt, et sequentia *quisquam nec scibat*, uno tenore vult pronuntiata. Longe melius in vulg. editt. Eichst. Orell. *quisquam* cum verbis prioris versus connectitur. *Forb.* — *Molirier.* Est autem *moliri arva*, colere agros, et meliores reddere cultu; magno labore invertere; Virgil. Georg. I, 494.

933. *Nec nova defodere*, etc. Hic vs. repetitur infra vs. 1365. Defodere autem in terram, Gallice *planter*. *F.*

935. *Quod sol*, etc. Hos versus elegantissimos idem Mantuanus presse imitatus est, in Georg. II, 500; atque adeo Macrobius locos jamdudum composuit, in Sat. VI, 1 fin. *Wak.*

936. *Placabat pectora*, sitim ac famem sedabat. *Pectora* reddebat *mitia*, quum fame furerent. Conf. Horat. Sat. II, 8, 5.

937. *Glandiferas inter*, etc. Primi enim homines vivebant glandibus. Virg.

Digitized by Google

Plerumque; et, quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta puniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus, etiam majora, ferebat :
Multaque præterea novitas tum florida mundi
Pabula dira tulit, misereis mortalibus ampla.
At sedare sitim fluviei fontesque vocabant;
Ut nunc montibus e magnis decursus aquai
Claru' citat late sitientia secla ferarum.
Denique, nota vageis, sylvestria templa tenebant
Nympharum, quibus excibant humore fluenta
Lubrica, proluvie larga lavere humida saxa,

Georg. I, 147. — *Curabant corpora.* Sic II, 31.

939. *Arbuta,* poma sylvestria.—*Puniceo;* II, 830.

942. *Pabula dira.* I. e. inamœnos, asperos, incultos cibos; σκληρὰν καὶ πονηρὰν δίαιταν, Græci : vide Euripid. Meleag. fr. IX, 5; Ælian. Var. Hist. II, 11. *Dira fames* Virgil. Æn. III, 256, ea est, quæ *diris* vescitur. *W.* — *Ampla;* sed tamen illis sufficientia; quibus mortales contenti essent.

943. *Sedare ... vocabant.* Hellenismus, pro, vocabant, ut sedarent; invitabant ad sedandam sitim.

944. *Decursus aquai.* Aqua ex loco declivi fluens. Sic vs. 264.

945. *Claru' citat.* Sic Forbiger, quem demum sequutus est Orellius. Vulgo *Claricitat,* id est, clara voce ciet. Sed hoc verbum, a Simeone Bosio de variis lectionibus erutum, recte impugnant viri docti. Vide in Disq. var. Ergo *clarus* hic est, clare sonans, e longinquo audiendus : ut I, 98; IV, 713; Virg. Æn. V, 139, al. Ed.

946. *Nota vageis.* Templa scilicet, ad quæ in erroribus, ut apta domiciliis, animum adverterant. *Wak.* — Sed vulgata lectio *noctivagei* manifesto vera : « quum noctu vagarentur cubile quærentes, sese recipiebant in antra ». Contra in altera lectione, si qui significatus inest, hic est : « etiam per diem tenebant, habitabant antra, quæ palantes aliquando invenerant ». Sed hoc utique minus aptum. *Orell.* — At omnia animalia sub adventum noctis, non per noctem cubile quærunt; immo non ubicumque, et temere, pernoctant. Primi igitur illi mortales, dum hinc inde vagarentur, antra domicilio apta notabant, et modo hanc, modo illam sibi sedem eligebant. Quidni autem ibi etiam interdiu recubuissent? Ed. — *Sylvestria templa.* I. e. antra montium *cavernosorum,* κολπώδεις κοιλότητας πετρῶν, vel *saxea tecta,* ut mox vs. 982. Redeas ad notas in I, 121, et locos ibi provocatos. *W.*

947. *Excibant.* I. e. exsuscitabant aquas et deproperabant Nymphæ : ad προσωποποιΐαν maxime venustam poeticamque. *W.* — Vulgares editi *exibant.* Orellius vero Wakefieldi mutationem propterea reprehendit, quod Lucretius talia deorum opera administrari ubique negaverit. At vero Lucretius non solum philosophus, sed etiam poeta vult haberi; cf. I, 1; VI, 92, 1075, etc. Sensus igitur nihil obstat, quin exquisitiorem illam scripturam comprobemus. *Forb.*

948. *Lubrica humore.* I. e. labentia,

Digitized by Google

Humida saxa super viridi stillantia musco;
Et partim plano scatere atque erumpere campo.
Necdum res igni scibant tractare, neque uti
Pellibus, et spoliis corpus vestire ferarum;
Sed nemora atque cavos monteis sylvasque colebant;
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare imbreisque coactei.
Nec commune bonum poterant spectare, neque ullis
Moribus inter se scibant nec legibus uti.
Quod quoique obtulerat prædæ fortuna, ferebat;

vel mobilia, propter humidam naturam; de elegantissima constructione. — *Proluvie.* « Aliquando *proluvies*, sola *effusio;* aliquando pro *aquis multis* ponitur. » Servius ad Æn. III, 217. *W.* — *Lavere;* Virg. Georg. III, 221. De loci constructione parum liquet. Lambinus jungi vult aut *exibant lavere,* ut laverent, quod amplectitur Orellius; aut *lubrica lavere*, quam rationem sequi videtur Creechius, sic exponens: « e quibus antris manabant aquæ, largoque humore saxa madefacere, partim vero per planos campos decurrere properabant ». Possis etiam locum ita construere: Antra Nympharum, e quibus ipsæ Nymphæ aquas effundebant, tam *larga proluvie,* ut partim lavarent... partim scaterent, etc. Forsan tamen præstat *excibant* ὥστε *lavere.* Ed.

949. *Humida saxa.* De hac venusta præeuntium verborum repetitione, dictum est ad II, 956, et alibi. — *Humida saxa*, ipsorum scilicet antrorum solum opertum musco, unde in subjectas antro rupes aqua desuper stillabat. *Orell.* — *Humida saxa,* quæ *super,* id est, supra, in superficie, *stillabant* aqua, ut *viridis muscus* quo obtecta erant, ipse etiam stillaret aqua. *Forb.* — Equidem nescio annon simplicius ac melius jungi possit « super viridi musco »; id est, saxa, e quibus aqua hinc inde per viridem muscum, sine alveo et quasi guttatim, deflueret. Ed.

950. *Et partim.* I. e. pars scaturiginum, superius ebulliens, per saxorum latera defluebat; pars ad pedem saxorum primum in æquora campi erumpebat. *W.* — Partim ut aqua per rimas rupium absorpta dein de plano campo per fontes erumperet. *Orell.*

951. *Scibant*, sciebant: sic vs. 957. — *Res igni tractare*, coquere cibos igne; aut potius igne uti, quomodo jam utimur. Diodor. Sic. I, 8: Οἰκήσεως δὲ καὶ πυρὸς ἀήθεις.

953. *Cavos monteis.* I. e. *templa montium.* Redi sis annotata nuper in vs. 946. Sic Mantuanus Æn. I, 81: « cavum montem ». *W.*

954. *Condebant.* I. e. una locabant acervatim, sine cura ac pudore, corpora, mox discretis thalamis curiosius ponenda. Nihil agunt, aut vident, qui interpretantur vocem per *abscondebant.* *Wak.*

955. *Verbera ventorum.* Vide notata ad I, 272; IV, 260, 939. Pariter Virgilius Georg. III, 382: « tunditur Euro ». *Wak.*

956. *Nec commune bonum*, etc. Societatis et reipublicæ commoda. De hac re infra vs. 1107.

958. *Quod prædæ;* eam prædam quisque rapiebat, quam, etc.

Digitized by Google

Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
Et Venus in sylvis jungebat corpora amantum:
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,
Vel violenta viri vis atque impensa libido;
Vel pretium, glandes atque arbuta, vel pira lecta.
Et manuum mira fretei virtute pedumque,
Consectabantur sylvestria secla ferarum
Missilibus saxis, et magno pondere clavæ;
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris:
Setigereisque pares suibus sylvestria membra
Nudabant terræ, nocturno tempore captei,
Circum se foliis ac frondibus involuentes.
Nec plangore diem magno solemque per agros
Quærebant pavidei, palantes noctis in umbris;
Sed tacitei respectabant somnoque sepultei,

959. *Sponte sua;* suæ vitæ suæque saluti consulere a natura edoctus. *Cr.*

961. *Quamque.* Suppl. feminam.

962. *Impensa,* impetuosa, vehemens, effrenata, magna. *F.*

964. *Et manuum mira,* etc. His 45 vss. aliis subseq. multa ac varia docet de primis hominibus. Vide in Disq. var.

967. *Multa.* Docto regimine referendum est adjectivum ad *secla,* loco τοῦ *ferarum,* in vs. 965. Adverbialiter quasi dictum sit, inscitissime Lambinus intellexit. *Wak.* — *Vitabant pauca:* utpote nihil timentes, propter magnitudinem virium suarum, ac rudium telorum pondus. *W.*—Vix aliquando latebrarum ope utebantur, ut feras, viribus scilicet præstantissimas, vitarent. Male profecto Creech. exponit: « paucæ feræ eorum vim et impetum vitabant ». Sic enim perit omnis loci oppositio et venustas. Ed.

968. *Sylvestria,* agrestia, rustica; Horat. Art. poet. 391. *Orell.* — Vide Disq. var.

969. *Nudabant terræ.* Poetice pro vulgari « *nuda* præbebant », vel *dabant;* quod editores impudentissimi Lucretio obtruserunt. *W.* — *Captei.* I. e. irretiti, prensi, translatione ex ferarum venatu sumpta; ut Donatus ad Terentii Andr. I, 1, 55. *W.*

970. *Involuentes,* vel *involventes.* Et vocabula « circum involvere » Vitruvius conjunxit X, 11. *W.*

971. *Nec plangore diem,* etc. Quorumdam philosophorum opiniones hic videtur ire oppugnatum Noster; pro quibus argumentatur Manilius non invenuste in I, 66. *W.*

972. *Pavidei.* Solent editores ὑποστίζειν ad *Quærebant;* sed τὸ *pavidi* nobis videtur imbecillum et supervacuum cum *plangore,* signatum vero atque pervenustum, si retuleris ad *palantes.* Virgilius Æn. II, 489: « pavidæ errant ». *W.* — Nos cum Orell. et Forb. simplicissimam interpungendi rationem sequimur. Ed.

973. *Taciti respectabant.* Hoc est: Sine plangoribus se quieti dabant somno-

Digitized by Google

Dum rosea face sol inferret lumina cœlo.
A parvis quod enim consuerant cernere semper,
Alterno tenebras et lucem tempore gigni,
Non erat, ut fieri posset, mirarier unquam,
Nec diffidere, ne terras æterna teneret
Nox, in perpetuum detracto lumine solis:
Sed magis illud erat curæ, quod secla ferarum
Infestam misereis faciebant sæpe quietem;
Ejecteique domo, fugiebant saxea tecta
Spumigeri suis adventu validique leonis;
Atque intempesta cedebant nocte paventes
Hospitibus sæveis instrata cubilia fronde.
  Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia secla

que, diem reversurum in animo respicientes, ac solide sperantes. Odiosi sunt Vossius, Faber, Creechiusque, cum suis deliramentis scilicet, *res spectabant*, *exspectabant*, ac *resupinabant*: quæ lepidis nauseam ciebunt. *W.*

974. *Rosea face.* Sic vs. 609: « Rosea lampade », et vss. 655.

975. *A parvis*; quidam *a pueris*; nec male. — *Quod,* quia, quoniam; non relativum est, ut vult Wak.

977. *Non erat*, etc. Lamb. exponit: « Non erat eis curæ mirari, quomodo id fieri posset; nec curabant diffidere, id est, non veniebat eis in mentem diffidere, etc. » Wakef. autem, sublata post *posset* distinctione, hunc verborum ordinem statuit: « Non erat ut τὸ mirari *id quod* semper consuerant cernere, fieri posset, nec erat ut τὸ diffidere... *posset fieri* ». Alteram vero interpretationem haud grammaticam esse contendit vir doctus. Attamen quum *videre est*, *cernere est* latine passim dicatur, quidni dici etiam potuerit *non est mirari?* Ergo *non erat mirari* idem valebit quod: nulla erat causa cur mirarentur... neque ulla cur diffiderent. Orellius explicat: « Non erat ut fieri posset, id est, fieri non poterat, ut mirarentur unquam *vel* diffiderent, etc. » Quæ quidem explicatio, facilis et obvia, satis placeret, nisi obstaret τὸ *nec* vs. 978; quod, nisi fallor, plane evincit construendum esse « non erat mirari, nec diffidere ». Videant docti. Ed.

981. *Infestam faciebant*; infestabant, vel funestam reddebant.

982. *Fugiebant saxea tecta*; et quia cogebantur deserere speluncas montium; 946, 953.

983. *Spumigeri*. Efficax epitheton. Recentiores edd. contra libros, *setigeri*, e vs. 968.

984. *Intempesta nocte*. I. e. cui *tempestivitas* agendarum rerum deest. *Nox intempesta* legitur in Ennii fragmentis p. 122, et Virgilii Georg. I, 247. *W.*

985. *Hospitibus*. Leonibus scilicet et apris cubilia sua relinquebant.

986. *Nec nimio tum plus*. Sensus est: Nec tamen, his calamitatibus expositi quamvis, ac dilacerationibus ferarum, plures tunc temporis, quam nunc dierum, inter lacrymas et ejulationes

Digitized by Google

Dulcia linquebant lamentis lumina vitæ.
Unus enim tum quisque magis deprensus eorum
Pabula viva fereis præbebat, dentibus haustus:
Et nemora ac monteis gemitu sylvasque replebat,
Viva videns vivo sepeliri viscera busto:
At quos effugium servarat, corpore adeso,
Posterius tremulas super ulcera tetra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus Orcum:
Denique, eos vita privarant vermina sæva,
Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.
  At non multa virum sub signis milia ducta

moriebantur. Priscis leti causis hominum solertia summotis, aliæ viæ sunt repertæ; nec minus tamen efficaces. *W.*

987. *Lamentis.* Salse ridet, pro more, mortalium ignaviam, mortis timoribus discruciatorum, et miseras vitas inter lugubres ploratus relinquentium. Confer III, 946, 947, 965. *W.*

988. *Eorum.* Nempe unusquisque primorum illorum hominum.

989. *Dentibus haustus.* I. e. absumptus. Pariter Virg. Æn. II, 600: « inimicus et *hauserit* ensis ». *W.*

991. *Viva videns vivo.* Vide Eustath. Il. p. 564, 40 ed. Bas. Quod ad hujus loci sententiam attinet, cum illa congruit illud Ennianum: « Vulturis in sylveis miserum mandebat homonem: Heu! quam crudelei condebat membra sepulcro ». *Lamb.* — Ibi videas Hesselii notas, cum notis ad Eurip. Ion. 951, de Rhoer. etiam, ad Porph. De abst. II, 50, et, quem laudat ille, Gataker. ad Antonin. VI, 21. Quod tamen in aliis Longinus culpaverit, minime injucundum nobismet saltem reddidit mirifica simplicitas Lucretii, et inaffectatus candor. *W.*

992. *Corpore adeso.* H. e. postquam dentibus ferarum petiti erant, et læsi.

993. *Tremulas*, etc. Venusti lectores, me tacente, observaverint, quam δεικτικῶς et ad vivum, veris ipsius naturæ coloribus et Musarum calamo, poeta noster omnia depinxerit. *W.*

994. *Horriferis;* quæ audientibus horrorem incutiebant; III, 1025. — *Accibant orcum.* I. e. mortem. — In his versibus concinnandis, coram fuisse nostro videtur tragicorum veterum Philoctetes. Ita de illo Sophocles, in fabula quantivis pretii, vs. 797: Ὦ Θάνατε, Θάνατε· πῶς, ἀεὶ καλούμενος Οὕτω κατ' ἦμαρ, οὐ δύνῃ μολεῖν ποτέ; W.

995. *Privarant.* Forbig. *privarunt.* Plusquamperfecti notio in eo cernitur quod vermina, τέτανος, eos vita *privarant* antequam ullam opem reperissent. *Orell.* — *Vermina.* Dicuntur ventris tormina, quum intestina minuto motu, quasi vermibus quibusdam, scindi videntur. Quod doloris genus Græci vocant στρόφον. *Festus.* — Intelligo sane ea tormina, quorum vi crispetur corpus et undatim fluctuet. *Wak.*

996. *Experteis opis*, medicinæ auxilium non habentes. — *Quid volnera vellent.* Quæ remedia vulneribus sanandis essent adhibenda.

997. *At non multa virum*, etc. Nondum enim natum erat bellum. *F.* — *Sub*

Digitized by Google

Una dies dabat exitio; nec turbida ponti
Æquora lædebant naveis ad saxa, virosque:
Nec temere, incassum, frustra, mare sæpe coortum
Sævibat; leviterque minas ponebat inaneis.
Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis:
Improba navigii ratio tum cæca jacebat.
Tum penuria deinde cibi languentia leto
Membra dabat; contra nunc rerum copia mersat.
Ollei imprudentes ipsei sibi sæpe venenum
Vergebant; nunc dant alieis solertius ipsei.
   Inde casas postquam ac pelleis ignemque pararunt,
Et mulier, conjuncta viro, concessit in unum,
Castaque privatæ Veneris connubia læta
Cognita sunt, prolemque ex se videre creatam;
Tum genus humanum primum mollescere cœpit.
Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus

signis; sub vexillis, in militiam ducta. — *Milia;* II, 539.

999. *Lædebant,* allidebant. Simplici verbo, pro composito, Noster usus est.

1000. *Nec temere,* etc. Nec, ut nunc quidem fit cum summo navigantium periculo, mare temere coortum sæviebat, sed minas inanes, quippe quæ nulli mortalium tunc temporis perniciem afferrent, rursus deponebat. Opponuntur sibi *nec* et *que.* *Orell.* — Vide plura infra in Disq. var.

1002. *Pellacia;* II, 560.

1003. *In fraudem;* IV, 1203. — *Ridentibus;* I, 8.

1004. *Improba.* I. e. *mala,* calamitosa, vel quæ *ratibus impiis,* uti Venusinus loquitur, temerat Oceanum. *W.* — *Cæca.* I. e. inutilis, sine profectu, ignota, nondum in *lucem* eruta. *W.* — Vide Disq. var.

1005. *Penuria cibi.* Quæ vocatur Virgilio, ad Æn. VII, 113, « penuria edendi ». *W.*

1006. *Copia mersat;* rerum copia et luxuries pessumdat, obruit; cf. Juvenal. Sat. X, 57.

1008. *Vergebant.* I. e. *inclinando* vas, effundebant; secundario dictionis sensu. Confer Servium ad Virg. Æneid. VI, 244. *W.*

1009. *Inde casas postquam,* etc. His vero 18 vss. seqq. multa docet de primis hominibus, quæ scilicet post longum tempus tandem usu et experientia repererunt. *F.* — *Casas.* Vide vs. 937. — *Pelleis ignemque.* Vide vs. 951, 952.

1010. *Concessit in unum.* I. e. locum, vel domum; ut habitaret una, neque esset, ut prius, *vulgivaga,* ac nulli propria. Redi ad IV, 1067. *W.*

1013. *Mollescere;* quod olim *durum* fuit; vs. 924.

1014. *Curavit,* effecit. Sic III, 128,

Digitized by Google

Non ita jam possent cœli sub tegmine ferre:
Et Venus imminuit vireis; puereique parentum
Blanditiis facile ingenium fregere superbum.
Tunc et amicitiem cœperunt jungere habentes
Finitumei inter se, nec lædere, nec violare;
Et pueros commendarunt muliebreque seclum
Vocibus et gestu; quom balbe significarent,
Imbecillorum esse æquom misererier omni.
Non tamen omnimodis poterat concordia gigni:
Sed bona magnaque pars servabant fœdera castei;
Aut genus humanum jam tum foret omne peremtum,
Nec potuisset adhuc perducere secla propago.

et IV, 823. — *Alsia.* Alsius, vel alsiosus, dicitur qui frigus ferre non potest. Varro De re rust. II, 3, de capris: « Stabulatur pecus melius, ad hibernos exortus si spectat, quod est alsiosum ». *Lamb.*

1015. *Cœli sub tegmine ferre* sub dio; jam minus tolerare frigus valerent.

1017. *Ingenium fregere superbum.* Ut Justinus I, 5, 5: « Et, quoniam defunctus sibi somnio videretur, *animum minacem* duntaxat in illo *fregit* ». Et, quod Noster *blanditiis* vocat, Valerio Maximo est II, 7, 6, « infantiæ blandimenta ». *Superbum* vero, ferox, ὑπέρβιον. *W.*

1018. *Amicitiem*, ab *amicities* recte; ut *avarities*, III, 59. — *Habentes.* I. e. habitantes, ut in Ennii fragm. apud Cic. ad Fam. VII, 6; Plaut. Men. prol. 68; Bacch. I, 2, 6; Trin. I, 2, 156, et sæpius. *Forb.* — Equidem tamen lubenter intelligerem *jungere habentes*, quo modo apud Græcos ἔχων sæpe abundat. Nec desunt apud Nostrum similis locutionis exempla; conf. I, 1068; VI, 900. Ed.

1019. *Finitumei.* Vulgo *Finitima.* — *Nec lædere;* a vi et injuriis abstinere cœperunt.

1020. *Commendarunt.* Alter alteri scilicet; communi sensu vicissim moti, propter puerorum ac mulierum imbecillitatem: nam loquitur de *parentibus* adhuc balbis. *W.*

1021. *Vocibus;* infra not. 1028. — *Balbe.* Quippe qui nondum expedite loqui didicissent, sermone minime adhuc constituto. *Faber.*

1022. *Omni.* Sic eleganter et expedita de constructione codices. Vulgo *omnium;* horridissime. *W.* — Vellem tamen vir doctus istam constructionem explicuisset. Eum vero sequuti Eichst. Forb. Orell. de sensu silent. Valde equidem dubito latine dici posse « æquum est mihi misereri », pro « æquum est me », ut infra vs. 1088. Mihi certe desunt istius sermonis exempla. An *omni* fuerit jungendum cum *significarent?* nec minus dure. Nam sane non volunt *omni imbecillorum!* Ed.

1023. *Omnimodis;* I, 684. — *Concordia*, mutua inter omnes amicitia.

1024. *Castei*, ob pietatem et integritatem morum.

1025. *Aut*, alias, sine qua re.

1026. *Perducere.* I. e. nec potuisset hominum propago, perpetim nascentium ac sibi invicem succedentium, *ducere*

Digitized by Google

At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, et utilitas expressit nomina rerum:
Non alia longe ratione atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ;
Quom facit, ut digito, quæ sint præsentia, monstret:
Sentit enim vim quisque suam quod possit abuti.
Cornua nata prius vitulo quam frontibus exstant,
Ollis iratus petit atque infensus inurguet:
At catulei pantherarum scymneique leonum
Unguibus ac pedibus jam tum morsuque repugnant,
Vix etiam quom sunt dentes unguesque createi.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere, et a pennis tremulum petere auxiliatum.
Proinde, putare aliquem tum nomina distribuisse

genus, et continuare, *per* omnes annos, qui intervenerint, usque ad hoc tempus. *W.*

1027. *At varios linguæ*, etc. His denique 63 vss. posterioribus docet de primo sermonis ac linguæ usu. Cf. Diog. Laert. X, 75; Diod. Sic. I, 8; Plato in Cratylo; Origen. contra Cels. I, p. 18.

1028. *Expressit.* I. e. ἐξεβιήσατο, emittere coegit. Q. Curtius IX, 3, 6: « Sed, si audire vis non fictas tuorum *voces*, verum necessitate ultima *expressas* ». Præterea, hæc *nomina rerum* Lucretii, et *balbæ significationes vocis* ac *gestus* supra in vs. 1021 optime explicabunt insignem Horatii locum, eadem omnino per eosdem gradus declarantis, Sat. I, 3, 103. *Voces* igitur, affectuum et sensuum naturalis erant fetus; *rerum* autem *nomina* deinceps, artificum sapientium inventio. *W.*

1030. *Infantia.* I. e. impotentia loquendi; redeas ad vs. 224. Cic. De inv. I, 3: « *infantes* et insipientes homines ». I. e. imperitos omnino fandi. *W.*

1031. *Monstret*, scilicet infantia; elegantissime ac vere ποιητικῶς. Editores *monstrent.* W.—Forb. et Orell. ipse in altera editione, quum hoc nimis quæsitum judicent, vulgatam reduxere.

1032. *Quod possit.* Ordo est constructioque: « Quisque enim sentit, quod possit abuti suam vim ». *W.* — *Abuti*, pro *uti;* et veteres cum quarto casu (VI, 1135) pariter jungebant. — Cf. Sosip. Charis. V, p. 266; Diomedes I, p. 300; Sanctii Minerva III, 3 extr., et qui hos cum pluribus exemplis laudat, Ruddim. Inst. Gr. II, p. 196, not. 58. *Forb.* — *Quod* Wakef. restituit e plurimis libris; Brit. 3 *qui*, id est, quomodo, ex interpretatione; vulgares edd. *quam.*—Orell. construit *ad quod possit;* minus bene.

1035. *Scymnei.* Græca vox est σκύμνοι, i. e. proprie catuli leonum.

1039. *Tremulum auxiliatum.* Venuste epitheton alarum ad earum auxilium transfert.

1040. *Putare aliquem*, etc. Pythagoras aiebat summæ illum fuisse sapientiæ, qui rebus nomina primus imposuit. Aiebat et idem Plato in Cratylo. *Fay.*

Digitized by Google

Rebus, et inde homines didicisse vocabula prima,
Desipere est : nam quur hic posset cuncta notare
Vocibus, et varios sonitus emittere linguæ,
Tempore eodem aliei facere id non quisse putentur?
Præterea, si non aliei quoque vocibus usei
Inter se fuerant, unde insita notities est?
Utilitas etiam, unde data est huic prima potestas,
Quid vellet facere, ut sciret, animoque videret?
Cogere item plureis unus, victosque domare
Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent:
Nec ratione docere ulla, suadereque surdeis,
Quid sit opus facto; faciles neque enim paterentur,
Nec ratione ulla sibi ferrent amplius aureis
Vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
 Postremo, quid in hac mirabile tantopere est re,
Si genus humanum, cui vox, et lingua vigeret,
Pro vario sensu varias res voce notaret;
Quom pecudes mutæ, quom denique secla ferarûm,

1042. *Desipere est.* Eamdem formulam vide supra vs. 166. — *Notare Vocibus*, nominare; sic vss. 1057, 1089.

1044. *Tempore eodem*, etc. H. e. si quis unus potuit imponere rebus nomina, potuit et alius eodem tempore pariter idem facere. *Lamb.*

1045. *Præterea si non*, etc. Præterea, unde quispiam nomina rerum sonitusque varios callere quiverit, nisi fuisset experientia edoctus? Unde ille solus omnium posset scire, atque pervidere, quid sibi posceret communis hominum utilitas? Simile dicendi genus nuper venit in vs. 996. *Wak.* — Vide notam proxime seq.

1047. *Utilitas etiam*, etc. Construe : « Unde data est huic *prima*, ante ceteros omnes, facultas ut sciret animoque videret, *quid vellet facere*, id est, quid præstitura esset utilitas hujus reperti ». Nequaquam enim construi potest, nisi dicas v. *utilitas* vicem sustinere nominativi absoluti, ita : « ... sciret pervideretque etiam utilitatem ejus quod ipse vellet facere, scil. reperire sermonem »; ut accipere videtur Knebelius, quasi esset : « *quod* vellet facere ». *Orell.*

1051. *Surdis.* I. e. quasi *surdis:* quid nomina significarent, minus intelligentibus. *Surdis* igitur quoad *potestatem;* ut in Horatio Od. I, 2, 27, quoad *voluntatem:* « *minus audientem* Carmina Vestam? » Confer ib. III, 7, 21. Alii passim similiter. *W.*

1052. *Quid opus facto,* quid oporteat facere. — *Faciles.* Neque enim æquo animo ferrent aures suas insolito et non intellecto clamore frustra obtundi. *Cr.*

1056. *Lingua vigeret.* I. e. in qua pe-

Digitized by Google

Dissimileis soleant voces variasque ciere,
Quom metus, aut dolor est; et quom jam gaudia gliscunt?
Quippe etenim licet in rebus cognoscere apertis.
Irritata canum quom primum magna Molossûm
Mollia ricta fremunt, duros nudantia denteis,
Longe alio sonitu rabies districta minatur,
Et quom jam latrant, et vocibus omnia complent.
At catulos blande quom lingua lambere tentant,
Aut ubi eos lactant pedibus morsuque petentes,
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus,

culiaris hominum virtus stat, et efficacia; ut tauri cornibus, leones unguibus ac dentibus, distinguuntur: alia autem aliter animantia. *Wak.*

1060. *Gliscunt;* III, 479; collato I, 475.

1061. *In rebus apertis:* quotidie enim, et manifesto illud docet experientia.

1062. *Irritata.* Tantum facit ad hujusce loci locutiones Donati commentarius in Terent. Andr. III, 4, 18, ut videri possit iis solis accommodatus: « Ducitur verbum *irritor* a *canibus,* qui, *restrictis dentibus,* hanc literam *r* imitantur ». *Wak.* — *Magna fremunt.* Ut Virg. Æn. XII, 535, « immane frementi »; et ib. vs. 398, « acerba fremens ». Quod monitum voluimus ob interpretis erratum, referentis *magna* ad *ricta*, de minus elegante constructione. *W.*

1063. *Mollia.* I. e. ὑγρὰ, flexilia, pensilia: redi ad annotata in IV, 492. — *Fremunt.* I. e. *immurmurant*, nondum clare sonori; vel, ut cum Persio loquar, « *Murmura* quum secum et *rabiosa* silentia rodunt »: qui versiculus egregie illustrat nostrum. *W.* — Forma *rictum* præter hunc locum et VI, 1194, non nisi apud Cic. Verr. IV, 43, occurrere videtur. *Forb.*

1064. *Rabies districta.* Hoc elegantissimum est, atque summe artificiosum, pro vulgariore, « rabiosi dentes districti ». *W.*

1065. *Et quum.* Wakef. collato III, 8, interpretatur « alio sonitu et quum »; pro alio *ac* vel *atque*. Quam constructionem vellem exemplis confirmasset. Forsan locum sic melius interpreteris: « longe alio sonitu rabies canum Molossorum minatur, quum irritati fremunt, et quum jam latrant ». Ita certe omnia plana sunt, et res eodem redit. Item de iis quæ sequuntur. Ed.

1066. *Lambere tentant.* Quasi vix perficerent. Nimirum, hac ostendit elegante phrasi, quam felicissime, maternæ tractationis mollitudinem. *W.*

1067. *Lactant,* mulcent; vide not. ad IV, 993. — *Morsuque petentes.* Wak. ex codd. quatuor edidit *potentes*, hoc sensu: « Quamvis sint *morsu potentes*, et ore fortissimo, mollissimis tantummodo tenerorum dentium morsiunculis utuntur ». — Sed hoc artificiosius, et illud *morsu petentes* potius præcedenti *lactant pedibus* quasi interpretamentum additum esse videtur. *Forb.*

1068. *Suspensis*, non graviter impressis, sed sublevatis, et quasi pendentibus. — *Imitantur haustus.* I. e. exhibent, exprimunt, teneras et innocuas sorbitiones. Redi ad vs. 989. *W.*

Digitized by Google

Longe alio pacto gannitu vocis adulant,
Et quom desertei baubantur in ædibus, aut quom
Plorantes fugiunt, submisso corpore, plagas.
  Denique non hinnitus item differre videtur,
Inter equas ubi equus florenti ætate juvencus
Pinnigeri sævit calcaribus ictus Amoris;
Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma?
Et quom sic alias concussis artubus hinnit.
  Postremo, genus alituum variæque volucres,
Accipitres atque ossifragæ mergeique marinis
Fluctibus in salso victum vitamque petentes,
Longe alias alio jaciunt in tempore voces,

1069. *Gannitu.* Festus : « *Gannitio*, canum querula murmuratio ».—*Adulant.* I. e. alludunt, adblandiuntur, προσσαίνουσι, προσγελῶσι, cum amore ac blanditiis accedunt; unde, sensu mediocriter deflexo, *amant*, et cum voluptate aggrediuntur atque fruuntur. Sic fortasse capiendus est Cicero Tusc. Dispp. II, 10, de *vulture Promethei* : « nostrum *adulat* sanguinem ». *W.*

1070. *Baubantur*, βαΰζουσιν· ut de *querula voce* Melitensis *caniculæ* Lucianus Merc. cond. 34. Glossæ Philoxeni : « *Baubantur*, ὑλακτοῦσι »; *latrant*; non prorsus accurate : potius, « cum lacrymosis ululatibus queruntur », ut de *canibus* Orosius Hist. V, 18. *W.*—Verbum non alibi occurrens. *Forb.*

1071. *Submisso*, inclinato, et in terram se demittente.

1073. *Juvencus.* De *equo* Noster, ut de *adolescentibus* etiam Horatius Od. II, 8, 21, quemadmodum Græci vocabula μόσχος et πῶλος sæpiuscule solent adhibere. *W.*

1074. *Pinnigeri.* Amor enim fingitur pennatus. — *Sævit.* Sic *furere* ap. Virg. Georg. III, 100.

1075 sq. *Et fremitum*, etc. Sensus totius loci est : Denique nonne eadem est differentia inter equi hinnitus, quum inter equas amore furit, et quum fremit ad armorum sonitum aspectumque; atque etiam quum alio tempore et alia quacumque de causa *sic*, pariter, similiter artubus concussis hinnit? Vide not. seq. et infra in Disq. var. Ed.

1076. *Sic alias.* Quum alio tempore *sic* temere, nullo instinctu amoris, nec bellicæ ferociæ hinnit. *Orell.*

1077. *Genus alituum*, etc. Hic versus positus est supra vs. 799.

1078. *Ossifragæ.* Ossifraga, vel ossifragus, genus est aquilæ, inquit Plinius N. H. X, 8, quod Gallice dicimus *orfraye*. *F.*

1079. *In salso*, ἐν ἁλμυρῷ· ut *in sicco* dicitur absolute, nec aliter in centum consimilibus. Nequissimi editores ex arbitrio suo reposuerunt *in salsis*. Constructio est : « Ossifragæ mergique, *quæ sunt* marinis fluctibus » : i. e. aves marinæ, adeoque victitantes aquis marinis. W. — Malim cum Orellio per oppositionis speciem « in salso marinis fluctibus » jungere; et pleonasmum eumdem, quem jam ad II, 1, et V, 508 vidimus, hic esse notat Forb. Ed.

Digitized by Google

Et quom de victu certant prædaque repugnant.
Et partim mutant cum tempestatibus una
Raucisonos cantus cornicum secla vetusta
Corvorumque greges; ubi aquam dicuntur et imbreis
Poscere, et interdum ventos aurasque vocare.
Ergo, si variei sensus animalia cogunt,
Muta tamen quom sint, varias emittere voces;
Quanto mortaleis magis æquum est tum potuisse
Dissimileis alia atque alia res voce notare?
Illud in his rebus tacitus ne forte requiras,
Fulmen detulit in terram mortalibus ignem
Primitus; inde omnis flammarum diditur ardor:
Multa videmus enim, cœlestibus insita flammis,
Fulgere, quom cœli donavit plaga vapores.

1081. *Et quum;* vs. 1065. — Et sensus, quem Lambinus non assequutus est, sic se habet: « Vox, qua naturaliter utuntur aves, nullis affectibus violentioribus commotæ, multum discrepat sono, quem rixantes et pugnantes mittunt. Sunt etiam, quibus voces cum variantibus tempestatibus varientur ». *W.*

1083. *Cornicum secla vetusta.* Quas *annosas* vocat Horat. Od. III, 17, 13. Hesiod. Op. 745: Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη. Vulgo ponunt *ut* ante *secla;* quod optimi codices, Lugd. 1, 2, omittunt. Alii *et secla;* quos sequitur Orellius, quia recte opponuntur, *et... que.* Vulgo distinctionem ponunt ante vocem *cornicum;* unde sensus paulum immutatur; sed vix tanti est. Ceterum ad rem conf. Virg. G. I, 410 sqq. Ed.

1084. *Ubi aquam poscere*, etc. Sic Virgil. Georg. I, 388: « Tum cornix plena pluviam vocat improba voce, etc. » — *Aquam et imbres.* I. e. aquas pluvias.

1086. *Sensus*, affectus varii, et diversæ rerum perceptiones. *Cr.*

1087. *Muta*, voce articulata non prædita.

1088. *Tum.* H. e. in primo sui exortu.

1089. *Voce notare;* vs. 1042.

1090. *Illud in his rebus*, etc. His 17 vss. docet jam unde ignis datus sit hominibus, veritus ne quis sciscitaretur quî et quando ignis usus concesserit in nostram utilitatem. Itaque duplicem modum assignat, quo ignis in terras potuerit deferri. *F.* — *Tacitus requiras.* Forsitan etiam, Memmi, posses animo tecum requirere, quomodo ignis hominibus innotuerit; vel, forte jam animo paras me interrogare, etc. Ed.

1092. *Diditur;* inde accensa est omnis ista quæ per totum orbem distribuitur flamma. II, 1136.

1093. *Insita flammis.* Sic verissime et elegantissime veteres omnes libri; i. e. « conspersa seminibus flammarum ». Conf. lib. I, vs. 901; ut alibi noster sæpenumero loquutus est. Nonius Marcellus X, 12, scribarum vitio, *incita. W.* — *Insita;* in quibus absconduntur semina flammarum cœlestium, ætheris scil. particulæ. Eichst. Forbig. *incita;* sed vide ne hoc insit in vs. sq. *Orell.*

1094. *Fulgere.* Tertiæ conjug. Sic

Digitized by Google

Et ramosa tamen quom, ventis pulsa, vacillans
Æstuat, in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur, validis extritus viribus, ignis:
Emicat interdum flammai fervidus ardor,
Mutua dum inter se ramei stirpesque teruntur;
Quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem,
  Inde cibum coquere ac flammæ mollire vapore
Sol docuit; quoniam mitescere multa videbant,
Verberibus radiorum atque æstu victa, per agros.
Inque dies magis hi victum vitamque priorem
Commutare novis monstrabant rebus et igni,
Ingenio quei præstabant, et corde vigebant.
  Condere cœperunt urbeis, arcemque locare

VI, 160, etc. —. *Cœli plaga;* Eichst. in indice int. *cœli regio, tractus,* ut sup. v. 482; sed obstat metrum : *plaga* hic est ictus cœli fulminantis, ut vs. 1219. Ed.

1095. *Et tamen.* I. e. ne contineam me intra hoc exemplum tamen; quasi non aliud opportunum suppetat. Porro Lambinus provocavit ad I, 896-906. *W.* — *Vacillans;* I, 806.

1098. *Emicat flammai ardor.* I. e. quod majus est, aliquoties flamma quoque solet exilire, ob ingentem frictionis vim. *W.*

1100. *Quorum utrumque.* I. e. tam incensus attritu rami ramus arboris, quam fomes scintilla, ex ramis emicante, vel flamma expressa, succensus. *W.* — Sed vix credam duas res ita Nostrum expressisse; immo unam eamdemque varia sub specie protulit. Ergo *utrumque* referendum putem hinc ad *fulmen;* inde ad *arbores collisas:* nam poeta ex omnibus supra dictis concludit *duas* omnino ignis inventi causas haberi posse. Ed.

1102. *Sol docuit.* Quemadmodum legimus in Æthiopicis Heliodori, Porphyrio De abstinentia, atque aliorum monimentis, solere nationes nonnullas *pisces coquere* in *saxis*, vel *arenis*, solis ardore vaporatis. *W.*

1103. *Verberibus radiorum.* Pulchre dictum est, nec audacter nimis. Redi ad vs. 486. *W.*

1104. *Hi victum.* Wak. edidit *in victum* e codd. — Et « commutare in victum » dictum est, exemplo locutionis perquam notabili, pro « mutationes importare in victum ». Havercampus affirmat phrasin esse elegantem. *W.*—Satis mire profecto. Pinzg. Forbig. *invictum,* quod explicant, « βίον ἄζιον, victum, qui proprie victus dici nequeat ». Sed est voc. inauditum, nec bene componitur cum seq. *vitam*, id quod requireret epitheton aliquod ejusmodi vitæ miseriam declarans. *Orell.*

1105. *Novis rebus et igni.* I. e. per ignem ad alias atque alias res novis experimentis in dies admotum. *W.*

1106. *Corde;* qui cordati erant; consilio et mente præstabant. *Lamb.*

1107. *Condere cœperunt urbeis*, etc. His 28 vss. docet jam quomodo cicuratis moribus, ac rebus ad vitam necessariis repertis ac institutis, cœperint homines civilem inire societatem. *F.*

Digitized by Google

Præsidium reges ipsei sibi perfugiumque;
Et pecudes et agros divisere, atque dedere
Pro facie quojusque et viribus ingenioque.
Nam facies multum valuit, viresque vigebant:
Posterius res inventa est, aurumque repertum,
Quod facile et valideis, et pulchreis demsit honorem.
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur
Quamlubet et fortes et pulchro corpore cretei.
Quod si quis vera vitam ratione gubernat,
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce
Æquo animo; neque enim est unquam penuria parvi.
At claros homines voluerunt se atque potenteis,
Ut fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidam possent opulentei degere vitam;

1108. *Reges*. Hinc intelligendum summam potestatem alicui tandem delatam, vel ab aliquo sibi desumptam, hominesque in societatem redactos: Reges vero tum urbibus condendis, exstruendisque arcibus curam dedisse. Vide autem quæ mox ad vs. 1135 sqq. Ed.

1110. *Pro facie quojusque et viribus*. Ad hanc rem illustrandam pulchre faciunt Curtiana quædam, in V, 6, 29: « quippe hominibus barbaris in corporum majestate veneratio est; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est ». Nam *facie* Lucretius utitur, non *os* tantum, et *oculos*, et *genas*, quod Græci πρόσωπον dicunt, innuens; sed formam omnem modumque, et quasi facturam totius corporis, ut εἶδος est Græcorum. *Wak*.

1111. *Viresque*. Id est, homines viribus præstantes, *vigebant*, in pretio erant et aliis imperitabant.

1112. *Res inventa est*. H. e. bona fortunæ inventa sunt. Sic Horat. Epist. I, 1, 65: « *rem* facias ... quocumque modo *rem* ». — *Aurum repertum*. Unde Horat. Od. III, 3, 49: « Aurum irrepertum ».

1113. *Quod facile et valideis*, etc. Cf. Horat. Sat. II, 3, 94.

1114. *Sectam*, partes, factionem.

1116. *Vera ratione;* secundum rectæ rationis præcepta. Cf. I, 46, 499, 624, etc.

1117. *Divitiæ grandes ... vivere parce*. Cic. Paradox. VI, 3: « Non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est: contentum vero suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque divitiæ ».

1118. *Neque enim est unquam*, etc. H. e. neque enim desunt unquam hominibus pauca seu parva. Ita fit ut sapiens nunquam egeat. *Lamb*.

1119. *At claros, potenteis, opulentei*. I. e. fama, potentia, atque opibus pollentes. Et hoc consortio Sallustium usum esse videas in Jugurth. init.: « Sed dux atque imperator vitæ mortalium animus est; qui, ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde *pollens*, *potens*que, et *clarus* est; neque fortunæ eget ». *W*.

Digitized by Google

Nequidquam; quoniam, ad summum succedere honorem
Certantes, iter infestum fecere viai.
Et tamen e summo, quasi fulmen, dejicit ictos
Invidia interdum contemtim in Tartara tetra:
Ut satius multo jam sit parere quietum,
Quam regere imperio res velle, et regna tenere.
Proinde sine, incassum defessei, sanguine sudent,
Angustum per iter luctantes ambitionis:
Invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant
Plerumque, et quæ sunt altis magis edita quomque:
Quandoquidem sapiunt alieno ex ore; petuntque

1122. *Ad summum succedere honorem certantes.* Dum omnes certatim conarentur ad summos dignitatum gradus se sublevare, sibi invicem nocuere et periculosam ad honores viam reddidere. Sic ego locum caperem; non ut Creech. et alii volunt: « nam turba illorum qui summos honores attingere conantur, reddidit iter ad honores periculosum ». Hic enim Noster *omnes* homines incusat, quod divitiis inhient; *omnes* etiam ambitionis arguit docetque eos sibi invicem nocere. Quæ interpretatio, ni fallor, magis ad poetæ mentem facit. Ed.

1123. *Iter viai;* II, 627.

1125. *Contemtim.* Cum contemptu eos dejicit in nigra *Tartara*, id est, e summo gradu dejectos, contumeliosa morte afficit; vel, ut alii interpretantur, a summo honoris fastigio in infimam vilissimamque sortem dejicit. Potius tamen priorem explicationem amplecterer; cui mox alludere videtur vs. 1135, « Ergo regibus occisis ». Ed.

1126. *Ut satius.* Ita ut multo melius sit modica fortuna contentum vivere, et quietum potentioribus parere, etc. *Cr.*

1127. *Res,* publicas. Sic Virg. Æn. VI, 852, « regere imperio populos ».

1128. *Incassum defessi;* se frustra et in vanum defatigantes. — *Sanguine sudent;* summopere laborent: sudor sanguinis ingentem corporis laborem, gravemque animi molestiam significat. *Lamb.* — Eodem fere sensu vulgo nos dicimus *suer sang et eau.*

1130. *Invidia,* etc. Hunc et sequentem versum Bentleius, Creechii judicio obsecutus, inducendos censuit; quibus egomet consentire nequeo. Post vs. 1125 positi sane magis placerent; quamvis hæ trajectiones non insolitæ sint poetis, argumenti cursum studiosius tenentibus, nec prius, quam otiari liceat ob pleniorem sensum, subsistentibus. *W.* — *Vaporant,* ardent, flagrant. — Verbum *vaporo* sic Plinius etiam adhibuit intransitive, Nat. Hist. XXXI, 2, de *aquis* disserens: « *Vaporant* et in mari ipso », i. e. *vaporem emittunt.* W. — Cf. Horat. Od. II, 10, 8 sqq.

1131. *Et quæ sunt.* Et quæcumque magis sunt *altis edita,* in altis locis exposita, vel prominentia. Editores de suo, scriptos mentiti tamen, reposuerunt *aliis.* *W.*—Orellius vero *aliis* reduxit, quia in altera lectione falsum inest acumen, vix Lucretianum.

1132. *Alieno ex ore;* quandoquidem non nisi ex aliorum sermone sapiunt, et res, id est, honores et potestatem sectantur potius ob aliorum opinionem quam

Digitized by Google

Res ex auditis potius, quam sensibus ipsis:
Nec magis id nunc est, neque erit mox, quam fuit ante.
Ergo, regibus occisis, subvorsa jacebat
Pristina majestas soliorum, et sceptra superba;
Et capitis summi præclarum insigne cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem;
Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
Res itaque ad summam fæcem turbasque redibat;
Imperium sibi quom ac summatum quisque petebat.
Inde magistratum partim docuere creare;
Juraque constituere, ut vellent legibus uti.
Nam genus humanum, defessum vi colere ævom,
Ex inimicitiis languebat: quo magis ipsum
Sponte sua cecidit sub leges, arctaque jura.
Acrius ex ira quod enim se quisque parabat
Ulcisci, quam nunc concessum est legibus æquis,

quod ipsi per se bona esse experti sint. Ed.

1135. *Ergo, regibus occisis*, etc. His 25 vss. jam docet quomodo ex invidia occisis regibus res redierit ad populum; qui tandem vi ac turbis vitam degere pertæsus condidit jura ac leges quibus uteretur. Hinc innatus pœnarum metus, quum quis aliquod scelus commiserit. Namque etiamsi clam scelus fuerit commissum, tamen diffidere sons debet, illud clam fore perpetuo. *Fay*. — Vide Disq. var.

1137. *Insigne*, diadema; vs. 699.

1138. *Lugebat*. Poetice admodum et summa cum gravitate Noster hanc regiæ majestatis sub pedibus vulgi proculcatæ imaginem describit. Ed.

1139. *Ante metutum*. Quod antea nimis metuebant homines. Participium verbi *metuo*, quod jam obsolevit. Priscian. lib. X. *Lamb*.

1140. *Res*, imperium; vs. 1127. — *Ad fæcem*, ad plebem infimam, ad vulgus hominum.

1141. *Summatum*, principatum. Quæ vox alibi non exstat.

1142. *Partim*, nonnulli, ut vs. 838, 950, 1082. — *Docuere*, quidam scilicet. Ingenio et virtute præstantes magistratum instituere alios docuerunt, et leges condiderunt secundum quas vitam suam agerent. *Cr*.

1144. *Vi colere ævum;* inter vim et odia vivere. Virg. Æn. IX, 609, « omne ævum ferro teritur », unde Wak. conjicit hoc loco *vi terere;* sed cf. vs. 1149, et IV, 1256. Ed.

1145. *Quo magis ipsum Sponte sua cecidit sub leges*. I. e. quapropter tanto magis se subjecit legibus et juribus: significat Lucretius, leges esse ab hominibus acceptas, ut eis sine vi sineque injuriæ metu vivere liceret. Sic fere Horat. Sat. I, 3, 104. *Lamb*.

1146. *Arctaque jura*. Jura quæ omnes

Digitized by Google

Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere ævom.
Inde metus maculat pœnarum præmia vitæ :
Circumretit enim vis, atque injuria quemque;
Atque, unde exorta est, ad eum plerumque revortit :
Nec facile est placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Et si fallit enim Divom genus humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet :
Quippe ubi se multei per somnia sæpe loquentes,
Aut morbo delirantes, protraxe ferantur;
Et celata diu, in medium peccata dedisse.
Nunc, quæ causa Deum per magnas numina genteis

arcte et stricte in officio retinerent. *Cr.*

1149. *Vi colere ævum;* vs. 1144.

1150. *Inde*, ex legibus : h. e. postquam conditæ sunt leges. — Vulgo, contra libros universos, *Unde*. — *Maculat.* I. e. ita turbat, ut lutulet conspurcetque. Vide ad III, 38. *W.* — *Præmia vitæ.* I. e. dulces fructus, sive voluptates atque commoditates vitæ. Hoc autem dictum est de sententia cujusdam meram injustitiam per se non damnantis, uti censebat Epicurus ap. Diog. Laert. X, 151, quem Lambinus commodissime apposuit : Ἡ ἀδικία οὐ καθ' ἑαυτὴν κακὸν, ἀλλ' ἐν τῷ κατὰ τὴν ὑποψίαν φόβῳ, εἰ μὴ λήσει ὑπὲρ τῶν τοιούτων ἐφεστηκότας κολάστας. Huc Noster respexit. *W.*

1151. *Circumretit enim*, etc. Qui enim vim et injuriam infert alteri, sua ipse fraude per leges irretitus, mox dabit pœnas; et maleficia plerumque in auctorem recidunt. Ed.

1153. *N. f. est.* Suppl. eum *degere*, etc.

1154. *Communia fœdera pacis.* Concordiam et securitatem qua fruitur sub legibus humana societas. Ed.

1155. *Et si*, etc. Ordo est : etenim si fallit, etc. — *Humanum.* I. e. humanorum, vel hominum; redeas ad III, 80. *W.*

—Sed quidni *genus divom, et genus humanum* sibi respondere possint? *Forb.*

1156. *Id fore clam diffidere debet.* H. e. « nunquam confidit id fore semper occultum, » ut ait Cicero lib. I De fin. agens de hisce rebus. *F.*

1157. *Quippe ubi se multei*, etc. Cf. IV, 1015, sq.

1158. *Protraxe se.* I. e. ex tenebris in lucem protraxisse; quo nihil aptius, significantius, aut sermone est venustius figurato : confer mox vss. 1387, 1388; I, 410; IV, 1185; Val. Max. III, 8, 6, fin. IV, 7, 7. Vulgo, *procraxe* (vide Disq. var.) : nos vero non probamus has subtilium ingeniorum argutias, libris emendatissimis planissimam commodissimamque vocem suppeditantibus. *W.*

1159. *In medium*, in publicum, in apertum, palam. *F.*

1160. *Nunc, quæ causa Deum*, etc. His 33 vss. seqq. indicat jam Lucretius ex doctrina Epicuri, perpetui Deorum ac religionis contemptoris, undenam priscis hominibus orta sit religio; undenam in hominum mentes incussus fuerit Deorum timor. *F.* — *Per magnas genteis*, per multas nationes, per totum terrarum orbem.

Digitized by Google

Pervolgarit, et ararum compleverit urbeis,
Suscipiendaque curarit solemnia sacra,
Quæ nunc in magnis florent sacra rebu', locisque;
Unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
Qui delubra Deum nova toto suscitat orbi
Terrarum, et festis cogit celebrare diebus;
Non ita difficile est rationem reddere verbis.
  Quippe etenim jam tum Divom mortalia secla
Egregias animo facies vigilante videbant;
Et magis in somnis, mirando corporis auctu.
Heis igitur sensum tribuebant, propterea quod
Membra movere videbantur, vocesque superbas
Mittere pro facie præclara et viribus amplis.
Æternamque dabant vitam, quia semper eorum
Suppeditabatur facies, et forma manebat:

1161. *Pervolgarit.* Sic II, 163, 346, et IV, 209.

1162. *Curarit,* fecerit; sic supra vs. 1014.

1163. *In magnis rebus.* Per *magnas res* intellige potissimum eas, quæ aut ad bellum aut ad pacem pertinent, ubi vota magna fiunt. *F.* — *Sacra.* Hujus vocis repetitio recte viris doctis displicuit; sed codd. auctoritate nititur. Vide Disq. var.

1165. *Delubra Deum.* I. e. proprie, « Deorum erigit *imagines* »; deinde, progressu solito sermonis et naturali, ad tecta, quæ continerent illas imagines, vox translata est. *W.*

1166. *Celebrare.* I. e. *crebro adire,* seu frequentare: vide ad I, 4, unde *celeber,* vel *celebris* fit, sensu provectiore, *clarus* et *illustris,* quum talis vir in omnium ore, laudibusque, *creber* versari soleat. *W.*

1167. *Non ita difficile.* Hæc junge cum vs. 1160; nam ab hoc omnia pendent.

1168. *Quippe etenim jam tum,* etc. His 14 vss. prioribus continetur prima causa religionis ac cultus Deorum. *F.*

1169. *Animo vigilante videbant.* I. e. per *imaginationem,* ut aiunt, vigilantes percipiebant; sibi fingebant; sed potius quidem somniantes.

1170. *Mirando corporis auctu.* Permulta sunt veterum scriptorum loca, in quibus deorum et hominum defunctorum corpora narrantur per somnos conspecta, in granditatem humanis majorem amplificata. Sic alicubi Xenophon in Cyropædia, et Juvenalis, XIII, 221, cujus commentatores consulas. Hoc fit scilicet propter horrorem insitum mortalibus, vs. 1164, omnia ampliantem. *W.*

1171. *His.* Suppl. ingentibus corporum simulacris, quæ sibi animo depingebant. *F.* — *Sensum,* usum sensuum, vitam.

1173. *Pro facie;* voces superbas augustæ formæ convenientes.

1174. *Æternamque dabant vitam.* Et immortalitatem eis tribuebant: seu,

Digitized by Google

Et tamen omnino, quod tantis viribus auctos
Non temere ulla vi convinci posse putabant:
Fortunisque ideo longe præstare putabant,
Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum;
Et simul in somnis quia multa et mira videbant
Efficere, et nullum capere ipsos inde laborem.
  Præterea, cœli rationes ordine certo
Et varia annorum cernebant tempora vorti;
Nec poterant quibus id fieret cognoscere causis.
Ergo perfugium sibi habebant omnia Diveis
Tradere, et ollorum nutu facere omnia flecti.
  In cœloque Deum sedes et templa locarunt,
Per cœlum volvi quia nox et luna videtur,
Luna, dies, et nox, et noctis signa severa,
Noctivagæque faces cœli, flammæque volantes,
Nubila, sol, imbres, nix, ventei, fulmina, grando,

valida illa Deorum corpora, qualia sibi in somnis fingebant, immortalia faciebant. *Lamb.*

1176. *Et tamen.* Quasi dixerit: « *Et tamen*, vel ob rationem solam, quæ sequitur, illis æternam vitam facile tribuerent; ne confugiam ad præcedentem causam ». Prorsus eodem modo loquutus est Poeta superius, vs. 1124. *W.*

1177. *Non temere;* III, 253.

1178. *Fortunisque ... longe præstare.* H. e. fortunatissimos et beatissimos esse putabant eos, quod metu mortis vacarent. *Lamb.*

1181. *Nullum capere laborem;* sine ullo conatu aut defatigatione.

1182. *Præterea cœli*, etc. His 7 vss. continetur altera causa religionis. Hoc autem argumento potissimum utebantur Stoici ad Deorum providentiam asserendam ac probandam. *F.* — *Cœli rationes*, certi, stati ac rati cœlorum motus.

1186. *Illorum nutu flecti.* I. e. inclinari ad illorum caput inclinatum ». Vel translatio est ab *aurigatione* accersita. *Wak.*

1187. *In cœloque Deum*, etc. His 6 vss. postremis continetur tertia causa religionis: quam ob hoc ipse impugnat quod supra, vs. 147, jam negaverit in cœlo esse Deorum sedes.

1189. *Luna et nox.* Has repetitiones adamavit Lucretius, frequentavitque: me videas ad III, 13, et alibi. Voces iterum una posuisset haud dubie, nisi metri leges obstitissent. *W.* — *Severa.* Viris quibusdam doctis placuit *serena;* mihi non item: consulas autem I, 143; IV, 461. Liceat poetis saltem orationem suam subinde variare. *Severa* vult, in hoc loco, « venerabilia cum *horrore* quodam »; propter tenebras utique et silentium. *W.*

1190. *Faces*, meteora ignita; cf. supra ad II, 206.

1191. *Sol.* Intellige præcipue de ju-

Digitized by Google

Et rapidei fremitus, et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum! talia Diveis
Quom tribuit facta, atque iras adjungit acerbas.
Quantos tum gemitus ipsei sibi, quantaque nobis
Volnera, quas lacrumas peperere minoribu' nostreis!
Nec pietas ulla est velatum sæpe videri
Vortier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras:
Nec procumbere humi prostratum, et pandere palmas
Ante Deum delubra, neque aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec voteis nectere vota;

bare solis post nubila denuo ac sæpe subito sese expandente. *Orell.*

1192. *Rapidei fremitus.* Optime Noster, si de *ventis* vellet hoc intelligi. Sin autem Carus, uti suspicor, *fulmina* respexerit (conferas VI, 101), omnino reponendum aio: « Et rabidei fremitus ». Redi annotata ad vs. 890 hoc libro; et conferas Val. Flacc. IV, 239; Claudian. in Rufin. I, 75, ac sententiam vix mutem sane, vel si de *ventis* verba posita intelligas. *W.*—*Murmura ... minarum.* Tonitrua, quibus Dii videntur hominibus minari, ac terrorem inferre. *Lamb.*

1193. *O genus infelix*, etc. His 47 vss. seqq. jam priscorum illorum hominum superstitionem increpat Lucretius; qui ob rerum ignorantiam tales sibi finxerint Deos, quos metuerent, quosve colerent. Neque enim in eo pietatem esse vult, quod velato capite homines procumbant humi ante delubra Deorum; quod aras multo sanguine quadrupedum spargant; quod votis vota nectant: sed in eo veram putat esse pietatem, quod, quæ in natura fiunt, ea placata mente, et sine ullo animi turbido motu tueantur. *F.*

1194. *Atque iras adjungit.* Sic I, 62, de Deorum natura: « Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira ». Quod quidem Epicurus dicebat alienum esse a præstanti Deorum natura. Sic iterum Lucret. II, 649 et seqq. *F.*

1196. *Vulnera,* mentis scilicet.

1197. *Velatum.* Qui enim olim Deos venerabantur, operto capite erant. — In dubio relinquitur an participium hoc respiciat *hominem*, vel *lapidem.* Nos Lambinus mittit ad Plaut. Amph. V, 1, 42; Liv. I, 32, 6, et committas velim Virg. Æn. II, 249; III, 405, 545; Juven. VI, 391. Interea, pæne in hac persuasione sum, ut existimem poetam, literis transpositis, dedisse, ad evitandam ambiguitatem constructionis, hoc modo: « Nec pietas ulla est, *lævatum* sæpe videri Vortier ad lapidem », i. e. *expolitum*, vel *oleo lubricatum.* W.

1198. *Vortier ad lapidem*, ad statuam lapideam aut marmoream se vertere. Romani quippe Deos venerabantur dextrorsum circumacto et versato corpore. Plaut. in Curcul. I, 1, 70. *F.*

1199. *Pandere palmas*, tendere manus. Quod faciunt ii, qui Deos orant. Virg. Æn. I, 93: « Ingemit et duplices tendens ad sidera palmas ». *Lamb.*

1200. *Aras sanguine spargere;* conf. Virg. Æn. XI, 82.

1201. *Nectere.* Ita ut preces continuentur, nunquam desinant; vel *vota* sunt res votivæ in templis suspensæ: cf. Juven. Sat. XII, 100.

Digitized by Google

Sed mage placata posse omnia mente tueri.
Nam quom suspicimus magni cœlestia mundi
Templa super, stellisque micantibus æthera fixum;
Et venit in mentem solis, lunæque viarum;
Tunc, aliis oppressa malis, in pectore cura
Illa quoque expergefactum caput erigere infit:
Ne quæ forte Deum nobis immensa potestas
Sit, vario motu quæ candida sidera vorset.
Tentat enim dubiam mentem rationis egestas:
Ecquænam fuerit mundi genitalis origo?
Et simul, ecquæ sit finis, quoad mœnia mundi
Et taciti motus hunc possint ferre laborem?

1202. *Mage*, magis; IV, 79, 344, etc. — *Placata mente*. Id est, animo quieto, cujus perturbationes utique sedatæ sunt atque emollitæ. De suo reponere non erubuerunt editores *pacata*, cum nullo fructu. Virg. *Æn*. XI, 300: « Ut primum *placati animi*, et trepida ora *quierunt* ». W.

1203. *Suspicimus*. Constructio est: « Quum suspicimus templa mundi, *quæ sunt super*: nam vix Noster voluerit *suspicere* super templa »; quamvis præpositione *in* cum hoc verbo usus sit, ad II, 1039, et M. Tullius Somn. Scip. initio. *Wak*.

1204. *Stellis micantibus*. I. e. tremulis, vibrantibus, coruscantibus; vide ad II, 195, 320. — *Æthera fixum*. Ad Ennii normam, ann. I ap. Macrobium: « Qui *cœlum* vorsat *stelleis fulgentibus aptum* »: quem versum Maro mutuatus est Æn. XI, 202. *Wak*.

1205. *Et venit in mentem*. Suppl. cogitatio, memoria; nisi forte malis e vs. seq. supplere *cura*; quod vix tamen fieri posse puto. Ed.

1206. *Aliis malis*; quæ propius ad naturam nostram pertinent, eamque quotidie lacessunt. — *In pectore*. Sic Forb. et Orell. constructione magis plana quam Wak. *in pectora*. — *In pectora*. I. e. *contra* pectora expergefactum et excitatum. Vel satius fortasse fuerit cum *erigere* voces *in pectora* consociare; ut translatio sit a *serpente* iracundo, atque impetum meditante. *Wak*.

1207. *Caput erigere*. Sic I, 65. — *Infit*, incipit. Sic III, 514.

1208. *Ne quæ*, pro *qua*, aliqua. — Sic Wak. verissime in hujusmodi dubitatione cum pavore mixta. *Orell*. — *Nobis sit*; quod Atticæ est elegantiæ; redeas ad vs. 261, *tibi*.

1210. *Rationis egestas*. Rerum ignorantia mentem agitat, et ægram facit.

1212. *Quoad*, quam usque ad finem.

1213. *Et taciti motus*. I. e. « *vel* taciti motus; qui nempe, licet non cadat in observationem sensuum, necesse conterat atque labefactet tamen ». Hæc nobis videtur vera loci ratio; qua nulla luculentior ac simplicior, aut elegantior denique, desiderari potest. Nonnullis placuit τὸ *motus* accipere pro casu primo numeri pluralis, et scribere *tanti* pro *taciti*. W. — Sed hujus epitheti rationem vix quisquam recte explicare poterit. Contra *tanti*, tam ingentes motus

Digitized by Google

An, divinitus æterna donata salute,
Perpetuo possint ævi labentia tractu,
Immensi validas ævi contemnere vireis.
Præterea, quoi non animus formidine Divom
Contrahitur? quoi non correpunt membra pavore,
Fulminis horribili quom plaga torrida tellus
Contremit, et magnum percurrunt murmura cœlum?
Non populei gentesque tremunt? regesque superbei
Corripiunt Divom perculsei membra timore,
Ne quod ob admissum fede, dictumve superbe,
Pœnarum grave sit solvundi tempus adactum?
Summa etiam quom vis violenti per mare venti
Induperatorem classis super æquora verrit,
Cum validis pariter legionibus atque elephantis;

τοῦ παντὸς per se intelliguntur. Et *taciti motus* nunquam dicere poterat pro « hujus quantumvis taciti motus ». *Orell.* — Equidem codicum plurimorum lectionem *taciti* rejicere nolim, dummodo in plurali numero accipiatur. Nam significans hoc epitheton sæpissime cœli motibus tribuitur. Fatendum tamen Wak. explicationi congruum videri τὸ *donata* vs. seq. quod ad *mundi mœnia* tantum referatur : sed genere neutro Noster non stricte utitur. Ed.

1215. *Perpetuo.* Idem versus legitur in I, 1003, et, qui statim sequitur, superius in hoc libro, vs. 380. Minus placet illud *ævi* repetitum; et forsitan error lateat. *Wak.*

1218. *Contrahitur.* I. e. πτήσσει καὶ συνειλεῖται, uti solent animalia se submittere atque in spatium minimum conducere, ut oculos effugiant, vel ictum evitent interminantis. Nihil evidentius, felicius, et electius, horum versuum sermone. *Wak.* — *Correpunt pavore,* horrore scilicet superveniente membra, atque perreptante. Tralatio est mirabilis et audax. *Wak.*

1219. *Plaga,* ictu; ut supra vs. 1094. — *Torrida,* exusta.

1220. *Murmura,* tonitrua. Sic vs. 1192.

1222. *Corripiunt,* contrahunt, cogunt in unum artus suos, Deorum formidine perculsi; quasi morbo quodam, ut VI, 1160.

1224. *Tempus adactum.* Ne ob aliquod facinus fœde admissum, grave tempus adactum sit ad eos, eis advenerit *solvendi pœnarum*, id est, solvendi pœnas vel solvendarum pœnarum. Sic Ter. prol. Heaut. 29; Plaut. Capt. IV, 2, 72; Sueton. Aug. 98. *Lamb.* — Vide Disq. var.

1225. *Summa vis,* ut VI, 71. Vix enim jungi ita poterit : « super æquora summa ». Wak. edidit *summe*, ut construatur, *vis venti summe*, summopere, *violenti*. At ubi compararis IV, 255, *summe celeri*, perspicias necesse est vix tribus verbis v. *summe* a suo adjectivo separari potuisse. *Orell.*

1226. *Induperatorem classis,* gubernatorem ; IV, 968. — *Verrit,* impellit, jactat, agitat; I, 280.

Digitized by Google

Non Divom pacem votis adit, ac prece quæsit
Ventorum pavidus paces animasque secundas?
Nequidquam: quoniam, violento turbine sæpe
Correptus, nihilo fertur minus ad vada leti.
Usque adeo res humanas vis abdita quædam
Obterit; et pulchros fasceis sævasque secureis
Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.
  Denique, sub pedibus tellus quom tota vacillat,
Concussæque cadunt urbes, dubiæque minantur;
Quid mirum, si se temnunt mortalia secla,
Atque potestates magnas, mirasque relinquunt
In rebus vireis Divom, quæ cuncta gubernent?
  Quod superest, æs atque aurum ferrumque repertum est,
Et simul argenti pondus, plumbique potestas,
Ignis ubi ingenteis sylvas ardore cremarat

1228. *Divum pacem;* Virg. Æn. III, 370; IV, 56. — *Quæsit*, orat, exquirit. Festus: « Quæso significat idem quod rogo. *Quæsere* tamen Ennius pro *quærere* posuit ». *Lamb.*

1229. *Paces.* Sic etiam Plautus in numero multitudinis, «*pacibus* perfectis », Pers. V, 1, 1; ubi videas interpretes, et Nonium II, 621. *W.* — *Animas*, ἀνέμους. Redi ad vs. 237.

1230. *Turbine correptus;* Virg. Æn. I, 45.

1231. *Ad vada leti*, ad mortem. Metaphora ducta a brevibus, ad quæ naves appulsæ colliduntur et pereunt. *F.*

1232. *Vis abdita*, potentia occulta, vis cæca, et ignota hominibus. Mirum, quod Poeta noster, vim Deorum negans, tamen potentiam abditam, occultam, et secretam agnoscit, quæ res humanas obterat. *F.* — Hic Lucretium sibi non constare putat *Bayle*, contradicente tamen Eichst. supra t. I, p. 35, not. 2. Ed.

1233. *Fasceis sævasque secureis.* Per hæc magistratuum Romanorum insignia, notat ipsos honores et magistratus, et dignitates.

1236. *Dubiæque minantur.* Sic locus est integer concipiendus: « Et urbes (aliæ) concussæ cadunt, et (aliæ) dubiæ minantur ». Vel, « Eadem urbs ex parte concidit, et ex parte casum minitatur ». *W.* — Prior ratio mihi præferenda videtur. *Forb.*

1238. *Relinquunt;* quia istam non rejiciunt opinionem; id est, admittunt, inesse putant.

1240. *Quod superest, æs atque aurum.* His 40 vss. jam de prima metallorum inventione docet. Narrat autem quomodo ferrum, plumbum, æs, argentum, et aurum, et cetera metalla, fortuito fuerint reperta. Vult enim ea reperta fuisse primum incendio sylvarum; sive ignis, qui sylvas cremaverit, e cœlo missus; sive ab hominibus illatus. *F.*

1241. *Plumbi potestas*, robur, vis, ac firmitas; quod optime convenit τῷ *argenti pondus*, et est phrasis lepidissima, atque poetice figurata, pro *plum-*

Digitized by Google

Montibus in magnis; seu cœli fulmine misso;
Sive quod, inter se bellum sylvestre gerentes,
Hostibus intulerant ignem, formidinis ergo;
Sive quod, inductei terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingueis, et pascua reddere rura;
Sive feras interficere, et ditescere præda:
Nam fovea atque igni prius est venarier ortum,
Quam sæpire plagis saltum, canibusque ciere.
  Quidquid id est, quaquomque ex causa flammeus ardor
Horribili sonitu sylvas exederat altis
Ab radicibus, et terram percoxerat igni;
Manabat venis ferventibus, in loca terræ
Concava conveniens, argenti rivus et auri;
Æris item et plumbi: quæ, quom concreta videbant
Posterius claro in terras splendere colore,
Tollebant, nitido captei lævique lepore;
Et simili formata videbant esse figura,
Atque lacunarum fuerant vestigia quoique.

bum potens; cui scilicet ob *pondus*, et *momentum*, multa vis inest atque efficacia. *Wak.*

1243. *Fulmine misso;* vs. 1091.

1244. *Gerentes.* Nec mirum si primum homines igne bellum inter se inferebant, qui prius in usu fuerit, quam ferrum, aut æs, et arma, quibus postea pugnatum est. *F.*

1245. *Formidinis ergo.* Terroris inferendi causa. Vox *ergo* valet idem quod χάριν, ait Festus. *Lamb.*

1246. *Sive quod inductei*, etc. Ita olim pinguia reddebant arva pastores. Virg. Georg. I, 84. Sic Plin. XVIII, 30, s. 72.

1247. *Pandere.* Sylvis enim et dumis quasi claudebantur agri, quos patefacere volebant; vel *pandere* idem quod *retegere*, quia sentibus omnino cooperiebantur; sic ap. Virg. Æn. VI, 267: « Pandere res alta terra et caligine mersas ». Ed.

1249. *Ortum est*, cœptum, natum est. Sic IV, 851.

1250. *Sæpire plagis saltum.* Conf. Virg. Ecl. X, 57. — *Ciere;* IV, 610.

1255. *Argenti rivus.* Cf. Virg. Georg. II, 165.

1256. *Concreta;* in *glaciem* scilicet, vi frigoris. Confer sis Nostrum ad I, 494. *Wak.*

1257. *In terras.* I. e. super terras; hodiernorum autem editorum inverecundæ manus rescripserunt *in terris*, contra omnia exemplaria vetusta, tam manu exarata, quam impressa typis. Revertaris annotota in I, 889. *W.*—Est potius: adversus terras, terris juxta metalla positis. *Orell.*

1258. *Lævi lepore*, lævitatis jucunda venustate.

1260. *Atque lacunarum.* Eadem figura

Digitized by Google

Tum penetrabat eos, posse hæc, liquefacta calore,
Quamlubet in formam et faciem decurrere rerum;
Et prorsum quamvis in acuta ac tenuia posse
Mucronum duci fastigia procudendo,
Ut sibi tela parent, sylvasque et cædere possint,
Materiem lævare, dolare ac radere tigna,
Et terebrare etiam ac pertundere perque forare.
  Nec minus argento facere hæc auroque parabant,
Quam validi primum violentis viribus æris:
Nequidquam; quoniam cedebat victa potestas,
Nec poterant pariter durum sufferre laborem.
Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat
Propter inutilitatem, hebeti mucrone retusum;
Nunc jacet æs, aurum in summum successit honorem.
Sic volvunda ætas commutat tempora rerum:

quam habebant loca ista terræ concava, quorum vestigia ita nunc hærebant cuique metallo. Nolim itaque jungere *cuique lacunarum*. Ed.

1261. *Tum penetrabat eos*. H. e. tum veniebat eis in mentem; tum sibi persuadebant. *Lamb.*

1263. *Quamvis,* quantumvis.

1264. *Fastigia,* acumina, *la pointe.* — *Procudendo,* si procuderentur et informarentur.

1265. *Tela*. Non jacŭla solum, sed et cetera instrumenta apta ad dolandum, lævandum, radendum, perforandum, etc. — *Parent*. Præsens tempus adhibet, ut rem etiamnunc usurpatam significet; vel metri causa orationem mutavit, quod frequenter faciunt poetæ. Ed.

1266. *Materiem lævare, dolare*. Vulgatam lectionem cum Orellio sequimur. Vide in Disq. var.

1267. *Perque foràre;* et perforare.

1269. *Validi æris*, χαλκὸς ἀτειρὴς, Hom. ad Il. E, 292, i. e. στερεὸς, *validus*, ex interprete Hesychio. *Wak.*

1270. *Victa potestas*. Suppl. auri et argenti. Utrumque enim ære ac ferro mollius est. Cf. vs. 1241.

1271. *Nec poterant*. Tacita constructio ea est, qualem sæpe offendimus in Lucretii carmine, suavissimas sermonis varietates indefesso studio aucupantis: « *Nec* potestas auri atque potestas argenti poterant »: hæ *duæ* scilicet potestates. *W.*—Forsan simplicior est constructionis ratio: victa potestas *eorum,* nec *ea* ipsa poterant; *leur puissance fléchissait vaincue par un effort, et ils ne pouvaient*, etc. Videant periti. Ed.

1272. *Nam* in hoc loco potestatem habet exquisitiorem, transitioni orationis solummodo inservientem. Vide sis Priscianum lib. XVII, p. 1170. *Wak.* — *Aurum jacebat.* M. Tullius Tusc. Dispp. I, 2: « Jacent ea semper, quæ apud quosque improbantur ». *W.*

1273. *Propter inutilitatem.* Quia aurum mollius erat ære ac ferro. — *Retusum,* postquam viderant illud retundi.

1275. *Volvunda,* volubilis. Vide ad

Digitized by Google

Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore;
Porro aliud succedit, et e contemtibus exit,
Inque dies magis appetitur, floretque repertum
Laudibus, et miro mortaleis inter honore est.
Nunc tibi, quo pacto ferri natura reperta
Sit, facile est ipsi per te cognoscere, Memmi!
Arma antiqua manus, ungues dentesque fuerunt;
Et lapides, et item, sylvarum fragmina, ramei;
Et flamma atque ignes postquam sunt cognita primum,
Posterius ferri vis est ærisque reperta.
Et prior æris erat, quam ferri, cognitus usus;
Quo facilis magis est natura, et copia major.
Ære solum terræ tractabant, æreque belli
Miscebant fluctus et volnera vasta serebant,

vs. 515. Sic Virg. Æn. IX, 7: «Volvenda dies en attulit ultro». — *Tempora rerum;* conditiones et quasi tempestivitates aut statum rerum; Virg. Æn. VII, 37.

1277. *Porro aliud,* etc. Sic vs. 830; cf. II, 76.

1278. *Repertum.* Quid sibi velit hoc verbum, parum liquet; non enim de novis inventis poeta loquitur; sed de rebus quæ ex desuetudine in honorem vicissim redeunt; quare Wak. rescribendum opinatur *refertum.* Possit tamen esse quædam oppositio inter *appetitur* et *repertum;* ut in illo Virgilii, Æn. IV, 692: «*quæsivit* cœlo lucem ingemuitque *reperta*». Ergo *repertum* valebit: si reperiatur, si acquiratur. Ed.

1280. *Nunc tibi, quo pacto,* etc. His 16 vss. speciatim docet quomodo ferrum ferrique usum repererint prisci homines. Vult autem ferrum in usum hominum vocatum esse ab Discordia. *F.*

1282. *Manus, ungues,* etc. Cf. Horat. Sat. I, 3, 99 sqq.

1284. *Et flamma atque ignes.* Hoc dicit Noster, uti Bentleius quoque viderat: «Ignibus jam cognitis, æs et ferrum sunt reperta»; v. vs. 1240-1244: non autem dicit, homines flammis et ignibus pugnavisse; quod perperam intellexerunt interpretes. *Wak.*

1285. *Ferri vis;* ut supra vs. 1241, *plumbi potestas.*

1287. *Facilis.* Ad sensum maxime proprium ac primarium, quocum quid *facere* valeas: πραχτικὴ, εὐεργὴς, tractabilis. *Wak.*

1288. *Solum terræ,* terram, agros; I, 213. — *Tractabant.* I. e. moliebantur. Redeas ad vs. 932.

1289. *Fluctus.* Eurip. Ion. 60, πολέμιος κλύδων. Sic Theopompus, teste Plut., dixit ῥεῦμα καὶ κλύδων πολέμου. — *Vulnera vasta* sunt *ingentia* atque *immania* Maronis. Etiam intelligere possis ingentia *numero* non minus, quam *specie;* quum solitudinem quasi, et *vastitatem* faciant hominibus. *W.* — *Serebant.* I. e. «promiscuo atque tumultuario impetu inferebant»; ad quam notionem *spargere tela, sagittas,* et similia, poetæ passim dicunt. *Wak.*

Digitized by Google

Et pecus atque agros adimebant; nam facile olleis
Omnia cedebant armateis nuda et inerma.
Inde minutatim processit ferreus ensis,
Vorsaque in obscœnum species est falcis ahenæ,
Et ferro cœpere solum proscindere terræ;
Exæquataque sunt creperi certamina belli.
 Et prius est armatum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frenis, dextraque vigere,
Quam bijugo curru belli tentare pericla.
Et bijugom prius est, quam bis conjungere binos,

1290 sq. *Adimebant*, hostibus eripiebant; nam facile primi illi armorum inventores superabant *omnia*, quum homines alii, nudi et inermes, neque se ipsos, neque bona sua tutari possent. Ergo quum nihil contra vim defendi posset, *omnia* erant *inerma*. Male, opinor, quidam intelligunt: « facile iis qui armati erant, concedebant cunctas res invalidas et infirmas ». Forsan etiam *omnia* pro *omnes* modo positum. Ed.

1292. *Minutatim processit;* quasi nempe, postquam sæpiuscule conatus esset progredi, et se partim ostendisset, tandem plenus et integer in ora hominum prodierit. *Wak.*

1293. *Vorsaque in obscœnum.* Sic conspicitur in Macrobio VI, 1; omnia autem exempla Lucretiana, *opprobrium;* sed quum illa vox minus videatur resipere glossatorem, accipiendam esse arbitratus sum. Poeta dicit, « falcem ahenam, ut instrumentum militare (quidni potius rusticum? *Orell.*), in desuetudinem abiisse, ad usus magicos conversam »; quod ejusmodi falcibus veneficæ noxias herbas secabant. Virgil. Æn. IV, 513 : « *Falcibus* et messæ ad lunam quæruntur *ahenis* Pubentes herbæ ». *W.*

1294. *Proscindere;* vs. 210.

1295. *Creperi*, dubii, ancipitis. Festus *creperum* per *dubium* interpretatus est; et Nonius I, 45 : « *Crepera* res proprie dicitur *dubia;* unde *crepusculum* dicitur *lux dubia;* et *senes decrepiti* dicti in *dubio* vitæ constituti. *Creperum bellum,* anceps et dubium ». Deinde Lucretii versiculum laudat, et exempla vocis ex Accio, Pacuvio, Lucilio, et Varrone, congerit. *W.*

1296. *Et prius est armatum*, etc. His 53 vss. seqq. ex occasione varias bellandi artes enumerat. Ac primum quidem 5 vss. prioribus docet prius ex equo pugnatum esse inter homines, quam ex bijugo, seu ex curru duobus equis tracto: atque prius inventum esse curru bijugo pericula belli tentare, quam quadrigis uti, falciferisque curribus. *F.*— *Conscendere.* Constructio sic procedit: « Τὸ armatum conscendere est prius, quam ».

1297. *Moderarier.* Nempe læva manu; dum dextra, vegeta et expedita, pugnaret efficaciter: nam in curru bijugo *manibus ambabus* bellator, aurigante altero, vigebat. *Wak.*

1299. *Bijugom.* I. e. « conjungere currum bijugum prius est, quam conjungere currus quadrijugos » : vide Virg. Georg. III, 18. Mihi autem videor sic feliciter elegante nec dubitanda conjectura hunc versum restituisse. Nimirum, libri veteres impressi, et exarati manu, dant

Digitized by Google

Et quam falciferos armatum ascendere currus.
Inde boves Lucas, turrito corpore, tetros,
Anguimanos, belli docuerunt volnera Pœnei
Sufferre, et magnas Martis turbare catervas.
Sic alid ex alio peperit discordia tristis,
Horribile humaneis quod gentibus esset in armis,
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
  Tentarunt etiam tauros in mœnere belli,
Experteique sues sævos sunt mittere in hosteis;
Et validos Parthei præ se misere leones,
Cum ductoribus armatis sævisque magistris,

bijugo; i. e., nisi fallar, *bijugô:* quæ formula venerandæ vetustatis facile caderet in scribarum importunitatem. Sane, quum illud *bijugo* bonæ loci structuræ refragaretur, Faber conjectavit, *bijugos;* me judice, minus probabiliter, quamvis collaudent Creechius Bentleiusque. *W.*

1300. *Falciferos ... currus.* De quibus III, 642.

1301. *Inde boves Lucas*, etc. His 6 vss. subseqq. docet posterius adhibitos fuisse elephantos in prælio. Namque per boves Lucas intelligit Poeta elephantos, quos Italia, inquit Plin. lib. VIII, 6, primum vidit Pyrrhi regis bello; et boves Lucas appellavit, in Lucanis visos, anno urbis 472. — De *Lucis* autem *bovibus* omnia protrita sunt ac vulgata: vide Hessel. ad Enn. fragm. p. 305; Senec. Hippol. 352; Isidor. Origg. XII, 2; interpretes ad Veget. De re mil. III, 24; Solin. cap. xxv, fin. Nec Lucilius mihi videtur de *elephantis* non recte capiendus, apud Nonium, IV, 349. *Wak.* — *Tetròs;* cutis colore nigricantes; non, ut volunt interpretes, horrendos.

1302. *Anguimanos.* Quippe quibus proboscis, quam manum elephantorum vocant, flexilis sit, volubilis, plicabilis; et locum manuum teneat. Vide ad II, 538. — *Pœni docuerunt.* Ante Pœnos tamen Pyrrhus elephantos in prælium duxerat, sed minus edoctos. Hannibal vero *omnia* elephantis *concusserat* (III, 846); ideoque illum hic a Nostro designari crediderim; præsertim ob *magnas Martis catervas.* Sed possis etiam de Pœnorum gente omnino accipere. Ed.

1304. *Alid ex alio;* I, 1108.

1307. *Tentarunt etiam tauros*, etc. His 42 vss. posterioribus docet etiam in prælio adhibitos fuisse tauros, leones et apros. Quos tamen ait magis dominorum detrimento fuisse, quam usui. *F.*—*Mœnere belli;* I, 33.

1309. *Parthei.* Illos potissimum ideo dicit, quod populi orientis essent militari gloria longe præclarissimi, Romanisque maxime formidabiles: unde porro locus hic et vs. 1302, concinnius invicem respondent. *Wak.* — Orell. recepit *partim*, id est, nonnulli, ut VI, 1171 et 1207. « Ipse enim, inquit, vs. 1340 sqq. incertum relinquit utrum id unquam revera factum sit necne: non igitur h. l. certum ejus incepti exemplum afferre poterat. » Sed, etiamsi proprium populi nomen rejicias, rem ipsam non minus h. l. affirmat Lucretius. Et magis placet allata a Wak. ratio. Ed.

1310. *Ductoribus.* Wak. legit *doctoribus;* quæ lectio minus placet; nam

Digitized by Google

Quei moderarier heis possent, vinclisque tenere :
Nequidquam; quoniam, permixta cæde calentes,
Turbabant sævei nullo discrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes undique cristas:
Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere, et frenis convortere in hosteis.
Irritata leæ jaciebant corpora saltu
Undique, et advorsum venientibus ora petebant;
Et nec opinanteis a tergo diripiebant,
Deplexæque dabant in terram volnere victos,
Morsibus affixæ validis atque unguibus uncis.
Jactabantque suos taurei, pedibusque terebant;
Et latera ac ventres hauribant subter equorum
Cornibus, et terram minitanti mente ruebant.

leones tunc non educentur, sed ducuntur; neque *doctoribus* tempus eget. Vide in Disq. var. Ed. — *Sævis*. I. e. durum atque absolutum in belluas imperium exercentibus. *W*.

1311. *Heis*. Suppl. leonibus. Verbum igitur *moderari* regit etiam dativum. Quanquam alii legunt *hos;* quod simul etiam congrueret cum *tenere*.

1312. *Cæde calentes*. Sic III, 643.

1313. *Nullo discrimine;* tam suorum quam hostium *turmas*, agmina equestria, turbabant.

1314. *Terrificas capitum*, etc. Sic II, 633. — *Cristas*. I. e. villosas jubas, hirsutasque; eleganter et magnifice.

1315. *Fremitu*, leonum rugitu; cf. III, 298; Virg. Æn. IX, 341.

1317. *Leæ*. Feminas nunc pro ipsis leonibus nominat, variata dictione: eleganter tamen, quum feminarum iras sæpius decantent poetæ. Cf. Stat. Theb. X, 414, et ibi not. Ed.

1318. *Undique*, huc illuc, in omnem partem immani saltu irruebant, et obviis quibusque ora ac faciem appetebant.

1319. *Diripiebant*. L. *deripiebant;* i. e. vi detrahebant equis : minus recte, quum aptissime opponantur invicem *ora petebant*, a *fronte* facere impetum scilicet, atque *a tergo diripiebant;* i. e. a *postica parte* subinde lacerabant. His statim pulchre subjicitur *tertia* lædendi via : adeo nihil supervacaneum est, nihil non integrum, et æquali rotunditate concinnatum. *W*.

1320. *Deplexæ*. Lamb. intell. « deligatæ et solutæ » ; quod hic minime ad rem. Melius igitur Creech. et Wak. « arcte amplexæ, valide ambientes ».

1321. *Affixæ*. I. e. inhærentes, *sese affigentes;* ad mediæ vocis usum. Neque aliter Virg. Georg. IV, 238. *W*.

1322. *Suos;* quos mox *socios* vocat vs. 1325.

1323. *Ventres equorum subter hauribant*. Id est, aperiebant et extrahebant sanguinem atque inclusa viscera. Virgilius phrasin sublegit, Æneid. X, 313 : « huic *gladio* ... *latus haurit* apertum ». *Wak*.

1324. *Minitanti mente*, irato animo, furibundi, *terram ruebant*, spargebant arenam. Cf. I, 273.

Digitized by Google

Et validis socios cædebant dentibus aprei,
Tela infracta suo tinguentes sanguine sævei,
[In se fracta suo tinguentes sanguine tela,]
Permixtasque dabant equitum peditumque ruinas.
Nam transvorsa feros exibant dentis adactus
Jumenta, aut pedibus ventos erecta petebant:
Nequidquam; quoniam ab nervis succisa videres
Concidere, atque gravi terram consternere casu.
Si quos ante domi domitos satis esse putabant,
Effervescere cernebant in rebus agundis,
Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu:
Nec poterant ullam partem reducere eorum;
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum,
Ut nunc sæpe boves Lucæ, ferro male mactæ,
Diffugiunt, fera facta suis quom multa dedere.
Sic fuit ut facerent: sed vix adducor, ut ante

1325. *Socios;* dominos scilicet, quos in bellum comitabantur; sic *suos*, vs. 1322.

1326. *Tela infracta.* Vide infra in Disq. var.

1329. *Transvorsa;* equi transverso saltu *exibant* dentes aprorum; evitare, effugere conabantur. Sic *exire* ad VI, 1205; Virg. Æn. V, 438; Stat. Theb. II, 138; IV, 601. Ed. — *Exibant.* I. e. solebant dare operam exire, neque exierunt tamen; quæ vis est hujusce temporis minime inusitata. *W.* — *Adactus*, morsus. Vocabulum, ut multa alia apud Lucretium, ἅπαξ λεγόμενον; cf. etiam ad IV, 17. Wak. legit *ad actus.*

1330. *Petebant*, feriebant, calcibus auras verberabant, ut ait Virg. Æneid. X, 892.

1331. *Ab nervis succisa*, nervos crurum ab apris succisos habentia.

1332. *Terram consternere;* Virgil. Æn. XII, 543.

1333. *Si quos ... putabant*, et ideo in bellum educebant; tum effervescere, etc.

1334. *Effervescere*, in nativam ferociam ebullire. *Wak.*

1337. *Varium genus omne.* Wakef. corrigi jubet *variùm ferorum;* quam conjecturam Orell. non immerito inanem vocat. *Forb.* — *Ferarum*, taurorum scilicet et aprorum.

1338. *Ferro male mactæ.* I. e. male habitæ. Sic *virtute mactus*, apud Putschii grammaticos, p. 1750; *vino mactus*, in Arnobii lib. VII, p. 236, atque similia nonnulla. Dicit autem Lucretius, « has feras, jam diu rebus militaribus desuetas, cædem promiscuam olim dedisse, non magis suis, quam hostibus, parcentes; ut hodieque elephantes in prælio vulnerati strages mutuas inferunt, et tumultus ». Quæ licet sint longe manifestissima, multi locum male intellexerunt de victimis ad aram sauciis scilicet, diffugientibusque. *W.*

1339. *Suis;* cf. vs. 1322.

1340 sqq. *Sic fuit ut facerent.* Fieri

Digitized by Google

Non quierint animo præsentire atque videre,
Quam commune malum fieret fedumque futurum:
Et magis id possis factum contendere in omni,
In variis mundis, varia ratione creatis,
Quam certo atque uno terrarum quolubet orbi.
Sed facere id non tam vincundi spe voluerunt,
Quam dare quod gemerent hostes, ipseique perire,
Quei numero diffidebant, armisque vacabant.
Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen:
Textile post ferrum est; quia ferro tela paratur:

potuit ut sic feras omnis generis secum in prælia ducerent prisci illi homines, et hinc maximum sibi pararent periculum; sed vix *adducor* (Cic. De fin. I, 5; De div. I, 18) ad credendum eos tam imprudentes fuisse, ut malum illud sibi et hostibus commune exitiosumque futurum non præviderint ante quam fieret. Plena igitur constructio ita se habebit: « præsentire malum futurum commune et fœdum, antequam commune et fœdum fieret ». Sic optime procedit oratio; quare miror omnes interpretes in hoc loco explicando hæsisse. Fere similem constructionem vide ad IV, 492. Errat profecto, me judice, doctiss. Wak. ordinem verborum sic statuens: « vix adducor ut putem *hoc futurum*, nempe ut non quierint prius videre malum quam fieret »; nam sic non *futurum*, sed *factum fuisse* dicendum erat. Male etiam, opinor, alii *ante* pro *antea* exponunt, ut *quam commune* quasi per exclamationem intelligatur. Vide Disq. var. Ed.

1343. *Et magis*, etc. Et tamen res adeo incerta est hoc usquam factum esse, hanc unquam consuetudinem uni cuidam populo peculiarem fuisse et propriam, ut prudentius affirmares hoc in variis universi mundis evenisse, quam in certa qualibet terrarum parte. Id est, Et tamen nullum hujus rei exemplum apud aliquam gentem certo invenies; vaga tantum et incerta fama est. Nota vero *facerent, factum, facere*, quæ sibi invicem in toto loco respondent. Ed.

1346. *Sed facere*. Si qui igitur talem defensionis modum adhibuere, prævi derant quidem malum antequam fieret, sed in desperationem adducti voluerunt, etc. Hoc itaque confirmat quod modo ad vs. 1340 diximus. Ed.

1347. *Quod gemerent*, propter quod gemerent. H. e. dare ploratus hostibus. Sic Ter. in Ph.V, 9, 63 (1051): « Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata, et quod tuo viro oculi doleant? » *Lamb.* — *Ipseique perire*. I. e. voluerunt, dummodo malis mactarent hostem, nec inulti caderent. *W.*

1348. *Armis vacabant;* qui inermes erant.

1349. *Nexilis ante fuit*, etc. His jam 11 vss. docet post ferri inventionem tantum repertas esse pro nexilibus textiles vestes, quæ ferro parantur. *F.* — *Nexilis vestis*. Nimirum tergora ferarum, vss. 952, 1009 superius; earumdem nervis, vel obviis aliis ligaturis quibuscumque, temere connexa. Lucem dabit his Achæmenidis vestitus in Virgilio, Æneid. III, 594: « Consertum tegumen spinis ». *W.*

1350. *Post ferrum*, post inventionem

Digitized by Google

Nec ratione alia possunt tam lævia gigni
Insilia ac fusei, radiei scapeique sonantes.
Et facere ante viros lanam natura coegit,
Quam muliebre genus; nam longe præstat in arte,
Et solertius est multo genus omne virile:
Agricolæ donec vitio vortere severei;
Ut muliebribus id manibus concedere vellent,
Atque ipsei pariter durum sufferre laborem,
Atque opere in duro durarent membra manusque.
At specimen sationis, et insitionis origo
Ipsa fuit rerum primum Natura creatrix;

ferri *textile*, supple *tegmen*, exstitit.— *Tela paratur*, quod, me judice, magis poeticum est vulgato *parantur*. Facile etenim subintelligimus, *telam* non posse recte procedere sine *telis*, vel instrumentis ferreis. *W.*

1352. *Insilia.* Hæc vox fugit interpretes: Faber demum existimat *Insilia* esse eam instrumenti textorii partem, quæ pulsu pedum quatitur, ut staminis pars modo attollatur modo deprimatur, et fuso seu radio currenti libere trameare liceat: idque ab insiliendo. Quam conjecturam evertere videtur vox ista adjuncta *lævia. Creech.* — Insile autem axis est textorius, circa quem tela volvitur. *F.* — *Insilia*, κανόνες, ἀντίον, liciatorium Vulgatæ (I Sam. 17, 7), lignum in quo licium involvitur in tela pendula seu jugali, insubulum in tela plana apud Isidorum, XIX, 29. *Orell.* — *Radiei sonantes.* Ut Euripides fragm. Meleag. 3, κερκίδος ἀοιδοῦ· et similibus Græca redundat Anthologia. Nec alienus aderit Virgilius in Georg. I, 294: «*Arguto* conjunx percurrit *pectine* telas». *W.*— *Scapique.* An significent instrumenta textoris, quorum pulsu tela coarctatur et condensatur, vel jugum circa quod stamina volvuntur, videant grammatici. *Creech.*—Idem fere quod pecten. *Orell.*

1353. *Facere lanam.* I. e. tractare, subigere, texere, atque componere demum in vestimenta, μηχανᾶσθαι. *W.*

1356. *Agricolæ.* Ii qui terræ colendæ incumbebant, mollitiem et segnitiem lanam facientibus exprobravere; et ita jusserunt ut vellent, etc. — Nec sine contumelia eos hortabantur, lanificium mulieribus ut committere vellent, ipsique *pariter* (peræque atque illi qui jamdudum agro colendo vacabant) durum hoc opus rusticum suscipere, *utque* (an sic leg. pro altero *atque?*) in opere duro durarent membra. *Orell.*

1359. *Duro durarent.* Versum spurium esse monuit Faber; perperam; quia versiculum non tantummodo defendere valeat ἀφέλεια quædam vere Lucretiana, sed apertissima Maronis imitatio, in Georg. IV, 114: «Ipse *labore manum duro terat*». *W.*

1360. *At specimen sationis*, etc. His 18 vss. docet de prima agricultura, cujus rudimenta prima ostendit hominibus ipsa natura; quandoquidem decidui arborum fructus suo tempore pullulare ac crescere in virgas videbant, quas et transplantare, et inserere diversis arboribus ausi sunt. Interim varia cultura terram cicurabant, quæ multo cum fœnore dulces fœtus ex agrestibus rependebat.

Digitized by Google

Arboribus quoniam baccæ glandesque caducæ
Tempestiva dabant pullorum examina subter;
Unde etiam lubitum est stirpeis committere rameis,
Et nova defodere in terram virgulta per agros.
Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant; fructusque feros mansuescere terra
Cernebant indulgendo, blandeque colundo:
Inque dies magis in montem succedere sylvas
Cogebant, infraque locum concedere culteis:
Prata, lacus, rivos, segetes, vinetaque læta,
Collibus et campis ut haberent; atque olearum
Cærula distinguens inter plaga currere posset,

F. — *Specimen*, exemplum, documentum sationis fuit ipsa natura.

1362. *Baccæ*. Vox ea diversorum fructuum genera significat, ut lauri, olivæ, palmæ, corni, myrti, et aliarum id genus arborum. *Fay*. — *Caducæ*, deciduæ, lapsæ.

1363. *Pullorum*. Vocem pariter adhibuit de *surculis arboreis* Cato De re rust. cap. 51. Sic *arborum pulluli* apud Plinium Hist. Nat. XVII, 12. — *Examina*, de rebus non animatis: quod notandum. *W*. — Audacius etiam Eurip. Bacch. 709, γάλακτος ἑσμοὺς dixit. *Or*.

1364. *Lubitum est*. Quasi merum experimentum temere periclitari vellent; prorsus dubii, an talis esset insitio feliciter, necne, processura. *W*. — *Stirpeis committere rameis*. Unum hoc est e pluribus insitionis genus: Gallice, *greffer en fente*. Sed de variis modis, quibus arbores naturaliter et artificiose proveniunt, consule Virgilium Georg. lib. II ab initio. *F*.

1365. *Virgulta per agros*. Cf. supra vs. 933; Virgil. Georg. II, 346.

1366. *Dulcis agelli*, cultori suo dilectissimi.

1367. *Fructusque feros*; Virg. G. II, 36. — *Mansuescere terra*. Wakef. interpretatur: « mansuescere *cum* terra, scilicet mansuescente »; ingeniose quidem, sed forsan paulo subtilius. *Terra*, id est, in terra, scilicet exculta. Ed.

1368. *Indulgendo*. Virg. Georg. II, 277: « indulge ordinibus ».

1369. *In montem succedere sylvas*. Hercle prosopopœiam elegantissimam habemus: *Sylvas*, animatas quasi, cernere videmur ex hominum cultura se de planitie in montem pedetentim subducentes. *W*.

1370. *Infraque locum*. Duo hæc verba jungunt interpretes: locum qui esset infra, seu locum inferiorem. Eodem vero redit si intelligas: « *infra*, in inferiore parte, in vallibus et planitie camporum, frugibus locum cedere ». Ed.

1372. *Haberent*; scilicet ipsi homines. — *Atque olearum cærula plaga*. Ut Pindarus Ol. III, 23, pereleganter, γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας. Et nihil delicatius, nihil suavius, nihil denique ex omni parte mollius et castigatius, his versibus Lucretianis vel optari, vel fingi potest: quorum putem non immemorem Virgilium fuisse, ad Georg. II, 284, 285, quo te recipias. *W*.

1373. *Distinguens intercurrere*. Ut cæruleus ordo olivarum per agros exten-

Digitized by Google

Per tumulos et convalleis camposque profusa.
Ut nunc esse vides vario distincta lepore
Omnia; quæ, pomis intersita dulcibus, ornant,
Arbustisque tenent felicibus obsita circum.
At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam lævia carmina cantu
Concelebrare homines possent, aureisque juvare.
Et Zephyri, cava per calamorum, sibila primum
Agresteis docuere cavas inflare cicutas.
Inde minutatim dulceis didicere querelas,
Tibia quas fundit, digitis pulsata canentum,
Avia per nemora ac sylvas saltusque reperta,
Per loca pastorum deserta, atque otia dia.
Sic unum quidquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Hæc animos olleis mulcebant atque juvabant

sus intercurrere posset, eosque grata varietate distinguere.

1376. *Ornant,* ipsi homines.

1377. *Obsita circum,* circumsata.

1378. *At liquidas avium,* etc. His jam 44 vss. docet de primis musicæ rudimentis. *F.* — *Liquidas*, II, 145.

1379. *Lævia.* Nam quod gratum sensibus, illud *læve* Epicuro. *Creech.*

1380. *Aureisque juvare,* auresque delectare. Sic vs. 1389.

1381. *Et Zephyri.* In dubio est, quam constructionem voluerit poeta : utrum *Zephyrei* in primo cas. num. plur. *per cava sibila*, i. e. sibilas cavitates : an *sibila Zephyri,* casu patrio; quæ mihi videtur longe elegantior. *W.* — *Cava calamorum*, cavos calamos.

1382. *Cicutas*, calamos, cannas. Sic IV, 590 : « Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes » ; et inf. vs. 1406.

1383. *Dulceis querelas.* Redi ad IV, 586. Et sane *querula vox* quædam propria est *cantantium poetarum ;* consulas Quintil. Instt. I, 8, init. cum Euripid. Med. 149, et schol. ad Hippol. 750 ed. Egertoni. *W.*

1385. *Reperta.* Tibia, inquam, ista quam per avia nemora, et saltus repertam pastores otio abundantes in locis desertis exercebant. *Cr.*

1386. *Otia dia.* Hoc dictum est propter *deos sylvestres*, quos vulgus credit in his locis inhabitare; conferas IV, 582-594. *W.*

1387. *Sic unum*, etc. Hi 2 vss. repetuntur vs. 1453. — *Quidquid,* quidque. Sic vs. 771, et alibi passim.

1388. *In medium*, in publicum, in lucem.

1389. *Hæc animos olleis*, etc. H. e. his cantibus rudes illi homines mulcebantur ac delectabantur eo ipso tempore, quo epulabantur et satiabantur. Vel, una cum cibo, quo satiabantur, agresti musica animos suos oblectabant. *Lamb.*

Digitized by Google

Cum satiate cibi; nam tum sunt omnia cordi.
  Sæpe itaque inter se, prostratei in gramine molli,
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jocunde corpora habebant:
Præsertim, quom tempestas ridebat, et anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.
Tum joca, tum sermo, tum dulces esse cachinnei
Consuerant: agrestis enim tum musa vigebat.
Tum caput atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus et foliis, lascivia læta monebat:
Atque extra numerum procedere, membra moventeis
Duriter, et duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur risus, dulcesque cachinnei;
Omnia quod nova tum magis hæc et mira vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant solatia somno,
Ducere multimodis voces, et flectere cantus;
Et supera calamos unco percurrere labro:

1390. *Satiate*, satietate. Utrumque enim dicitur, *satias*, *satietas*; II, 1038. — *Nam tum*, quum saturi sunt homines, *sunt omnia cordi*, omnia grata sunt; nihil eos sollicitat; omnibus vitæ jucunditatibus plene fruuntur. Non opus est igitur Fabri conjectura *otia*, quam Wakef. in textum admisit. Possis etiam int. «*hæc omnia*, quæ memoro»; sed alterum malo. Ed.

1391. *Sæpe itaque inter se*, etc. Hi 5 vss. positi sunt fere iidem lib. II, 29 sqq.

1396. *Dulces cachinnei*, suavi innocuoque risu se delectabant.

1397. *Agrestis musa*; Virgil. Ecl. VI, 8.

1398. *Humeros*; qui coronis scilicet, *collo* superimpositis, obumbrabantur. Ovidius est huic loco commodus, in Fast. II, 739: «fusis per colla coronis». *Wak.*

1400. *Extra numerum*. H. e. non in numerum, incomposite. Cui opponitur, in numerum, vel ad numerum; IV, 790. — Sic Virg. Georg. I, 350: «Det *motus incompositos* et carmina dicat».

1401. *Duriter*, dure, rustice; ideo non molliter et venuste. — *Matrem*; II, 599.

1404. *Vigilantibus*. His novis voluptatibus adeo delectabantur, ut sese vel somno fraudare non gravarentur, dummodo choreis, cantibus, et conviviis, plene vacare possent, atque indulgere festivitati: nec minus hæc sunt hodiernis hominibus deliciæ, quam antiquissimis. *Wak.*—*Solatia somno*; deficienti scilicet; id est, vice somni, pro somno.

1405. *Ducere multimodis*; vocem varie fingere ac figurare; seu voce varie figurata cantillare. *Lamb.*

1406. *Supera*, supra, nimirum in superiori parte calamorum. Vide IV, 590.

Digitized by Google

U de etiam vigiles nunc hæc accepta tuentur,
Et numeris servare genus didicere; neque hilo
Majore interea capiunt dulcedine fructum,
Quam sylvestre genus capiebat terrigenarum.
  Nam, quod adest præsto, nisi quid cognovimus ante
Suavius, in primis placet, et pollere videtur;
Posteriorque fere melior res olla reperta
Perdit et immutat sensus ad pristina quæque.
Sic odium cepit glandis; sic olla relicta
Strata cubilia sunt herbis et frondibus aucta.
Pellis item cecidit, vestis contemta ferina;
Quam reor invidia tali tunc esse repertam,

1407. *Unde etiam vigiles.* I. e. vel jam vigilantes, ut olim, vs. 1404; et somnum sic bene compensatum hodieque reputantes. *W.* — Unde etiam nunc excubiæ, custodes, qui somnum arcere volunt, cantare solent. Cf. Æschyli Ag. 16. *Orell.* — *Tuentur,* observant.

1408. *Genus;* genus suum conservare singulis numeris.

1409. *Majore.* Junge « fructum majore dulcedine ». Alii legunt *majorem.* Nec refert utrum velis τὸ *dulcedine* pendere ab *fructus*, an ab *majorem,* si hæc lectio arrideat; quæ sane nobis non videtur ea simplicitate, qua recepta. *W.*

1410. *Sylvestre genus terrigenarum.* Homines prisci e terra nati, et in sylvis primum degentes. Sic vs. 1426, et supra vs. 803 sqq.

1411. *Nam, quod,* etc. Wak. suspicatur Lucretium scripsisse *Jam, quod*, quamquam concedit *nam* transitionibus quoque inservire. Vide supra ad 1272. *Forb.*

1413. *Posteriorque.* Duplex est constructionis via; vel, « Illaque melior res posterior reperta perdit sensus » : quæ placet nobis, ut elegantior et simplicior; vel, « Posteriorque res melior perdit illa priora reperta, et immutat sensus »: quæ videtur minus signata, durior, ac tortuosior; arrisit tamen editoribus, et pluribus interpretibus. Liberum sit judicium lectoribus. *W.*

1414. *Immutat sensus ad pristina.* H. e. facit ut pristina quæque minus grata sint et jucunda sensibus, quam antea fuerant. *Lamb.*

1415. *Sic odium,* etc. Rem confirmat exemplo, atque ostendit inventis frugibus odium glandis cepisse mortales: inventis textilibus et purpureis vestibus pelles fuisse contemptui; et similia. *F.* —*Cepit* eos; III, 80; vulgo *cœpit.*

1416. *Frondibus;* vs. 985.

1417. *Ferina.* Vulgo post *ferina* ponunt *est*, vetustis libris reclamantibus. Ordo est: Pellis, ferina vestis, cecidit contempta. *W.*

1418. *Quam reor invidia,* etc. H. e. quam vestem ferinam ita puto inventori ipsi fuisse invidiosam (invidiæ causam), ut is, qui primus eam gessit, per insidias ab aliis fuerit interfectus. *F.* — *Tunc,* quum omnes veste egerent, et tempestatum injurias paterentur. Wakef. autem e tribus MSS recepit *nunc*, quod cum *reor* jungit. Ed.

Digitized by Google

Ut letum insidiis, qui gessit primus, obiret;
Et tamen inter eos distractam, sanguine multo,
Disperiisse; neque in fructum convortere quisse.
 Tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant;
Quo magis in nobis, ut opinor, culpa resedit:
Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
Terrigenas; at nos nil lædit veste carere
Purpurea, atque auro signisque rigentibus apta;
Dum plebeia tamen sit, quæ defendere possit.
Ergo hominum genus incassum frustraque laborat

1420. *Et tamen.* I. e. « At, quamvis primo reliqui patienter ferrent inventorem gerere, postea tamen rixam exortam reor, et vestem inter pugnantium manus dilaceratam periisse. » Quibus nihil vividius cupias, et efficacius: editores autem non pœnituit de suo infercire *tandem.* Wak. — Aliter ego *et tamen* caperem; id est, et quamvis eum spoliaverint, præda tamen non fruiti sunt, etc. Vel cum Orellio: « nihilominus, quantumvis esset pretiosa »; coll. vs. 1095, 1124, 1176. Ed. — *Sanguine multo;* scil. effuso; absolute dictum.

1421. *Disperiisse.* Sic, vel *Disperisse,* libri veteres universi: editores nihilominus, nescias impudentius an indoctius, de suis somniis *Dispersisse* intruserunt in contextum: non animadvertentes scilicet verbum *convertere* in absoluto sensu poni, ad morem usitatissimum poetæ: redeas ad IV, 136, et vss. 616, 829 superius. Quod dedimus, id solito cum judicio Bentleius unice probabat. *W.*

1422. *Tunc igitur pelles,* etc. His 13 vss. jam luxum hominum posteriorum damnat Poeta, qui non jam pro pellibus aut veste ferina pugnent, sed pro auro et purpura; quum tamen homini sat sit plebeia vestis, ad frigus arcendum. *F.* — *Aurum et purpura.* I. e. aurata et purpurea vestis, ut sese explicat Poeta vs. 1427.

1424. *Quo magis.* Quam ob causam magis etiam culpandos censeo. — *Resedit.* De re jam diu vigente loquitur, et adhuc manente; quasi stationem dudum occupaverit, atque inveteraverit. Hæc autem verbi forma longe efficacior ea, quam editores ex arbitrio dederunt, exemplarium veterum auctoritatem proculcantes; *residit* scilicet. *W.*

1425. *Frigus enim nudos,* etc. Necessitas enim primo vestium usum reperit; frigoris scilicet arcendi causa. Deinde luxus et voluptas provexerunt purpureas et auro insignes atque acu pictas vestes. *Lamb.*

1426. *Terrigenas;* vs. 1410.

1427. *Rigentibus;* Virg. Æneid. XI, vs. 72.

1428. *Plebeia tamen quæ defendere possit.* Horatius imitatus est locum, in Sat. I, 3, 14: « toga, quæ defendere frigus, Quamvis crassa, queat ». *Defendere* autem in Caro sonat simpliciter *tegere.* W.

1429. *Incassum frustraque;* vide ad II, 1060. — *Laborat.* Quia non contentus est parvo ac modico, nec cognoscit, quæ sit habendi finis. *Lamb.*

Digitized by Google

Semper, et in curis consumit inanibus ævom:
Nimirum, quia non cognovit, quæ sit habendi
Finis, et omnino quoad crescat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in altum,
Et belli magnos commovit funditus æstus.
At vigiles mundi magnum et vorsatile templum
Sol et luna suo lustrantes lumine circum
Perdocuere homines annorum tempora vorti;
Et certa ratione geri rem atque ordine certo.
Jam validis sæptei degebant turribus ævom;
Et divisa colebatur discretaque tellus.
Tum mare velivolis florebat propter odores:
Auxilia ac socios, jam pacto fœdere, habebant:
Carminibus quom res gestas cœpere poetæ
Tradere; nec multo priu' sunt elementa reperta.

1432. *Quoad*; vs. 1212.

1433. *In altum*, in mare, in medios fluctus, ideoque in medias tempestates. — Ceterum nobilissimam habemus in Lucretio translationem, et ex omni parte pulchre concinneque procedentem. Nec, qui sequuntur, versus quispiam veterum nativis leporibus ac venustate simplici superavit. *W*.

1435. *At vigiles mundi*, etc. His 4 vss. scribit Poeta mortales ex solis et lunæ cursu didicisse annorum tempora circumagi, atque in orbem redire, et statos ac certos esse rerum ordines. *Lamb*. — *Vigiles sol et luna*. Pereleganter; utpote qui, nunquam defatigati cursu, ne nocte quidem, cunctis quiescentibus, « dulci declinant lumina somno ». *W*. — *Mundi templum*, cœlum; vss. 491, 492, et II, 1039.

1437. *Perdocuere*. I. e. *plene* et planissime *docuere*; quasi monita constantissime repetita talium doctorum nemo, sensu communi præditus, non posset intelligere. *W*.

1439. *Jam validis sæptei*, etc. His 18 vss. postremis docet Poeta de prima artium et poeseos origine; cœperunt enim tandem poetæ canere facinora, hymnisque heroas concelebrare. *F*.

1440. *Discretaque*, limitibus scilicet et finibus distincta.

1441. *Tum mare velivolis*. I. e. navibus; quæ vox facile subintelligitur, quum epitheton positum alii nihilo, saltem apud veteres, conveniat: vide Bos. Ellip. Græc. nomm. voce Ναῦς. *Wak*. — *Florebat*, celebrabatur; a multis navibus percurrebatur; cf. I, 256. — *Propter odores*. I. e. luxuriosissimas merces quaslibet. Eleganter utique, quod *odorum* orientalium maximus erat usus, et pretium maximum, Romanis, uti satis liquet plurimis ex scriptoribus: conferas modo velim, in re minime dubitanda, Horat. Od. I, 31, 10-15. *W*. — Vide Disq. var.

1442. *Pacto fœdere*; per fœdera inter gentes inita.

1444. *Nec multo prius*. Nimirum,

Digitized by Google

Propterea, quid sit prius actum, respicere ætas
Nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.
  Navigia, atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, vesteis, et cetera de genere horum,
Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,
Carmina, picturas ac dædala signa, politus
Usus et impigræ simul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredienteis.
  Sic unum quidquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis erigit oras.

prius quam poetæ res gestas carminibus tradere cœperunt. *Lamb.* — Vide Disq. var. — *Elementa;* I, 198.

1445. *Prius actum,* quam elementa literarum essent reperta. — *Respicere;* nam quæ præterita sunt, retro esse dicuntur. Horat. Od. III, 29, 46 : « quodcumque retro est ». *Lamb.*

1446. *Qua.* Suppl. via, aut ratione. Adverbialiter usurpatur.

1447. *Navigia.* Quorum inventionem magna cum elegantia ingenii Maximus Tyrius pedetentim persequutus est in Diss. XII, 2 : nec te, venuste lector, pigebit locum adiisse. *W.*

1448. *Vias.* Convenit Tibullus, I, 3, 35 : « Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam Tellus in longas est patefacta *vias* ». *Wak.*

1449. *Præmia;* vs. 868, 1150. — *Præmia vitæ* sunt *commoda* atque *utilitates* vitæ, sine quibus *beate* duci nequit; *deliciæ* autem sunt ille *cultus* supervacaneus, sine quo *jucunde* duci nullo modo potest. *W.*

1450. *Dædala signa;* sculpturam; I, 7; II, 505. — *Politus usus.* Sic scribendum esse mihi lectionis varietas persuasit. *Politus* autem *usus* is est, qui polituram vel pariat, vel habeat, atque ad perfectionem aliqualem sit excultus. *W.* — Vulgo *polire.* Orellius autem, qui dubitat an *politus usus* cum vera latinitate congruat, edidit *politos,* coll. III, 308, hoc sensu : Usus igitur et experientia docuerunt homines semel *politos* navigia, etc. Quum vero *politos* non optime conveniat seqq. *pedetentim progredientes,* Wak. lectionem, Eichst. et Forbigero probatam, prætuli, *usus politus,* id est, qui politos facit. Ed.

1452. *Pedetentim progredienteis.* Sic vs. 534. — Alii legunt *progredientes;* ut sensus sit : Usus et experientia, sensim progredientes, docuerunt; quam lectionem magis Lucretianam putat Wakef. Mihi autem secus videtur ob verbum *docuit,* quod nullo modo sic cum *progredientes* jungi posse arbitror. Ergo int. « usus docuit homines, paullatim progredientes, etc. » Ed.

1453. *Sic unum quidquid.* Conf. vs. 1387 sq.—Quæ arte et ratione constant, inquit, non fuerunt uno eodemque tempore inventa et perfecta; sed primum inventa, eaque nondum satis polita; deinde temporis tractu perfecta ac perpolita. *L.*

1454. *Erigit.* Ut arbor, vel quævis planta procerior, *erigitur* e telluris tenebris. Editores, contra libros veteres universos, reponunt *eruit,* ex vs. 1388 accersentes. *Wak.* — Orellius tamen, etsi concedit, « Lucretium interdum consulto similes versus leviter immutasse », ta-

Digitized by Google

Namque alid ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venere cacumen.

men utrobique idem verbum præstare arbitratur, causa non addita : quare hic etiam *eruit* edendum curavit. « Non enim, scribit cum Oudendorpio ad Apuleii Met. I, p. 470, ea tantum *erui* dicuntur, quæ in terræ latent visceribus, sed et illa quæ in abdito sunt recondita ». Mihi et codd. auctoritas et Lucretii consuetudo vulgatam satis superque defendere videntur. *Forb.*

1455. *Alid;* I, 1108.— *Clarescere.* Videtur sermo venustissime translatus ab oriente sole, pedetentim progrediente, et ætherias arces tandem conscendente. *W.* — *Videbant.* Vulgo *videmus*, quod primo adspectu blanditur, ut sit sententia generalis. Sed alteram lectionem vindicat in primis v. *corde*, quod junctum cum *videmus* otiosum est : contra, « homines prisci illi mente videbant in artibus aliud ex alio clarescere, id est, perfectius reddi ». *Orell.*

1456. *Summum cacumen;* I, 897; II, 1130.

Digitized by Google

IN LIBRUM QUINTUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

30. *Thracen.* Universa exemplaria, si P. excipias, hunc versum sequenti postponunt. Sequentes duos omittit Vind. codex; et omnes alii, præter P. versum integrum, haud dubie insititium cujusdam glossatoris, uncinis cancellatum, non agnoscunt. Nimirum, voces ipsæ *Stymphala colentes* mentem poetæ satis declarant, ut ut aliter senserit sciolus ille interpolator. Si constaret alicunde, locum fuisse Thraciæ, *Stymphalum* nomine, de quo tamen disquirens undequaque nihil valui reperire, satis manifestum est ex consensu codicum, hos versus ita probabiliter constituendos fore: « Et Diomedis equei, spirantes naribus ignem, Tanto opere officerent nobis, Stymphala colentes Thracia, Bistoniasque plagas, atque Ismara propter? » Et profecto memet tantum non persuasum habeo, a Lucretii manu haud aliter periodum provenisse: atque doctior forsan aliquis rem posthac ad liquidum perducere feliciter valebit. *Wak.* — Pro *Thracia* autem, omnium fere librorum lectione, quam Wak. retinuit *loca* subintelligens, quod mihi audacius videtur, edidi *Thraciam* duabus syllabis pronuntiandum. *Forb.* — Plura jamdudum hoc loco turbata fuisse apparet, sed quum doctus aliquis interpolator versuum transpositione et supplemento illo *uncisque... volucres*, haud infeliciter ea redintegrare conatus sit (nam hodieque artifices in fingendis Stymphalidibus sequuntur nostri emendatoris judicium; vid. Visconti, Mus. Pio-Clementino, t. IV, p. 263, ed. Mediol.) nec respuendam duxi lectionem *Thracen.* In talibus profecto aut codd. lectio, quamvis manca, sine ulla varietate retinenda est, aut in levioribus quoque correctoris judicio obtemperandum. *Orell.*

36. *Oceanum propter.* Sic edidi cum Bodl. Vind. Brit. 2, 3, et cunctis edd. vett. Orellium sequutus, qui recte observat, librarios ubivis fere adjectivum *Oceanus* obliterare tentavisse. Wak. tamen servavit Lambini conjecturam, *Propter Atlanteum litus*, quia in omnibus codd. Lambini *propter Atlaneum* legitur. *Forb.* — *Pelagique severa.* Vind. Brit. 3, et omnes edd. vett. *sonora;* minus bene. Orell. hic ut ad VI, 620, legit *pelage.*

45. *Insinuandum.* Si Saturnium audimus, gerundia hæc usurpantur

Digitized by Google

in nominativo plurali, quod fieri censet in hoc Lucretii, ubi *insinuandum* poni censet pro insinuanda. Sed fallitur. Nam *pericula* est casus incusativus. *Voss.* De Anal. III, 10.—Libri autem plurimi *sunt* exhibent; vix unus et alter *tunc*, quod vulgares editi recepere.

48. *Spurcitia ac petulantia.* Sic libri; Lamb. ex arbitrio *spurcities, petulantia;* audacissime. Item editores impudentes de suo *desidiesque. Wak.*

64. *Cernere quom.* Lambinus *cernere uti.*

65. *Nunc huc.* Editores contra libros *nunc me huc.*

79. *Hæc.* Ita Lugd. 1, 2; Poor. Cant. quos Hav. Wak. Eichst. Orell. sequuntur. Bodl. Ald. 1, 2, Bon. Junt. *hic*, ut vulgo editur; reliqui omnes *hoc. Forb.*

94. *Quorum.* Edd. *horum*, contra libros. Vide ad II, 347.

99. *Accidat.* Retinui cum Eichst. et Orell. vulgarem lect. quam meliores libri, et quod rectissime Orell. commemorat, locus parallelus I, 921, ubi æque subjunctivus sequitur, tuentur. Wak. *accidit*, cum Vind. Poor. Brit. 2, 3, et vett. edd. *Forb.*

113. *Tripode e Phœbi.* Vulgatam lectionem cum Eichst. et Orellio servavi. Wak. *tripode a* recepit. *Forb.*

116. Wak. ante *cœlum* e plurimis libris inseruit *et*, quod cum Eichst. et Orell. rursus omisi. *Forb.*

123. *Ab numine.* Sic Junt. et Ald. 2, a quibus quum plurimi libri (certe reliquæ edd. vett.) præpositionem prorsus omittant, non recessi. Wak. tamen *a numine*, nescio cum quibus libris. *Forb.*

129. *Non æquore.* Editores impudenter de suo *nec in. Wak.*

134. *Longius.* Editores *longiter*, libris reclamantibus.

135. *Quod si posset.* Vulgo *hoc si,* membranis haud dubie invitis. — Superioribus ex « Sicut in æthere non arbor, etc. » usque ad decimum vs. «Tandem in eodem homine, etc. » probare suscepit Lucretius, sidera, cœlum, animata non esse; sed quum hi quatuor versus (135-138) ad materiem, qua de agitur, nil faciant, huc illos temere ex lib. III cum ceteris translatos fuisse arbitror. *Fab.* — Quatuor hi versus ad rem æque ac reliqui faciunt. Nam si in ipso nostro corpore nervis, venis, et

Digitized by Google

sanguine instructo certa et definita loca sint, ubi anima et animus seorsum nascantur et exsistant; frustra animam et animum in cœlo, mari, terra, aliisque corporibus, nullis omnino organis donatis, aliquis requirat. *Creech.*

153. *Si tangi.* Vulgo *quod tangi;* sed nostra lectio doctior videtur et probabilior. *Wak.*

159. *Allaudabile.* Ita omnes libri, nisi quod voces disjunctas exhibeant. Vulgo *id laudabile.*

163. *Ulla vi.* Vulgo *ullum de.* — Arrisit tamen scriptura optimorum codd. *ulla vi ex sedibus*, neque enim tam ab ullo mortalium negat Lucretius moveri hos eosdem sede sua velle; quam ulla vi et ratiocinatione, quantacumque illa solida sit atque veritatem evincens. *Hav.*

168. *Aggrediantur.* Wak. e nonnullis codd. *adgredientur,* id est adgressuri sint, vel nunc, vel posthac; sed nimis profecto religiose, judice Orellio.

186. *Quidque.* Sic Wak. cum libris fere omnibus; vulgo *quidnam* ex editorum arbitrio. *Forb.*

228. *Cui tantum in vita restet transire malorum.* Profert hunc versum Lactantius Firmianus lib. De opif. Dei, cap. 3, his verbis: « Itaque naturam non matrem esse humani generis, sed novercam: quæ cum mutis tam liberaliter se gesserit, hominem vero sic effuderit, ut inops, et infirmus, et omnis auxilii indigens, nihil aliud possit, quam fragilitatis suæ conditionem ploratu ac fletibus ominari, scilicet, Cui tantum in vita restet transire malorum. Quæ quum dicunt, vehementer sapere creduntur, propterea quod unusquisque inconsiderate suæ conditioni ingratus est. Ego vero illos numquam magis desipere contendo, quam quum hæc loquuntur, etc. » *Lamb.*

230. *Nec crepitacillis opus est.* Quum in quibusdam libris manuscr. scriptum reperissem, *Nec crepitacula eis opus est,* non dubitavi, quin ea scriptura a recta et vera, *Nec crepitacula eis opu' sunt*, esset depravata. Nam quod in omnibus libris vulgatis legitur, *Nec crepitacillis opus est*, et ita in Bertin. non dubito, quin hæc scriptura subdita sit ab eo qui *Nec crepitacula eis opus est*, ferri non posse animadverteret, nec veram excogitare posset. *Lamb.*—Vulgo *Nec crepitacula eis opu' sunt;* satis horride et libris vetustissimis atque incorruptissimis reclamantibus. *Wak.*

240. *Debet eadem omnis.* Sic scriptum est in universis exemplaribus, excepto M. quod ad hunc modum variat: « Debet omnis idem mundi ».

Digitized by Google

Jam vero mireris audaciam et inscitiam editorum, versum ex sua officina sic recusum referentium: « Debet tota eadem mundi natura putari ». Non aliter exhibet sane, si collatori fides, Vindobonensis codex: sed illa fides isti collatori minime adhibenda est hoc tempore. *Wak.*

242. *In mortalibus.* Vulgo *et;* sed ex arbitrio editorum; quum codices exhibeant *nativo immortalibus*, vel *nativum mortalibus.* Unde solerti conjectura nostram lectionem eruit Wak. Ed.

248. *Corripuisse.* Sic omnia apud Wakef. exemplaria. Vulgo *ne me arripuisse*, i. e. ne forte me existimes per vim, et temere, et sine ratione assumsisse, quasi abs te datum et concessum, id quod sumsi et posui, nempe parteis mundi interituras, etc. Alii τὸ *me* ejiciunt, ita ut sit in hoc versu Ennianus hiatus: quod improbat valde Lambinus. — Pluribus tamen adductis exemplis hiatui isti favet Jo. Ger. Voss. De arte gramm. II, 16. *Hav.*

258. *Alid auget.* Olim edideram *quodcumque alid auget:* mendose autem putabam in vulgatis legi *alit.* Nunc receptam scripturam retineo, ut intelligamus, *alit, auget*, posita esse ἀσυνδέτως, ut illa, *subat, ardet*, IV, 1195, et subintelligamus aliud, seu alias res. *Lamb.*—*Alid* veterrimi et incorruptissimi codices. *Wak.*

259. *Roditur.* Vulgarem cum Eichst. servavi, quæ aptissima videtur. Wak. *redditur*, quod per *restituitur* explicat. At, si concedamus Lucretium voce *reddere* hoc sensu usum fuisse, eo tamen hæc lectio refellitur quod in prioribus duobus exemplis, quibus hæc sententia per *præterea* annectitur, de amissis modo et perditis, non de restitutis corporum particulis sermo fuit. Ejusdem vero vocabuli repetitionem in versibus se excipientibus attentum Lucretii lectorem non potest offendere. *Forb.*

261. *Libatur.* Lamb. et vulg. editt. *limatur*, contra libros, quorum lectionem Hav. et Wak. jure restituerunt. Vide ad III, 11. *Forb.*

268. *Deminuunt.* Sic editores rectissime, quamvis unus modo Brit. 1, huic lectioni faveat; ceteri libri omnes *diminuunt;* cf. vs. 324. *Forb.*

274. *Quid.* Sic legunt, ni fallor, omnes editi membranæque; neque opus erat licentia doctorum, de suo *qui* suppeditantium. *Wak.*

275. *Privas*, singulas, vel proprias. Sed si *in singulas* interpretemur, videbitur legendum, *privas mutatur in horas:* sin *proprias*, ferri poterit scriptura recepta, *privas mutatur in oras:* ut per *oras proprias* intelligamus extremitates ignis, aquæ, et terræ. Ego tamen *privas mutatur in horas* legi malo. *Lamb.*

285. *Disperit ei.* Sic omnes vetusti, tam editi, quam MSS. Recentiores excuderunt *eii*, contra morem poetæ sic geminantes literam. *Wak.*

301. *Ignibus ei.* Alii *ejus*; cf. vs. 285.

310. *Fati protollere fines.* Secutus eram initio codicem Bertinian. et Vatic. et vulgatos fere omnes, Paris. utrosque Venetos, Lugdunenses: in quibus est *procellere*. Nunc ex aliis vet. libris, qui, ut olim lectori indicavi, habent partim *protellere*, partim *prætollere*, *protollere* edendum curavi. *Protollere* autem *fineis fati* dictum pro : diem mortis proferre. Usus est hoc eodem verbo et Plautus non semel, neque uno loco; sic Casina II, 8, 11, etc.; III, 5, 43. *Lamb.*

312. *Denique non monumenta virum dilapsa videmus.* Hunc versum Lucretii non esse dejerare possim; probare autem, hic labor est : sed qui sensum aliquem veteris Musæ habent, ii pedibus in sententiam nostram ibunt. Certe minus in clausula orationis dicit quam in principio dixerat. *Faber.* — Vide supra in notis.

313. *Quærere proporro sibi cumque senescere credas.* Ita libri vet. Haud scio etiam, an sit versus spurius. Marullus primus et hunc depravavit: *Cedere proporro subitoque senescere casu.* Quæ hæc est impudentia? *Gif.* —In quibusdam legitur, *Omnique proporro subitoque senescere casu?* Sed istud *omnique* vitiosum est, neque erit unquam, ut id vel διανοίας vel metri ratio pati possit; et tamen ejus unius voculæ ope vestigia veræ lectionis deprehendimus : « Omniaque ut porro subitoque senescere credas, Non ruere avolsos silices a montibus altis? » Repetendum autem ἀπὸ κοινοῦ *cernis*, unde ceteræ interrogationes pendent. *Faber.* — Docti quidam in voce *proporro* mendum subesse suspicantur, et legendum *proretro* censent. Ego nunc utrumque versum, et eum qui in codicibus antiquis repetitur, et eum qui in vulgatis et recentioribus, spurium et suppositum esse arbitror. *Lamb.* — Jam vero scripsi versum, prout invenitur in vetustissimis incorruptissimisque exemplaribus, L, M, O, Σ, Ω, adeo ut de sensu, si minus probus sit et commendabilis, necessum est ipse poeta videat. Tales libros consentientes temere proculcare non est meum. *Wak.* — Sensus receptæ lectionis, quem non nego paullo obscuriorem esse, hic esse debet : Nonne sæpe monimenta tam cito corruere videmus, ut aliquis credere possit, ea ipsa quocumque modo quærere sibi senescere, id est, senectutem. *Forb.*

319. *Omnes terrarum.* Sic clare A codex; P. *terrai* : sed ex aliorum omnium vocabulo, *terram* utique, facilior est lectionis nostræ derivatio. Vulgari solet, *omnem terram quod;* sed *quod* non comparet in P. Vind. V, ed. II, et in aliis quibusdam, uti suspicor : amat nimirum Lu-

Digitized by Google

cretius orationem sic sine copulis fortius et vividius procedentem. *W.*

326. *Terrarum et cæli.* Alii *terrai;* sine librorum auctoritate.

339. *Quod si forte fuisse antehac*, etc. Huc pertinent ea quæ sunt apud Platonem in Timæo non longe a princip. ubi senex ille Ægyptius sacerdos cum Solone loquens, ait, Græcos semper esse pueros, neque quidquam antiquum nosse, propterea quod multis non uno tempore in Græciam vel ab ignibus, vel ab aquarum diluvionibus cladibus importatis, non potuerit a majoribus ad posteros rerum præteritarum cognitio quasi per manus tradita pervenire. Nonnulli autem legunt hinc, *Quod si forte fuisse ante hæc eadem omnia credis*, etc. Lamb.—His argumentis nonnulli philosophi hoc modo respondent, olim artes istæ viguerunt, quæ nunc florent, sed aliquando ignis, aliquando aqua delevit, vel terræ motus hausit humanum genus: inde jam novæ videntur nobis et recentes. Hoc responsum retorquet Poeta vs. 13. Nam orbem aliquando ignibus perustum, aliquando aquis obrutum, aut terræ motibus diruptum nemo sanus æternum dixerit: ideo enim hominem dicimus mortalem, quoniam illis morbis tentatur, qui in alios vehementius incidentes eos abstulerunt. *Creech.*

343. *Ac oppida.* Vulgo *atque.*

345. *Terrarum.* Editores, libris universis reclamantibus, de suo dedere *terrai.*

347. *Ibi si tristior incubuisset Causa.* Hoc modo negat metuendum esse Aristot. lib. de Mundo cap. 5. Quinetiam ait diluviones aquarum, et incendia, deflagrationesque terrarum ad salutem universi valere. *L.*

350. *Ægrescimus;* vulgo *ægriscimus.* — *Iidem* vel *idem;* sic omnes libri veteres, qua impressi, qua manu scripti: editores tamen temerarii et audaces, Pii male feriatam conjecturam secuti, magno consensu poetæ obtruserunt *isdem;* veram elegantiam loci per isthanc rationem in pessum dantes. Lucretius enim scilicet non affirmat, homines istius ætatis *consimilibus* omnino *morbis* tentari, sed *eodem modo* cum priorum seculorum hominibus ægrescere, et causis, quæ mortem inferunt, æque infestari. Dictionis autem hic usus exquisitior bene notus est. *Wak.*

352. *Necessum est.* Sic M. solus; sed rariorem formam accipiendam habui; reliqui *necesse. Wak.*

381. *Quum maxima mundi Pugnent membra, pio nequaquam concita bello.* Quum maximæ mundi partes inter se pugnent, impio bello concitatæ, quale est bellum civile et intestinum. Hæc est illa fortasse pugna,

Digitized by Google

quam finxit Hom. Il. XX, qui inscribitur θεῶν μάχη, inter Apollinem et Neptunum : per Apollinem enim *sol* significatur; per Neptunum *mare*, et aquarum natura. Hi igitur posteaquam satis diu inter se decertarunt, cedunt ad extremum inter se, quia par erat, et id quod ab altero alitur, cum suo pabulo non diutius pugnare : et alterius pabulum, ab eo cujus pabulum est, non superari, neque ad nihilum redigi. Quod significat Homerus eo quem dixi libro. Apollo enim, per quem sol et ardor significatur, pugnans cum Neptuno, per quem humor et mare, sinit ad extremum se vinci. Nam si sol omnem humorem ebiberet atque exhauriret, hic pulcherrimus mundi ornatus ardore conflagraret. *Lamb.*

400. *Ira tum percitus.* Wakef. ex quibusdam libris edidit *ira cum*, id est, « percitus *cum* ira ». Sed, quanquam scirem sic aliquoties præpositionem apud veteres eleganter redundare, duriuscula tamen visa est hæc constructio, vulgatamque cum Forb. secutus sum. Ed.

402. *Deturbavit equis in terram.* Sed excepit eum Eridanus, *fumantiaque abluit ora*, inquit Ovid. Aristotel. autem περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. scribit, Electridas insulas in latebris et recessu Adriæ, ab Eridano fluvio quondam fuisse exaggeratas; et etiam nunc videre licere paludem ei fluvio propinquam, cujus aqua calida est, ex quaque odor exspiratur teterrimus; hujus autem loci incolas dicere, Phaethontem fulmine percussum, in hanc paludem decidisse. *Lamb.*

407. *Quod procul a vera nimis est ratione repulsum.* Idem et Platoni videtur in Timæo, cujus hæc verba sunt : Τὸ γὰρ οὖν καὶ παρ' ἡμῖν λεγόμενον, ὥς ποτε Φαέθων Ἡλίου παῖς τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας διὰ τὸ μὴ δυνατὸς εἶναι κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν, τά τ' ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε, καὶ αὐτὸς κεραυνωθεὶς διεφθάρη, τοῦτο μὲν μύθου σχῆμα ἔχον λέγεται. Τὸ δ' ἀληθές ἐστι τῶν περὶ γῆν καὶ κατ' οὐρανὸν ἰόντων παράλλαξις, καὶ διὰ μακρῶν χρόνων γινομένη τῶν ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά. I. e. « Nam quod etiam apud nos dicitur, Phaethontem Solis filium, olim patris curru juncto, propterea quod non potuerit patria via aurigari, et ea quæ sunt in terra exussisse, et ipsum fulmine percussum periisse, hoc quidem dicitur per fabulæ figuram : re vera autem significatur et eorum quæ sunt in terra, eorumque quæ in cœlo et cum cœlo moventur, immutatio, tum is, qui fit, longo intervallo interposito, rerum quæ in terra sunt, multis ignibus grassantibus, interitus ». Aristoteles libro quarto De mundo, in extremo, item Phaethontis fabulam refert ad incendia et flammas e cœlo profectas, quæ partes mundi ad orientem spectantes exusserunt. Ita autem restituit hunc versum Adr. Turneb. : vulgo enim legitur, « a vera est animi ratione repulsum ». *Lamb.*

413. *Ut fama est, hominum multos quando obruit undis.* Vossius, *Ho-*

Digitized by Google

minum multas, i. e. Crimina hominum, sive impios homines. At quid hic loci Lucretius cum criminibus hominum? profecto Epicureus nunquam credidit istas aquas ad eluenda hominum peccata fuisse terrarum orbi immissas. *Creech.* — Vulgo, *Ut fama est hominum, multas quando obruit urbeis*, multo minus eleganter. *Wak.*

417. *Sed quibus ille modis.* Nunc aggreditur ad explicandum, quo pacto ex corporibus primis, quæ neque consilio, neque certo fœdere inito moventur, factus sit mundus. Totus autem hic locus de mundi et partium mundi concretione videtur prope ad verbum expressus (nisi quod uberius a Lucretio tractatur) ex iis quæ exponuntur a Plutarcho libro primo περὶ τῶν ἀρεσκόντ. Quæ suis locis membratim et particulatim referam: nunc autem universa Latine reddam, quod existimem ea magnam lucem huic loco allatura. Sic igitur Plutarchus, ut quidem Latine vertimus: « Mundus in globosam figuram conformatus, hoc modo concrevit. Quum prima corpora sine consilio et fortuito moverentur, assiduoque ac celerrimo motu agitarentur, in idem multa convenerunt, et coierunt, et propterea varietate figurarum et magnitudinum prædita. His autem in eodem loco coactis et coacervatis ea quidem, quæ majora erant et gravissima, omnino subsidebant, quæ parva vero, et rotunda, et lævia, et lubrica, hæc etiam exprimebantur in primorum corporum concursu, et in altum ferebantur. Ubi igitur ad verberandum apta potestas defecit, ea, inquam, quæ in altum extollebat, neque jam plaga in sublime tollebat, in inferiorem vero locum hæc ferri prohibebantur: ad ea loca, quæ recipere poterant, urgebantur: hæc autem erant illa loca, quæ sunt in extremis oris mundum ambientibus: et ad hæc corpusculorum multitudo reflectebatur. Implicata autem inter se et impedita ex reflexione, mundum genuerunt. Porro hac eadem natura prædita corpuscula, quum essent varia, ut diximus, in altum sublata, astrorum naturam perfecerunt: multitudo autem corporum, quæ sursum subvehebantur, aera verberabat, et hunc exprimebat. Impletus autem aer spiritu, atque inflatus ex agitatione et motu, et astra una comprehendens, ea una circum agebat, et eorum conversionem sublimem servabat. Deinde ex iis quæ subsederunt, terra genita est: ex iis vero quæ sublime ferebantur, cœlum, ignis, æther. Multa autem etiam materia in terra restante, eaque condensata et stipata, et flatuum verberibus, et aurarum ex astris exsistentium ictibus, comprimebatur hujus figuratio ex partibus minutis constans, et humidam naturam genuit. Quum esset autem hæc fluida et diffusilis, in cava terræ loca, et ad capiendum continendumque idonea, deferebatur: aut aqua, quum per se subsedisset, loca subjecta excavabat. Præcipuæ igitur mundi partes ad hunc modum genitæ sunt ». *Lamb.* — Nativi hujus mundi exordium explicaturus, Deos, omnemque providentiam longe removet, et totum opus materiæ

permittit, vs. 16. Inde Chaos, rudis et indigesta particularum congeries, quæ huc et illuc agitatæ tandem pares cum paribus convenerunt, inde mare, cœlum, terra, sol, sidera, et quæcumque hic mundus continet, vs. 17. *Creech.*

418. *Terram et cœlum.* Vulgo contra libros, *cœlum ac terram.*

419. *Solis, lunai.* Secutus sum codic. Tettian. et Faern. in quibus ita sine ulla litura legitur : in codice Vatic. autem, *Solis, lunæ, cursus :* ut facile appareat, copulationes *que, et,* quæ reperiuntur in libris Vulg. posterius esse ab aliquo adjectas. Sic enim in eis legitur : « Solisque et lunæ, etc. » *Lamb.*

420-432, *Nam certe neque*, etc. Hic locus e tribus certe aliis Lucretii locis miro modo est compositus, quod ut brevius et clarius indicemus, signo æqualitatis adhibito sic ante oculos ponamus : vs. 420-422,=I, 1020-1022; vs. 423-427,=V, 188-192 (et vs. 423, 424, quodammodo etiam respondent versibus priorem locum parallelum sequentibus I, 1023, 1024); vs. 429,=I, 1025; vs. 430-432,=II, 1060-1062. Mutationes vero in his versibus factæ sic se habent : V, 423, « Sed quia multa modis multis »; V, 188, « Namque ita multimodis multa ». V, 427, « possent »; V, 192, « possint ». V, 429, « Omnigenos cœtus et motus »; I, 1025, « Omne genus motus et cœtus ». V, 430, « conveniant... conventa »; II, 1060, « (coaluerint)... conjecta »; ut facile appareat, nostro in loco fere ubivis vulgaria et usitata exquisitioribus et minus usitatis esse substituta. Ut enim leviores mutationes et verborum transpositiones taceam, primum qui hos versus repetit quum non concoquere posset accusativum absolutum *omne genus,* pro genitivo « omnis generis motus et cœtus » positum (de quo multus est Wakefield. ad IV, 737), mutavit eum in adjectivum *omnigenos;* deinde verbum illud, quo II, 1060 cohærentiam atomorum expressam vidit, insolens haud dubie et minus notum, cum *convenire* permutavit, παρηγμένῳ etiam (*conveniant ... conventa*) adhibito, quo loci ornatum haud dubie mirifice augeri opinatus est. Superest tantum vs. 428, qui sic quidem, ut hic legitur, alias in carmine nostro non occurrit, ad aliorum tamen locorum exemplum, in quibus eædem formulæ et voces deprehenduntur (ut I, 584 ; IV, 75 ; V, 62) facile componi potuit. Quod autem hoc modo de singulis verbis vidimus, nullum fere huic loco inesse, quod non antea jam eodem connexu eademque significatione lectum sit, id multo magis de omni sensu valere, ex ipsis illis locis, e quibus hunc fluxisse statuo, apparet, ita ut versus nostri, quum nihil iis contineatur, quam quod iisdem verbis antea jam dictum sit, nec iis omissis sententiarum connexus mancus et interruptus dici possit, ab aliena manu adsuti videantur. *Forbiger.*

Digitized by Google

430. *Tandem conveniant ea quæ conventa*, etc. In aliis, *ea quæ conjuncta*, ut mox, vs. 445. Vulgo : « Tandem ea conveniant, quæ ut convenere repente », ex arbitrio editorum.

431. *Fiunt.* Sic Wak. edidit e Poor. Cant. Ald. 1, Bon. vulgo *fiant*. *Forb.*

448. *Secretum humorque.* Vulgo *secreto humore;* fortasse contra vetustissimarum membranarum fidem. *Wak.*

450. *Quippe etenim.* Quum rudis et indigesta corpusculorum congeries in ordinem redigatur per motum, omnisque motus a gravitate oriatur, recte inquirit Poeta quid atomi gravissimæ agant. Existimavit autem Epicurus coacervatas confusasque atomos irrequieto et ingenito suo motu ita sese convolvisse, revolvisse, susque deque exagitasse, ut postremo crassiores omnes versus medium confluxerint, et tenuiores extrusione facta a crassioribus versus circumferentiam avolarint. Porro ex crassioribus quidem illis conflatum fuisse terræ corpus, quod semina aquæ in se contineret, ut quæ non potuissent perinde avolare cum ceteris. At e ceteris, quod varii in ipsis tenuitatis gradus forent, quasdam restitisse non longe a terra, constituisse aerem, reliquas altius emersisse, et constituisse ætherem, et extrusa simul corpuscula ignea coiisse in eas moles, quæ in illo adhuc collucent, et appellantur sidera. Corpora denique illa minora rotunda, lævia, fuisse ad eum motum in circumferentiam per elisionem, seu expressionem a crassioribus factam sic determinata, ut quum ex massa tamen non exirent viis parallelis, neque juxtim inciderent, idcirco in ipso progressu sibi varie obcursitarint, impetumque acceptum mutuo refregerint, quousque impetu denique cessante, quæ promotiores, sive a medio remotiores exstiterunt, effectæ sunt sibi invicem implicitæ, seseque mutuo continentes, comprimentes, atque idcirco speciem quamdam mœnium mundi creantes; et quæ deinceps eo appulerunt, ita sunt ab illis reflexæ, ut ab aliis subinde occursantibus tota illa ætherea atque cœlestis regio fuerit exinde concinnata. Licebit id forte intelligere ea comparatione, qua Lucretius rem explicat, dum id potuisse fieri ostendit, ut quando vapores et halitus ex aqua terraque prodeuntes, et sublime elati ita sursum addensantur, concrescuntque in nubila, ut illic fiat quasi laquear, sub quo aer, qui restat nobis aspectabilis, contineatur. Hæc vs. 21. V. etiam Plutarchum I, 4 De placit. phil. *Creech.* — Conf. Diod. Sic. I, 7.

451. *Coibant In medio, atque imas capiebant.* I. e. coibant et subsidebant in medio, qui locus est infimus. Sic autem emendavit Adr. Turnebus. Nam vulgo legitur, « coibant, In medioque imas capiebant omnia sedes ». Sic Epicurus : Κἄπειτα ἐκ τῶν ὑποκαθιζόντων ἐγεννήθη ἡ γῆ, etc. I. e. « Deinde ex iis corpusculis quæ subsidebant, facta est terra ». *Lambin.*

Digitized by Google

454. *Tam magis expressere.* Epicurus : Ἐκ δὲ τῶν μετεωριζομένων, οὐρανὸς, πῦρ, ἀήρ. I. e. « Ex corpusculis autem quæ sublime ferebantur, factum est cœlum, ignis, aer. » Idem apertius : περιπλεκόμενα δὲ ἀλλήλοις κατὰ τὴν περίκλασιν, τὸν οὐρανὸν ἐγέννησαν. I. e. « implicata autem inter se et perplexa, cœlum fecerunt. » Sequitur deinceps : τῆς δ' αὐτῆς ἐχόμεναι φύσεως αἱ ἄτομοι, ποικίλαι οὖσαι, καθὼς εἴρηται, πρὸς τὸ μετέωρον ἐξωθούμεναι, τὴν τῶν ἀστέρων φύσιν ἀπετέλουν. I. e. « Ea vero corpuscula quæ eamdem naturam erant adepta, quum essent varia, quemadmodum dictum est, in sublime expressa atque extrusa, astrorum naturam perficiebant. » *Expressere* igitur, i. e. quod Græci dicunt, et Epicurus usurpabat, ἐξέθλιψαν, « per expressionem seu exprimendo emisere ». *Lambin.*

472. *Hunc.* Nempe æthera, exordia solis et lunæ sunt subsecuta, i. e. post æthera creari cœpti sunt sol et luna. *Exordia* autem pro primordiis videtur usurpasse. *Lamb.* — Ita terram totius mundi fundamentum, ita ætherem, mundi mœnia (ceteros planetas negligit) constituit, solem autem lunamque mediæ inter ætherem et aerem naturæ, quorum nempe principia erant aeriis leviora, graviora ætheriis, in ipsis ætheris aerisque confiniis collocat, ubi perpetuo, ut pulmones et corda in animalibus, moventur, vs. 9. *Creech.* — *Et* codex L præbet ad finem versus; vulgo omittitur.

473. *Inter utrosque.* Hunc versum delet Lambinus, parenthesi includit Gifanius : Faber legit *Astrorumque, globi :* quam emendationem excute, et nulla videbitur. Astrorum enim ortum vs. 460 docuit. Deinde, vs. 477, in quo *Corpora bina* non *viva* legendum, totam istam de astris fabulam evertit. Dele igitur versum, qui e vs. 477 natus videatur. *Cr.* — Versum recte tuetur et explicat Wak. vide supra in notis.

477. *Ut corpora viva.* Legendum olim putabam, *corpora bina*, vel reclamantibus libris omnibus, non *corpora viva.* Nam si hanc vulgatam scripturam probaremus, sequeretur, solem et lunam esse animatos : quos paulo ante negavit vitali motu sensuque esse præditos. Itaque secum ipse pugnaret. Ac ne quis miretur, hoc mendum in omnes libros etiam veteres irrepsisse, redeat in memoriam eorum quæ alias dixi : solitos esse librarios illos scribere interdum *u* pro *b*, et contra *b* pro *u.* Nunc tamen non sum ausus hac tertia editione scripturam receptam mutare, satis esse putans, quid aliquando senserim, et quid suspicatus sim, lectori indicasse. Præterea video hujus scripturæ probabilem esse rationem. Potest enim aliquis dicere, sic esse dicta *corpora viva* solis et lunæ corpora, quomodo dicitur *vivi lacus* a Virgilio ; *aqua viva* ab aliis : vel quod suapte natura, et sine arte, aut opera divina moveantur, vel quod assidue. Postremo licet dicere, *viva corpora* dici solem et lunam, vel tanquam ignes, quemadmodum supra libro I, 1033, « et vivant labentes ætheris ignes ». *Lamb.*

Digitized by Google

480. *Membra manere, tamen quum sint ea, quæ moveantur.* Vulgati: « manere tamen, quum s. e. q. moveant nos ». Male. *Gif.*

483. *Et salso suffodit.* Cod. Memm. habet, *et salso soffudit:* ex qua scriptura conjiciebamus ego et Muretus legendum *suffudit*, subtus perfudit et complevit. Nam libri vulgati habent *suffodit;* fortasse mendose; nisi quis dicat, *suffodit fossas* esse atticismum, neque aliud hic dici a Lucretio, quam quod dictum est ab Epicuro, ut refert Plutarchus, ἐκοίλανε τοὺς ὑποκειμένους τόπους, i. e. « excavavit subjecta loca ». *Lamb.*

492. *Densabant.* Editores de suo *densebant*, contra libros omnes veteres. *Wak.*

499. *Inde mare, inde aer*, etc. Motus astrorum ut rectius explicet, vs. 11 præmittit, quibus docet ætherem levissimum et liquidissimum super inconstantem et turbulentum aerem evectum procellarum omnium esse expertem, et constanti æquabilique motu fluere; neque enim iste motus ætheris incredibilis, quum perennis neque unquam recurrens sit Ponti Euxini in Propontidem fluxus. *Cr.* — *Inde æther ignifer.* Sic habent omnes libri et MSS et typis excusi: adjuvat autem hanc scripturam Epicuri et Lucretii sententia, qui volunt æthera esse igneum, et ex ignibus liquidissimis constare: quod item putabat Zeno et Anaxagoras: quanquam negat et refellit Aristoteles. Volebant iidem illi (Anaxagoram, Zenonem et Epicurum dico) stellas ignes esse: quod item negat Aristoteles, ut supra diximus. Ex Stoicorum sententia sunt illa Marci Tullii lib. II De N. D.: « Hunc aera rursus amplectitur immensus æther: qui constat ex altissimis ignibus, etc. » sequitur deinceps, « Ex æthere igitur innumerabiles flammæ siderum existunt, quorum est princeps sol omnia clarissima luce collustrans, etc. » *Lamb.*

503. *Auras.* Sic incorruptissime P. V. ed. L, M, O, Δ, Ω; vulgo *auris;* ut e nostris Π; quam lectionem temere et inscite corripuerunt editores, planissimam constructionem haud despicientes. *Wak.*

504. *Commisci.* Editores ex arbitrio *commiscet.*

508. *Significat Ponto mare.* Vett. libri, *Ponto;* sed lego *Ponti.* Nam ut Ovidius Met. VII, 267, *Oceani mare* dicit refluum; ita *Ponti mare* non esse refluum, sed unum servare æstus tenorem Strabo, Plinius et alii scribunt: quod et vult Lucretius. *Gifan.*

510. *Astrorum.* Physicorum munere se probe fungi existimant Epicurei, si possibiles quasdam motuum cœlestium causas assignent. Id jam agit Lucretius vs. 25. Nam si totum cœlum moveatur, tum potest

Digitized by Google

esse aer duplex, alter qui superne premat, cœlumque in occasum urgeat, alter qui inferne quasi subtervehat. Si quiescat orbis, tum rapidæ quædam ætheris particulæ, exitum in inane spatium quærentes, nec valida mundi mœnia perfringere valentes, circumversantur, et secum astra rapiunt. Vel aer aliquis externus irruit et versat, vel tandem ipsa prorepunt astra, prout corporibus igni suo alendo idoneis per cœlum ducuntur. *Creech.*

512. *Ex utraque polum parte.* Vulg. *parti.* Si tamen ob metrum tantum *parti* præfertur τῷ *parte*, immerito quidem id fit; sequuntur enim duæ consonantes in voce *premere*, præterquam quod posterior in *parte* pedem inchoat. Alia res est, ex. gr. III, 610; V, 928. *Preig.* — Constat ne in uno quidem codice *parti* comparere. *Wak.*

513. *Extraque tenere.* Quum in libris quatuor manuscriptis reperissem scriptum *ex utraque*, in Memmiano autem plane *extraque*, et in vulgatis Florentinis, non sum veritus hanc scripturam sequi. Adde quod sententia postulare videtur, ut vel ita legamus, ut ego excudendum curavi, parva immutatione facta ab antiqua scriptura; vel hoc modo, « Dicendum est, et utrinque, etc. » Hæc enim totius hujus loci sententia videtur esse : Si cœlum vertitur (quod quidem credibilius est) dicendum est nobis, aera ex utraque parte, id est, a dextra et læva, premere atque urgere polum, et ab utraque parte extrinsecus eum tenere, et includere : alium præterea esse aera, qui supra cœlum, et supra verticem nostrum extrinsecus labatur, eodemque intendat, quo una cum cœlo sidera feruntur : alium postremo esse sub terra, et sub pedibus nostris, qui cœlum extrinsecus subvehat et sustollat, quemadmodum videmus a fluviis rotas sublevari et circumversari. Omnino propius accedamus ad scripturam antiquam, si « et utrinque tenere » legamus. *Lamb.*

515. *Æterni.* Wak. et Elchst. *externi.* — Nempe extra hæc omnia positi, et ultimi rerum; omnia, sicut operculo, tegentis : quod planum est, et poetæ scopo congruum. Veteres libri ad unum dant *æterni;* quæ lectio dogmati Lucretiano supra, vss. 92-98, 120, atque adeo Epicuri disciplinæ, manifestissime contradicit. Cogitabam sane, an ferri posset codicum scriptura, ponendo principia materiæ, quibus mundus constat, *æterna* esse, quamvis specialis figura mundi mutetur, et danda sit exitio : sed hoc duriusculum, argutumque nimis, videbatur. Editores alii conjecerunt *alterni :* hoc autem coactum est; et obscuritatis vitio, quo noster minime tenebatur, insuper laborat. *Wak.*

535. *Terraque ut in medio.* Nunc qui fiat, ut terra in medio quiescat, docet. Epicurus, τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι, ὡς συγγενῆ, i. e. « terram in

Digitized by Google

aere vehi, ut cognatam », dicebat. Aristoteles ideo terram in medio loco consistere docet, quia gravia omnia medium locum petunt, terra autem elementorum omnium gravissima est. Plato in Phædone, ἰσοῤῥοπίαν ipsius terræ, i. e. « ponderis et momenti æquabilitatem », vult esse hujus rei causam. Sic Ovidius principio lib. I Met. : « Nec circumfuso pendebat in aere tellus Ponderibus librata suis ». *Lamb.* — Merito autem aliquis inquirat, quum telluris grave pondus toties memorat Lucretius, cur in medio aere quiescat, cur non perrumpat et in infinitum inane præceps descendat. Respondet poeta vs. 18, quod quamvis telluri aer solus circumfusus esse contingat, quia tamen tam aer quam terra cognatione vincta tenentur, ejusdemque totius partes ab ipsa sui origine sunt, ideo aeri terra non est oneri, sed quasi omni gravitate compressioneque deposita illi insidet. Secus autem foret si terra hæc ex alio mundo adveheretur; sic enim suo pondere aerem istum premeret, quemadmodum minimum pondus nostris corporibus sentitur si extrinsecus apponatur, quum tamen nec caput, nec cetera membra sibi mutuo sint gravia, quod sibi mutuo congenea sint, communique jure vinciantur. Epicurus ad Herodotum dixit τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι ὡς συγγενῆ. Hanc vero telluris cum aere connexionem probat vs. 6, quia fulmine, quod violentos in aere motus excitat, concussa tremit. Deinde ne quis miretur aerem, qui sit res adeo tenuis, sustinere molem tantopere crassam, subjungit vs. 8 tenuissimam rem, animam videlicet nostram, sustinere corpus ponderosum, immo saltu in altum tollere valere. *Creech.*

539. *Insita vivit.* Editores *sidit*, audacter magis quam considerate. *W.*

546. *Quid quæque queat res.* Editores, libris omnibus conculcatis, « cui quæ adjaceat res ».

561. *Quis.* Havercampus *quid*, de importunissima Fabri emendatione. Priscian. XIII, p. 960 : *quis* communis esse generis putaverunt vetustissimi, sicut apud Græcos ὅστις. Terent. Eun. IV, 4, 11. *Wak.*

565. *Nec nimio major.* Tot ac tam diversæ sunt opiniones de siderum magnitudine, ut vix aliquid certi de ea quis habeat. Namque 1° Heraclitus fecit solem pedis humani latitudini æqualem; 2° Anaxagoras multis vicibus Peloponneso majorem; 3° Anaximander terræ æqualem; 4° Empedocles ingentem ignis massam ipsa luna majorem; 5° Archelaus siderum omnium maximum; 6° Plato inexcogitabilem; 7° Cicero immensum; 8° Ægyptii octies terra majorem; 9° Alii, quorum sententiam quidem testantur, sed nomina tacent Cicero, Tatius, et Philoponus, partibus amplius duodeviginti terra majorem; 10° Eratosthenes septies et vicies terra majorem; 11° Cleomedes trecenties proxime terra majorem; 12° Aristarchus non majorem quidem terra trecenties

Digitized by Google

sexagies octies, sed majorem quam ducenties quinquagies quater; 13° Hipparchus millies quinquagies terra majorem; 14° Plutarchus refert quosdam fuisse, qui fecerint solem terra majorem millies septingenties et vicies octies; 15° Posidonius quinquagies novies millies trecenties et novies decies terra majorem; 16° Ptolemæus centum septuaginta, aut saltem sexaginta septem partibus majorem terra; 17° Copernicus centum et sexaginta duabus partibus terra majorem; 18° Tycho Braheus centum triginta novem partibus terra majorem; 19° Landsbergius quadringenta et triginta quatuor partibus terra majorem; 20° Kepplerus ducenties vicies bis millies et sexies decies terra majorem. Quid ergo certi statui posset in his tam incertis opinionibus? Nihil sane. Hinc non abs re Archimedes de solis diametro accipienda sic loquitur: « Id vere assumere, non admodum in promtu est; quoniam neque visus, neque manus, neque organa, quibus observatio percipitur, fide digna abunde sunt ad accurate demonstrandum ». Hinc et Lactantius ait, « Dementium esse disquirere, aut scire velle, sol utrumne tantus, quantus videtur, an multis partibus major sit, quam omnis hæc terra ». Quod autem dictum est jam de solis magnitudine, idem dicendum posse videtur de lunæ et aliorum siderum magnitudine. Quod vero ad solis figuram spectat, ne de ipsa quidem quidpiam definiit Epicurus: sed dixit tantum vera esse posse illa omnia, quæ varii de varia solis figura opinantur. Interim notabis diversas fuisse quoque opiniones de solis figura. 1° Pythagorei, Platonici, Peripatetici, et Stoici globosum esse solem dixerunt. 2° Anaximenes voluit esse latum instar folii aut laminæ. 3° Alii fecerunt illum in disci formam. 4° Heraclitus voluit solem esse scaphæ instar incurvum. Eamdem quoque figuram lunæ adscripserunt, ac ceteris sideribus. Sed de his satis. *Fayus.*

569. *Nil missus intervallis de corpore librant Flammarum.* Locus varie tentatus. Plurimi codices, « nihil nisi intervallis de ». Hinc editores ex ingenio locum tentavere. Lamb. « illa ipsa intervalla nihil »; quem plures sequuti sunt. Wak. se deprehendisse existimat defæcatam versus scripturam, corrigitque « nihil ipsa intervalla in sis »; conjicit etiam « nihil hiis ex, intervallis, de, etc. » quorum eadem fere est interpretatio: « spatia in transitu, in suis intervallis, nihil detrahunt e corpore flammarum »: at propior fuisset codicum scripturæ hæc lectio: « nil in sis (III, 1038) intervallis », scil. spatia. Malui tamen lectionem ab Eichstædtio prolatam; quippe quæ plana sit, nec multum a codicibus recedat. Sic equidem scripseram, antequam Forb. in eamdem sententiam ire vidissem. Ed. — *Librant;* alii *limant;* alii *libant*, aut *vibrant;* perperam.

570. *Nihil ad speciem.* Vulgo edi solet *nihilo*, contra libros veteres.

572. *Et loca fulgent.* Lambinus e conjectura *tingunt.* Sed codices audiendi.

Digitized by Google

573. *Debet, filumque videri.* Quum magna esset hoc loco scripturæ varietas, aliique codices haberent, *debet, illinque videre;* alii, *lumenque videri;* alii, *lunæque videri;* alii, *illumque videri;* ego olim *sublime* reposueram. Nunc Turnebi conjecturam, legentis *filum*, plane rectam esse arbitror, omnibus aliis rejectis. *Lamb.*

574. *Addere vere.* Sic omnes; solus Eichst. edidit *vera*, quæ vox referri posset ad *forma*, si post *addere* distinctio poneretur. Forsan tamen error typographicus est. Ed.

576. *Sive suo proprio.* Sic Wak. recepit e Ver. Ven. vulgo *suam.*

579. *Semota.* Sic omnes libri; nec erat cur editores corrigerent *remmota.*

584. *Quanta quoque est quanta.* Variant hic codices. Lambinus legit, «quanta hæc cumque fuat, tanta hinc videatur». Preig. et Havercamp. «quanta quoque hæc fuvat, tanta». Eichst., «quantaque quanta est, hinc nobis»; probante Forbigero, cui istud *quoque* in nostra lect. non suo loco videtur. Sed hoc in Lucretio non rarum, et in altera lectione τὸ *que* pariter abundat. Ed.

589. *Quo longius absit.* Vulgo contra codices «quum longius absint».

597. *Lumen.* Alii *flumen*, minus bene.

598. *Quia sic elementa vaporis.* Eichstædtium sequimur. Vulgares editi *quo*, ad quem solem; et post *mundo* distinctionem transponunt. Wakefieldus autem edidit *qua*, subint. via, per quam viam. Idem etiam legit *vapore*, id est, elementa cum vapore, vapore prædita. Sed dubito an ita caloris semina significari possint. Quum autem aliquot libri, teste Lambino, exhibeant *vapores*, melius existimo, quidquid obloquatur Wak., vulgatam sequi; quod etiam fecit Forbiger. Ed.

608. *Accidere.* Vulgo *accipere;* alii *accedere*, vel *accendere*, mendose.

611 sq. *Qui sit;* Wak. ex arbitrio *sic*, ne prorsus labasceret constructio; frustra.—*Æstifer in tantum.* Sic Wak. valde probante Forbig. Vulgo *æstiferum ut tantum.*

613. *Nec ratio simplex.* Annuum solis, et menstruum lunæ cursum per duodecim signa zodiaci ut explicet, primo vs. 23 proponit sententiam Democriti, qui docuit inferiora sidera a summo cœlo rapi et circumferri, celerius aut tardius pro rata uniuscujusque sideris a summo isto cœlo distantia. Sol igitur celerius quam luna, ideoque illum rarius

Digitized by Google

quam illam signa assequuntur et prætereunt, neque mirum si luna uno mense signa omnia, in quibus duodecim terit sol, procurrere videatur. Deinde vs. 13 duos aeres lunæ solique inservientes introducit, quorum altero a Cancro ad Capricornum detruduntur, altero a Capricorno ad Cancrum stato tempore subvehuntur. Et ne illud incredibile videatur, jubet nubes spectare quas diversi venti in partes diversas protrudunt. *Creech.* — *Recta.* Alii *certa*, contra libros.

627. *Inferior multum;* sic Wak. ex omnibus fere codd. vulgo *multo.*

628. *Lunam, quanto demissior.* In quibusdam vulg. *quanto et.* Lambinus, *et quanto;* sine causa.

638. *Solem.* Wakef. post Bentleium correxit *lunam;* et vice versa ad vs. 642. Sed omnes in vulgata consentiunt libri; neque video cur ferri non possit. Nam profecto *sol* est qui ad solstitium vadit, non *luna.* Ed.

639. *Brumaleis usque ad flexus.* Fuerunt autem nonnulli, qui humidum quod e terra et mari sursum tollitur, causam esse solstitii et brumæ putarunt, quasi sol pabulum sequatur: quam opinionem refellit et rejicit Aristoteles lib. II Meteor. his verbis: Διὸ καὶ γελοῖοι πάντες, ὅσοι τῶν πρότερον ὑπέλαβον τὸν ἥλιον τρέφεσθαι τῷ ὑγρῷ· καὶ διὰ τοῦτ' ἔνιοι καὶ φασὶ ποιεῖσθαι τὰς τροπὰς αὐτόν· οὐ γὰρ ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς δύνασθαι τόπους παρασκευάζειν αὐτῷ τροφήν· ἀναγκαῖον δ' εἶναι τοῦτο συμβαίνειν περὶ αὐτὸν, ἢ φθείρεσθαι· καὶ γὰρ τὸ φανερὸν πῦρ, ἕως ἂν ἔχῃ τροφὴν, μέχρι τούτου ζῆν, etc. i. e. « Quocirca ridiculi etiam sunt omnes, quicumque e veteribus solem ali humido existimarunt: et idcirco nonnulli aiunt solem suas ad solstitium et brumam conversiones facere. Non enim eadem semper loca posse ei cibum præbere. Necesse autem esse hoc ei accidere, aut interire: nam et ignem ante oculos, atque in promtu positum, quoad pabulum habeat, eo usque vivere. » Humidum autem tantum igni cibum esse, quasi humidi pars ea, quæ sit extenuata, quæque subvehatur, ad solem perveniat, aut quasi hic humidi ascensus talis sit, qualis qui flammæ orienti et viventi contingit: ex qua argumento probabili sumto, sic et de sole existimarunt. Sed hoc non est simile. Flamma enim fit ex continuo humido et sicco variantibus, neque alitur. Non enim manet eadem ullo tempore fere. Soli autem fieri nullo modo potest ut hoc accidat. Nam si eodem modo, quo modo illi dicunt, alatur, perspicuum est eventurum, ut Sol non solum, quemadmodum censet Heraclitus, quotidie novus sit, sed semper et continenter novus. M. Tullius opinionem illam Cleanthi adscribit lib. III De N. D. his verbis: « Quid enim? non eisdem vobis placet omnem ignem pastu indigere, nec permanere ullo modo posse, nisi alatur? Ali autem solem, lunam, reliqua astra, aquis alia dulcibus, alia marinis? Eamque causam Cleanthes affert, cur se

Digitized by Google

sol referat, nec longius progrediatur solstitiali orbe, itemque brumali, ne longius discedat a cibo? » Sic Minutius in Oct. sub persona Octavii : «Fontium dulci aqua marisve mundum nutriri : in vim ignis abiturum, Stoicis constans opinio est, quod consumto humore mundus hic omnis ignescat : et Epicureis de elementorum conflagratione et mundi ruina eadem ipsa sententia est». *Lamb.*

641. *Lunam.* Wak. contra libros omnes *solem*, quia sol *magnum circumvolvitur annum* apud Virg. Æn. III, 284. Sed audiendi sunt in primis codices.

650. *Ultima cœli.* Alii libri habent *extima cœli*, quod interpretor extimas partes cœli, alii *ultima cœli*, et ita legi volebat Adr. Turnebus : cui assentior. *Lamb.*

659. *Aut quia conveniunt ignes.* Minutius in Octavio, sect. 5 : « Sic congregatis ignium seminibus, soles alios atque alios semper splendere : sic exhalatis terræ vaporibus nebulas semper adolescere, etc. » *Lamb.*

675. *Non nimis incertis.* Sic habent tres lib. manuscr. et Florent. et sane ut ita legatur, ratio postulat, nisi quis dicat, legendum item ut supra, divisa voce, *in certis*, et retinendam vulgatam scripturam *minus. Lamb.* — Faber scribendum dicit *non minus hæc certis;* male. Si quid mutandum foret, poteras rescribere *non minus hi certis.* Magnas insuper turbas cient Lambinus et Faber de sequentium duorum versuum sinceritate; sed importunas, temerarias. Distichon est argumento summopere concinens et undequaque Lucretianum. *Wak.*

679. *Crescere itemque.* Nunc quamobrem dies et noctes augeantur et minuantur. *Lamb.*— Itaque docet dies ac noctes crescere et decrescere alternis perpetuo certis anni partibus, puta hyeme et æstate, propter obliquum zodiaci situm, quem sol decurrit perlustrans terras subter et superne. Oritur itaque dierum ac noctium inæqualitas ex obliquo sphæræ situ. Unde fit ut, qui continuo fruuntur æquinoctio, nempe qui sub æquatore degunt, iis, utpote sphæram rectam habentibus, nulla sit unquam dierum ac noctium inæqualitas, sed æqualitas continua. Qui vero versus alterutrum polum degunt, iis longiores aut breviores sunt dies ac noctes, quo longius aut propius accedunt ad polum; æstivaque dierum aut noctium longitudine hyemalem brevitatem compensant. Qui vero sunt in sphæra maxime obliqua, hoc est, sub alterutro polo, ii sex menses lucis continuæ et vicissim totidem noctis et umbræ obtinent; mirumque non fit id, quod ait Plinius IV, 12, ipsos «serere matutinis, meridie metere, occidente sole fœtus arborum decerpere, noctibus in

Digitized by Google

specus condi, etc. » Sed de his consule annotationes in lib. I Manilii a vs. 561 ad vs. 682. Hæc igitur prima causa vera et germana est. Altera causa ignobilior est : quasi aeris crassitudo major aut minor efficeret ut tardius aut citius sol terris exoriretur. Tertia causa, quæ infirma est; quasi ideo dies aut noctes longiores sint aut breviores, quia citius ac tardius alternatim confluunt semina lucis ad reparandum solis nitorem. Hoc tamen videtur annotare poeta, dum hanc tertiam subnectit causam, quod et vulgus annotare solet: nempe non unius diei aut noctis, sed et Auroræ, ac vespertini crepusculi moram ac brevitatem. Namque duratio quoque tam Auroræ, quam vespertini crepusculi in sphæra obliqua est inæqualis per annum : prolixior quippe per æstatem, contractior vero per hyemem, (nisi quod non, ut crepusculum vespertinum longissimum est sub æstivum solstitium, ita et brevissimum sit sub brumam; quum brevissimum potius nonnihil sit ante vernum et post autumnale æquinoctium) quatenus quum crepusculum aut mane incipiat aut vespere desinat, quando sol est infra horizontem octodecim gradibus secundum perpendiculum acceptis; arcus circuitionum solis, qui cum illis gradibus aut mane ascendit, aut vespere descendit, sunt prolixiores per æstatem, et contractiores per hyemem. Adde quod hæc inæqualitas tanto major sit, quanto magis ab æquatore receditur. Sed longius esset hæc prosequi. *Fayus.*

686. *Donec.* Lamb. ut sæpe alias, contra libros, *donicum.*

702. *Faciunt;* sic Wak. cum plurimis libris; vulgo *faciant.*

703. *Luna potest solis.* Quod ad lunam attinet, si lucem a sole accipiat, si globosæ sit figuræ, et sub sole cursum suum peragat, tum varium illius multiplicemque vultum: recte illi explicant, qui varia solis illustratione prout ad solem accedit, vel recedit a sole, phases lunæ variari existimant vs. 11. Si vero lucem aliunde non accipiat, tum concipi potest aliud corpus opacum quidem, et cassum omni lumine, quod una cum luna fertur, et illius radios avertit vs. 5. Vel intelligere possumus lunæ globum ex dimidia tantum parte lucidum, qui, si circa suum centrum volvatur, varias quas videmus phases exhibebit vs. 9. Quibus hæc omnia displicent isti habeant lunas quotidie nascentes et intereuntes : id enim certo tempore fieri posse multa alia demonstrant, vs. 20. *Creech.* — De hac variatione lunæ luminis et figuræ sic Epicurus apud Laertium, X, 94 : « Ἔτι δὲ ἐνδέχεται τὴν σελήνην ἐξ ἑαυτῆς ἔχειν τὸ φῶς· ἐνδέχεται δὲ ἀπὸ τοῦ ἡλίου. Καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν θεωρεῖται πολλὰ μὲν ἐξ ἑαυτῶν ἔχοντα, πολλὰ δὲ ἀφ' ἑτέρων· καὶ οὐδὲν ἐμποδοστατεῖ τῶν ἐν τοῖς μετεώροις φαινομένων, etc. sequitur, Ἡ δὲ ἔμφασις τοῦ προσώπου ἐν αὐτῇ δύναται μὲν γίνεσθαι καὶ κατὰ παραλλαγὴν μερῶν, καὶ κατὰ προσχώρησιν, ἢ ἀναχώρησιν, ἢ κατ' ἐπιπρόσθησιν, καὶ καθ' ὅσον ἂν τρόπον θεωροῖτο τὸ σύμφωνον τοῖς φαινο-

Digitized by Google

μένοις, i. e. « Præterea fieri potest, ut luna a seipsa lumen habeat: contingere etiam potest, ut a sole. Nam etiam apud nos multa cernere licet, quæ id quod habent, ex seipsis habeant: multa, quæ ab aliis : neque quidquam eorum quæ in aere apparent, obstat, quo minus ita sit, etc. Vultus autem ejus varius et multiplex, qui sese nobis expromit atque ostendit, potest nasci et ex immutatione partium, et ex accessione ejus ad solem, aut recessione, aut ex obstructione seu offectione, et ex alia causa, in qua spectetur id quod consentaneum est iis quæ sunt in promptu ». *Lamb.*

706. *Donec.* Lamb. ut semper, *donicum.*

713. Hunc versum Wakefieldum prorsus silentio prætermisisse quam maxime miror. In omnibus enim libris, quos mihi consulere licuit, aut a me ipso inspectos, aut ab aliis collatos, versus ille hoc in loco non legitur, ita quidem, ut in editt. Brix. Ver. Ven. et Ald. I plane desideretur, in cod. Vindob. vero, editt. Bonorf. Junt. et Ald. II, porro (si Havercampum recte intelligo) etiam in Voss. II, et in omnibus Wakefieldi libris, præter cod. Mus. Brit. Δ (conf. Wakef. ad vs. 702), prorsus alieno loco post vs. 702 insertus legatur. Quare hunc versum, qui etiam ad sensum superfluus non solum maxime languet, sed miram et ineptam conclusionis formulam prioribus subjicit, omnino spurium et a librario quodam additum habeo. *Forbiger.*

714. *Est etiam quare.* Sic omnes omnino libri, quos Wak. sequutus est; Hav. cum vulgaribus *quoque uti* ex editorum arbitrio. *Forb.*

722. *Denique.* Alii *donicum ;* sine libris.

726. *Ut Babylonica.* Per Babylonicam Chaldæum doctrinam intelligit Chaldæos qui Berosi hypothesin contra vulgarem astrologiam tuebantur. *Chaldæi* enim hoc loco sectæ nomen est, non gentis: παρὰ δὲ Βαβυλωνίοις, ἢ Ἀσσυρίοις Χαλδαῖοι, Γυμνοσοφισταὶ παρὰ Ἰνδοῖς, Laertius. Idem Cicero in II De div. *Creech.* — Vir doctus quidam (Beverlandus), in marg. cod. nostri : « Berosus ita est professus, pilam esse ex dimidia parte candentem, reliqua habere cæruleo colore. Quum autem cursum itineris sui pergens subiret orbem solis, tunc eam radiis et impetu caloris corripi convertique candentem, propter ejus proprietates luminis ad lumen. Quum autem ea evocata ad solis orbes superiora spectet, tunc inferiorem partem ejus, quod candens non sit, propter aeris similitudinem obscuram videri, etc. » Quæ ibidem fuse sequuntur. De contrariis vero illis sectis et hoc ipso Lucretii loco vide Isaacum Casaub. ad procemium Diogenis Laertii. *Hav.*

728. *Quasi id.* Sic omnes MSS; recentiores edd. *id* omittunt.

Digitized by Google

736. *Veris prænuntius.* Hæc est acutissima, et maxime indubitata, Bentleii emendatio, pro *Veneris* librorum omnium; quod peccatum ob prægressum *Venus* facillime caderet in librarios. Nimirum, in hac magnificentissima quatuor Tempestatum processione, Venus nequit agere principalem partem, sed progreditur solummodo præministrans, ad ornandam pompam *comes*. Quasi dixerit poeta : « It Ver, omnibus Naturæ Veneribus producta », i. e. florentissima totius anni portio. Profecto, in poetis passim legas comites sociatos ire *Ver* et *Zephyros* : unde non mirum est, memet etiam (tam in veritate crimen jactantiæ non extimesco) in eamdem conjecturam incidisse. *Wak.*

737. *Vestigia propter Flora*, etc. Male, ut opinor, vulgo distinguitur; quasi Veneris vestigia aut legere, aut juxta ea incedere dicatur Zephyrus, quem *Veneris prænuntium* dicit poeta, eamque præcedere facit. Haud dubie *Floræ vestigia* dicit, quibus cuncta prænspergere fingitur dum in Veris ac Veneris adventum viam omnem coloribus et odoribus opplet. Solo itaque commate hæc separanda, ut relativum *quibus* respiciat ipsius Floræ Vestigia. *Preig.*

746. *Algu.* Alii *algus*; alii *algor*; quidam, *crepitans accentibus algi.*— Jam vero uno oculorum jactu hanc Anni pompam, tam Tempestatum, quam Tempestatibus præstolantium, suo ordine procedentem intueamur: « Ver, *Venus, Zephyrus*, et *Flora* : Calor, *Ceres*, et *Etesii Aquilones;* Autumnus, *Evius Evan, Tempestates, Venti, Volturnus*, et *Auster :* Bruma, *Hyems*, et *Algu* ». *Wak.*

752. *Poscis.* Sic videtur certissime legendum, quamvis locus sit perplexior tam constructionis, quam verborum. P. habet *posces;* quem sequi videntur Ald. et Flor. editiones : omnes, omne genus, reliqui libri veteres, *possis*; quod peccatum a soni similitudine facile suboriri quiret. Librarii eodem modo aberraverunt ad Lucan. V, 606. De suo reposuere editores, *solis*; quæ vox, utpote minime obnoxia depravationibus, omni probabilitate destituitur. *Wak.*

754. *Objiciens cæcum radiis ardentibus.* Objiciens suum orbem obscurum radiis solis. Lunæ enim corpus suapte natura opacum et obscurum est. Primus autem Thales dixit, solem deficere eo, quod luna, quæ est terrena et opaca natura, eum subeat ad perpendiculum, i. e. interponatur inter solem et terram. *Lamb.*

757. *Solque suos.* Hæc fuit Xenophanis opinio. Putavit idem ille novos quotidie soles et occidere et oriri. *Lamb.*

759. *Flammis infesta.* Non ita dico *flammis infesta*, i. e. flammis ini-

Digitized by Google

mica, ut frigida : sed flammis immoderatis oppleta, atque occupata, et quodammodo infestata ac vexata. *Lamb.* Cui ne credas.

760. *Atque perire.* Wakef. edidit *pariri*, id est, creari. — Hæc versus verissima restitutio divinationibus meis debetur : adi sis Priscianum, lib. VIII, p. 802, et quæ, nisi fallor, non minus vere dixerim supra, ad I, 200. Nimirum, τὰ *interstingui* atque *pariri* τοῖς *dimittere ignes* et *recreare lumen* modo prægressis contra manifestissime respondent; ita ut res extra controversiam locetur, nec se velit operosius vindicari. Veteres nempe libri universi habent corruptam vocem *periri;* unde nullo negotio fabricatum est illud *perire*, loci scopo alienissimum quamvis, quod comparet in P, Δ, et per editiones vulgares propagatum venit. Nihil est, de quo tutius ad intelligentium judicia possimus provocare, quam de hac facillima emendatione. *Wak.* — At debuerat vir doctus exponere quomodo hæc cum vs. 759 congruant. Nam certe *loca, flammis infesta,* non simul *faciunt* exstingui solem et creari. Itaque vulgatam sequor. Ed.

767. *Fulget.* L solus *fulgit*, ut vulgares editi. *Wak.*

769. *Per exit.* Olim uno vocabulo legebant *perexit;* quam lectionem mendosam et corruptam ratus, Lambinus emendavit *pererrat;* Gif. *peragrat.*

774. *Soleant.* Codd. variant, *possint*, *possent*, *posset.* Unde Forbiger conjicit Lucretium primo scripsisse *possent*, quod a seriori ejus editore, qui eamdem vocem ter recurrentem (vss. 771 et 773) minus probaret, in *soleant* mutatum sit.

775. *Nec.* Retinui cum Eichst. et Orell. vulgarem lectionem, quam Wak., plurimos utique libros sequutus, in *neque* mutavit. Vulgarem tamen, præter communem usum, Lambini et Havercampi silentium de suis codd. tueri videtur. *Forb.*

780. *Credunt committere.* Ita codices plurimi; editores ex arbitrio *tentarit credere.* — Amicus noster, *creduint* per synecphonesin pro *crediderint*, id est, *confisa, ausa sint arva;* quamvis deficiente exemplo; *creduis* quidem et *creduit* habes apud Plautum (Amph. II, 2, 40; Capt. III, 4, 74; Truc. II, 2, 52). Forbiger amici mei conj. *creduint* recepit. Poterat mehercule melius etiam *creduit*, scil. terra. Nihilominus sententia manifesto requirere videtur, quod audaci interpolatione intulit Lamb. *tentarit credere.* Verum nunc censeo, *crerint*, decreverint, indicarint, statuerint. *Orell.*

799. *Principio, genus alituum.* Rationem primæ originis animantium explicat ex sententia Anaximandri, et aliorum quorumdam veterum Philosophorum : quam pluribus persequitur Diodorus Siculus lib. I,

Digitized by Google

non longe a principio : quæ, quia hunc locum non mediocriter mihi videntur illustratura, adscribere non pigebit : Ταύτην δὲ [τὴν γῆν] τὸ μὲν πρῶτον τοῦ περὶ τὸν ἥλιον πυρὸς καταλάμψαντος πῆξιν λαβεῖν, ἔπειτα διὰ τὴν θερμασίαν ἀναζυμουμένης τῆς ἐπιφανείας, συνοιδῆσαί τινα τῶν ὑγρῶν κατὰ πολλοὺς τόπους, καὶ γενέσθαι περὶ αὐτὰ σηπεδόνας ὑμέσι λεπτοῖς περιεχομένας· ὅπερ ἐστὶν ἐν τοῖς ἕλεσι, καὶ τοῖς λιμνάζουσι τῶν τόπων ἔτι καὶ νῦν ὁρᾶσθαι γινόμενον, ἐπειδὰν τῆς χώρας κατεψυγμένης ἄφνω διάπυρος ὁ ἀὴρ γένηται, μὴ λαβὼν τὴν μεταβολὴν ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον· ζωογονουμένων δὲ τῶν ὑγρῶν διὰ τῆς θερμασίας τὸν εἰρημένον τρόπον, τὰς μὲν νύκτας λαμβάνειν αὐτίκα τὴν τροφὴν ἐκ τῆς πιπτούσης ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ὁμίχλης· τὰς δ' ἡμέρας ὑπὸ τοῦ καύματος στερεοῦσθαι· τὸ δ' ἔσχατον τῶν κυοφορουμένων τὴν τελείαν αὔξησιν λαβόντων, καὶ τῶν ὑμένων διακαυθέντων τε καὶ περιῤῥαγέντων, ἀναφυῆναι, καὶ φανῆναι παντοδαποὺς τύπους ζώων· τούτων δὲ τὰ μὲν πλείστης θερμασίας κεκοινωνηκότα, πρὸς τοὺς μετεώρους ἀπελθεῖν γενόμενα πτηνά· τὰ δὲ γεώδους ἀντεχόμενα συγκρίσεως, ἐν τῇ τῶν ἑρπετῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιγείων τάξει καταριθμηθῆναι· τὰ δὲ φύσεως ὑγρᾶς μάλιστα μετειληφότα, πρὸς τὸν ὁμογενῆ τόπον συνδραμεῖν, ὀνομασθέντα πλωτὰ, etc. i. e. « Hanc autem (terram) primum quidem quum ignis soli circumfusus eam collustrasset concrevisse : deinde, quum propterea quod concaluerat, extremæ ejus oræ veluti fermentarentur, multis locis humida quædam intumuisse, et in eis putrores quosdam tenuibus membranis circumdatos exstitisse. Quod in paludibus et in stagnantibus locis etiam nunc fieri cernere licet, quum ea loci regione frigida facta, aer repente exarserit, neque sensim fuerit immutatus. Humida autem illa eo, quo diximus, modo calore animata, noctu quidem ex nebula superne cadente cibum cepisse; interdiu autem ab æstu solidata esse. Postremo iis, quæ in uteris terræ inolevissent, justum incrementum consecutis, membranisque perustis ac perfractis, exstitisse atque exortas esse omnis generis animalium formas. Horum autem ea quidem, quæ plurimum caloris nactæ fuissent, ad superna loca abiisse, volatilia facta : ea autem quæ terrenam retinuissent soliditatem, in reptilium et aliorum terrestrium ordine esse numerata, quæ vero naturam humidam maxime haberent, ad locum ejusdem generis concurrisse, natatilia nominata ». Idem ibid. quosdam Euripidis versus ex Menalippa profert ab hac sententia non discrepantes : « Ὡς οὐρανός τε, γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία· Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα, Τίκτουσι πάντα, κἀνέδωκαν ἐς φάος, Δένδρη, πετεινὰ, θῆρας, οὕς θ' ἅλμη τρέφει, Γένος τε θνητῶν, i. e. « Nam terra, cœlumque una forma erant simul : Sed alterum postquam seorsum ab altero Junctum est, peperere cuncta, et edidere in luminis Oras, ut arbores, feras, atque alites, Et quas alit mare, et genus mortalium ». *Lamb.*

803. *Mortalia secla.* Hominum præsertim genus significat his verbis, ut patet ex vss. 820, 821. Significat et cetera animalia terrestria. Sic

Digitized by Google

supra vs. 789 et alibi passim. Hoc loco non ex unius Epicuri, sed partim ex Stoicorum mente loquitur; hi enim apud Lactantium censuerunt « Homines in omnibus terris et agris tanquam fungos esse generatos » : partim etiam ex Anaximandri sententia, qui licet tam homines, quam cetera animalia, ortos voluerit ex aqua, censuit tamen, ut est apud Plutarch. Plac. V, 19 : « fuisse corticibus spinosis contentos; et fœtus ad pubertatem intus retentos, tum demum, ruptis illis, viros, mulieresque, qui se jam alere possent, processisse » : partim denique ex Archelai opinione, qui docuit apud Laert. II : « homines ortos e terra, quæ limum similem lacti ad escam eliquaverit ». Vide plura de hoc primo mundi fabuloso exortu apud Diod. Siculum lib. I. Quam sententiam imitatus videtur Ovid. Met. I, 78 : « Natus homo est : sive hunc divino semine fecit Ille opifex rerum, mundi melioris origo; Sive recens tellus, etc. » Quam fabulosam sententiam rite refellit Lactantius II, 12. Consulas illum velim locum, qui lectione tua, lector candide, dignus est. *Fay.*

806. *Crescebant uteri.* Profert hunc versum Firmianus De orig. err. II, 12, totamque hanc de prima animalium origine sententiam refellit his verbis : « Aiunt certis conversionibus cœli, et astrorum motibus, maturitatem quamdam exstitisse animalium serendorum : itaque terram novam, semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdam in uterorum similitudinem protulisse, de quibus Lucret. lib. V : *Crescebant uteri*, etc. eosque, quum maturassent, natura cogente, ruptos, animalia tenera profudisse : deinde terram ipsam humore quodam, qui esset lacti similis, exuberasse, eoque alimento animantes esse nutritos, etc. » Nam satis est mihi locum indicasse. Ad hunc eumdem locum pertinent illa quæ dicuntur a Dione Chrysost. oratione Olymp. aut de prima Dei notitia : Πρώτην μὲν τροφὴν οἱ πρῶτοι καὶ αὐτόχθονες νεμόμενοι τὴν γεώδη, μαλακῆς ἔτι καὶ πίονος τῆς ἰλύος τότε οὔσης, ὥσπερ ἀπὸ μητρὸς γῆς λιχμώμενοι, καθάπερ τὰ φυτὰ νῦν ἕλκουσιν ἐξ αὐτῆς ἰκμάδα, etc. i. e. « Ac primi quidem homines, et ex ipsa terra nati, primum alimentum carpentes terrestre, quum mollis etiam tunc, et pinguis limus esset, tanquam a matre terra lambentes, ac sugentes, quemadmodum stirpes et plantæ nunc ex ea humorem trahunt, etc. » *Lamb.*

821. *Animans;* vulgares editi *animal;* quam formam Lucretius nusquam similiter adhibuit; redeas ad I, 774. *Wak.*

837. *Androgynem.* Bentleius et alii hunc versum pro spurio confoderunt; quibus equidem haud assenserim, libris universis aliud suadentibus. Nimirum, res monstrosas vividius effingere poeta, ut videtur, voluit. Verum enim tempus poscit, varietatem lectionis declaremus. *Androgynem* : P, Δ, Π, Σ, *Androgynum;* sed Lucretius ad Græcam dictio-

Digitized by Google

nem ἀνδρογύνης se composuit. *Utras* : Δ, *veras* ; editores, omnia vetusta exemplaria concultantes, *utrum*. Sed *utras* vel *naturas* respicit (vide nos ad III, 307, et mox, vs. 866); vel *animantes* (adi vss. 473, 821); cui nomini noster genus muliebre sæpius affixit. *Utramque* : P. *utrumque et* ; ut editi vulgares. *Utrimque* : sic posui ex conjectura, nam in libris est *utrumque*, si excipias V. ed. in quo *utrunque* exaratur; cujus vocabuli lineamenta nostro non discrepant. *Wak.* — Versus e Græco, ni fallor, fonte haud nimis feliciter detortus. Explica : Androgynem, naturam inter utras velis naturas, virilem ac muliebrem, positam, nec tamen utramque οὖσαν, sed æque ab utraque remotam. *Orell.*

839. *Muta*. Libri veteres universi, *Multa* ; non prorsus absurde, quum vox *cæca* stare poterat, pro « quocumque modo inutilia et inefficacia » : vide nos ad I, 1103, et mox, ad vs. 1004, quod tamen et ambiguum esset, et minus concinnum in hoc loco. Libenter itaque amplector lectionem, conjecturalem cujusdam docti, ut opinor, quæ comparet in Aldina : et sic clausulæ commodissime conveniunt *muta*, *sine ore* ; *cæca*, *sine voltu* ; ad sincerissimum Lucretiani styli candorem. Eadem ratio dudum Havercampo placuit. *Vultus* autem pro *oculis* tritissima est locutio; ut inscitiam Lambini non possum non demirari, reponere volentis *visu*. Haud aliter equidem intelligam Maronem, Æn. XII, 70 : « Illum turbat amor, figitque in virgine *vultus* ». *Wak.*

847. *Debent* : sic O, Ω; vulgo, *debere* ; sed istud hypermetrum carmen in Lucretium non temere recipiam; ac potissimum, clare cernens, ad quod inscitia scribarum hæsitaverit : τὸ *videmus* scilicet, ita δεικτικῶς atque παρενθετικῶς extra constructionem decurrentem positum. *Wak.*

851 sq. *Habere*, *Mutua queis*, etc. Secutus hic eram initio codd. Florentinos, et nonnullos alios vulg. in quibus impressum est, *habendum*, *Mutua queis nectant inter se gaudia*, *utrisque*. Nunc magis probo receptam lectionem : et subintelligo *debent*. *Lamb.* — *Queis nectant inter se gaudia uterque*. Sic omnes veteres. — Wak. e conjectura edidit *meterent* et in versu præced. *posset*. Sed optime et satis poetice habet vulgata. Ed. — *Qui* ; ita meliores codd. *Orell.*

861. *Ut fuga*. Sic Wak. Eichst. et Forbiger, cum plurimis libris ; vulgares edd. *et*, quos sequitur Orellius.

866. *Sequutæ*. Alii *sequuta* ; sed vide supra Disq. var. ad vs. 837.

876. *Sed neque Centauri fuerunt*. Sic negant et damnant ejusmodi portentosam animalium miscellam Diodorus lib. V; Aristoteles II, Phys. 8, de Hist. Animal. et de Generat. Anim. IV, et V, 3. At Empedocles

Digitized by Google

propugnat: et Claudius Cæsar, teste Plin. qui scribit, «Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse; et nos principatu ejus allatum illi ex Ægypto in melle vidimus». Volaterranus ait se vidisse Semicanem. Alii alia monstra, quæ Lycosthenes in lib. de Prodig. et Ostent. collegit. *F.*

877. *Esse queunt.* Lamb. *Esse queat duplici*, etc. Et sic post illum vulg. editi.

879. *Hinc illinc par vis ut non sic.* Si hujus versus varias scripturas lectori proponere vellem, totam paginam implerem. Alii, *Hinc illinc par vis ut non sint pars esse potis sit*; alii *paribus ut non sit pars*; alii *par vis ut non sit par esse.* Quæ scripturæ quum sint vitiosæ, ego sic reposueram, *Hinc illinc par vis ut non pari esse potis sit.* Sententia autem hujus scripturæ, si cui forte obscurior videatur, hæc est: Non potest esse natura seu potestas aliqua ex alienigenis membris, ut humanis et equinis, compacta et conflata, ita alienigenis (inquam) ut ex utraque parte, equi scilicet et hominis, aut aliorum animalium inter se compactorum, vis par pari esse, id est par pari respondere, non possit. De versus autem ratione non est quod quisquam dubitet, propter vocem *pari*, in qua voce syllaba *ri* non eliditur, sed corripitur: nam hoc esse Lucretio usitatum alibi ostendimus. Licet etiam sic legere, ut Turnebo placebat, *Hinc illinc par vis ut non sic esse potis sit*, eadem fere sententia: ut ex hac et illa parte non possit esse par vis, sic, id est, compactis inter se diversis animalibus. Atque hanc lectionem nunc sequi malui. *Lamb.*

882. *Puer haud quaquam; quin*, etc. Vulgatam cum Orellio reduximus. Wak. *haud ita quaquam sæpe*; sed illud *ita*, teste Orellio, italam interpolationem sapit. In plurimis vero codd. *quin* perierat absorptum a præced. syllaba *quam.* — *Etiam nunc.* Orell. ex Ald. 1 et Bon. *tunc* recepit.

883. *Lactantia.* Voss. ad Catull. p. 234, *Lætantia*, quia pueros lætos reddunt; sic II, 344: «Lætantia loca aquarum». *Creech.* — Vide supra in notis. — *Quæret.* Vulgo *quærit*, contra libros.

886. *Puerili.* Ego tamen malo *pueris.* Lamb.

899. *Flamma quidem vero.* Wak. sic scribendum versiculum ait: «Flamma quidem quoniam tam c. f. l. jam soleat, etc.» — Brix. «Ignea flamma quidem, quum, etc.» quæ lectio quum magis poetica videretur, languere contra istud *vero*, illam etsi incertam prætulimus. *Orell.*

903. *Media ipsa*; ut apud Virg. Georg. II, 297. Wakef. quem sequitur Eichst. edidit *medio*, ut evitetur ambiguitas. Equidem vero, quæ hic

Digitized by Google

ambiguitas inesse possit, non video, quum sibi invicem et manifeste respondeant, *prima, postrema, media*. Vulgatam igitur lectionem unice veram arbitror. Quam tuentur Orell. et Forb. Ed.

904. *Ore foras*. Non erat cur Wak. Eichst. (ex uno codice) suo calculo probarent *ferox*, quum *foras* Lucretio in deliciis sit (II, 200; VI, 682, 887) magisque corruptioni obnoxium quam *ferox*. *Orell.* — *Acrem flaret*. Lamb. *efflaret*. — *De corpore*. Malit Wak. *de pectore*.

921. *Sed, si quæque*, etc. Sic verissime scriptum est in pluribus libris. Lamb. et vulg. edd. « Res sic quæque suo ritu procedit »; alii, *sed sic quitlque*.

923. *Et genus humanum*, etc. Descriptio plane admirabilis usque ad vs. 1039. Qui relationes recentiorum scriptorum legerunt, hic Margaiates, Brasilios, Canibalas, et plerosque Indiæ Occidentalis populos agnoscent. *Faber*. — Hominum e terra natorum vitam, habitum, ingenium, mores fuse describit, et primo quidem vss. 20, docet primos homines validiori, quam nunc, constitisse corpore, ob innatam duritiem, quam e dura terra geniti contraxerant, inde minus obnoxii morbis erant, et longævi. Nemo autem agros coluit; sed glandibus, pomis sylvestribus, et aliis ejusmodi fructibus placabant famem : ad sedandam sitim fluvii fontesque suo murmure vocabant, vss. 8. Nulla iis vestimenta, nullæ domus; procellarum, frigorisque vim defendebant sylvæ, frutices, et antra, vss. 5. Nullæ leges : nullum commune bonum : vivebant rapto, et promiscua venere (nam vi, blanditiis, aut pretio, glandibus videl. pyris, pomisve mares sibi feminas conciliarunt) utebantur, vss. 9. *Creech*.

942. *Pabula dira*. Alii *dura;* alii *dia*, id est, quasi divinitus nascentia. — Valeat Havercampus, cui Lucretius perparvum aut nihil debet, cum sua conjunctione τῶν *dia* et *ampla*, ac ineptissima distinctione sua, posita post *mortalibus*. *Wak*.

943. *At sedare sitim*. Ω, *Et;* Macrobius Sat.VI, 2, 1 fin. *Ad*, de solito scribis peccato : vide Drakenborchium ad Liv. III, 17, 3, quam variationem memoravit Vossius De construct. p. 183, atque arripuit Havercampus, inconsulto satis; quum constructionis hujusce, *Ad sedare sitim*, neque exemplum quivis afferre poterit, nec rationes enodare. Casta Latinitas locutionem indignabunda respuit. *Wak*.

945. *Claru' citat late sitientia*. Quum initio sequutus essem libros vulg. *Clarior accitat sitientia*, etc. et tamen lectori scripturæ varietatem indicassem; hæc, quæ deinceps sequuntur, annotaram, his ipsis verbis:

Digitized by Google

Clarior aqua, quam aliis in locis, *accitat*, i. e. invitat, sitientes feras. Nunc Simeoni Bosio assentior. *Lamb.*—Hanc conjecturam (*claricitat*), a Lamb. primum receptam, seriores omnes, Wak. etiam, summis laudibus extulerunt. Licet autem verum sit, hanc conjecturam proxime accedere codicum vestigiis, hoc tamen verbum non omni solum destituitur auctoritate, sed etiam adversatur analogiæ, quod recte jam observavit Orellius, primus in hoc loco offensus, et recte monens, participiorum illorum *altitonans*, *altivolans*, *blandiloquens*, etc. plane aliam rationem esse, siquidem nemo dixerit : altitonat, altivolat, blandiloquitur. Addere etiam potuisset, quæ alii fortasse in mentem veniant, verba *æquiparo*, *amplifico*, *magnifico* et similia, et ipsa, utpote cum adjectivis, non cum adverbiis composita, quum dicantur pro « æquum parare, amplum, magnum facere », cum hoc verbo comparari non posse. Jam vero quum Lucretius, licet novis verbis sæpius utatur, tamen omni latinitatis usui contraria nunquam adhibeat, conjectura illa Bosii probari non potest. Orellius suspicatur legendum esse : *Allectat late*, quæ tamen lectio nimis a codd. vestigiis recedit. Mihi simplicissima ratio videtur, ut legamus : « Decursus aquai *Claru' citat late* », adjectivo per apocopen literæ finalis *s* adjecto, quæ licet sexcenties in Lucretio occurrat, interdum tamen in aliis etiam locis causa exstitit corrumpendi. *Forb.*

946. *Nota vageis.* Ita Wak. rectissime cum Bodl. Brit. 1, 2, 3, Cant. et cunctis edd. vett. Vulgo *noctivagi.* Bentl. *nocte vagi* maluit. *Forb.*

955. *Imbresque.* II. *umbrisque.* Et nescio, an non mihi magis arrideret τὸ *imbris* librorum pro secundo casu singularis numeri acceptum, atque cum *Verbera* consociatum. *Wak.* — Tamen vulgarem præstare censeo.

957. *Scibant.* Retinui cum Orellio vulgarem lectionem; plures libri *sciebant,* unde Wak. fecit *scierant*, quod miror Eichstædt. retinuisse quum plusquamperfectum plane non hujus loci videatur. *Forb.*

964. *Et manuum mira*, etc. Hi denique robusti immitesque homines per totos dies feras saxis, stipitibus, et id genus armis persequebantur; et multa cæde fatigati, vel quum nox adveniret, se frondibus foliisque involventes, humi dormiebant securi; securi inquam, neque enim timuerunt (ea erat absurda Stoicorum opinio Manil. I, 66), ne adveniente nocte dies deinceps non rediret, ob jam perspectam a prima origine diei ac noctis vicissitudinem, vss. 16. Hæc autem vita erat nonnullis incommodis obnoxia, dormientes feræ invadebant, et inde mors cita, vel longa gravisque (nondum vires herbarum noverant) putrescentia vulnera sequuta est. Multos fames abstulit, plures noxiæ herbæ, quas inscii legerant : ne vero quis putet tot malis obrutum fuisse totum humanum genus, et ad interitum redactum, consideret feras tum singulos lace-

Digitized by Google

rasse, noxiis herbis aut alimenti inopia paucos periisse; at quot millia rapit una acies, quot absorbet mare, quot denique luxuries enecat, et venenata pocula! vss. 29. *Creech.*

965. *Consectabantur.* Wak. e conjectura edidit *conflictabantur*, quod minime placet, nec latine sic dici posse arbitror. Ed.

968. *Suibus sylvestria.* Retinui vulgatam lectionem a Wak. et Eichst. e paucis quibusdam libris sic mutatam *subus sylvestribu', membra.* At *subus* duobus modo codd. Lugd. 1, 2, nititur; cui accedit quod *subus* VI, 975, prima syllaba corripitur. Lectionem *sylvestribus* vero Wak. e solis edd. Ver. Ven. male recepit. Sic enim sues istæ duplici ornantur epitheto, quo, ut recte ipse Wak. annotavit, Lucretius non nisi ut sensum efficaciorem præbeat, uti solet, quem in hac mutatione equidem frustra quæsivi. Contra vero si ad homines refertur hoc epitheton, nullo modo cum Wak. frivolum et supervacaneum dixerim prædicatum, quum aperte contineat causam, quæ effecerit ut homines nude humi prostrati, noctes sub dio transigere possent, quippe qui semper vixerint in sylvis et speluncis, nec certa habuerint domicilia. Cf. vs. 1410. *Forb.*

987. *Lamentis.* Libri quidem omnes et manuscr. et typis excusi habent *lamentis.* Sed placet mihi M. Antonii Mureti conjectura, qui legendum putat *labentis lumina vitæ. Lamb.*

995. *Denique;* editores ex arbitrio *donicum*, contra libros omnes.

1000. *Nec temere, incassum, frustra.* Primum Havercampum et Wakefieldum plurimorum codd. scripturam *incassum frustra* recte retinuisse, loci alterius II, 1059 comparatio satis clare demonstrare videtur, ita ut non adsentiri possim Eichstædtio et nupero Orellii censori in Ephem. liter. Jenens., quorum ille alteram scripturam, in Pii codd. et edit. Junt. apparentem, *incursu fluctus* in textum revocavit, hic vero non hanc solum lectionem, verum etiam particulam *sed*, loco voculæ *nec* in vulgatis editt., sed nullo in libro MS, ut videtur, obviam, defendit. Licet enim verum sit, bonum exinde prodire sensum, plurimorum tamen et optimorum codicum lectio potior esse debet, quum et ipsa, difficilior quidem, sed vel propterea præferenda, justum sensum fundat. Non autem prorsus cum Wakefieldo consentio, qui, hunc etiam versum permultis nec satis aptis interpungendi signis onerans, verba sic conjungit: Nec mare sævibat (in naves scilicet, quod e prioribus supplet), temere, incassum, frustra coortum; quæ ratio paullo impeditior videtur. Mihi potius copula *nec*, ut sæpissime, non tantum ad verbum *sævibat*, sed ad omnem sententiam pertinere, omnibus ejus verbis communis esse videtur, quasi Lucretius dixisset: Nec sæpe temere mare

Digitized by Google

cooriebatur et sæviebat. Quod autem sequentem versum attinet, non acquiescere possum in vulgari lectione : *leviterque minas ponebat inanes*, qua omnes editores contenti erant. Si enim verbum *ponebat*, quod, si Havercampi silentio fides est habenda, in utroque libro Voss. et cod. Bodl. conspicitur, verum fuisset, plane non intelligitur, quomodo inde exortæ sint miræ illæ lectionis varietates, quas ceteri libri scripti et excusi exhibent. Et mihi quidem, quum cod. Cantabr., unus Mus. Brit. A. et Poorii MS præbeant *poscebat*, edit. Brix. vero non multum diverse *possebat*, e conjectura restituendum videtur : *pascebat ;* ut *minas pascere* dictum sit pro *minas alere*, quemadmodum alii etiam scriptores furorem, iram pascere vel alere dicunt. (Cf. Claudian. XXXIX, 22 ; Sil. Ital. XII, 721 ; Cic. p. Sext. c. 38, etc.) Omnis igitur loci sensus hic esset : Nondum mare turbidum naves in saxis scopulisque confregit et elisit, neque omnino sæpe coortum sæviit temere et sine effectu, et, si fortasse aliquando commotum et agitatum erat, leviter tantum minas alebat, statim ad priorem quietem et tranquillitatem rediens, quippe quod, navigatione nondum inventa, nihil adesset, in quod furorem suum effunderet. *Forbiger.*

1004. *Navigii.* Hunc versum Bothius in notis ad Plaut. et Osannus Anal. Crit. p. 172, itemque vir doctus in Ephem. liter. Jenens. 1820, n° 76, sollicitarunt, quia substantiva secundæ declinationis in *ium* desinentia, usque ad seriora ævi Augustei tempora, contractam modo genitivi formam admisisse unice volunt. — Ego tamen hac in re eis adsentiri non possum, quum mihi nondum persuasum sit, regulam illam a scriptoribus Propertio prioribus vere ubivis ita observatam esse, ut, si quo loco aliter scriptum appareat, is statim corrigendus vel spurius censendus sit. Errat enim Censor Jenensis quum opinatur, aliis quibusdam locis contrariis recte a viris doctis emendatis et rejectis, hunc solum Lucretii locum superesse, in quo regula illa vere negligatur. Ut enim hic non commemorem alterum Lucretii locum VI, 744, in quo quia pro *Remigii* varia lectio *Remigio* occurrit, admittatur fortasse Wakefieldi mutatio in *Remigium*, (ut scilicet sumamus *remigiom* per compendium scriptum fuisse *remigiō*, quamquam illud *o* e sequenti voce *oblitæ* attractum esse mihi certe probabilius videtur) alii etiam inveniuntur loci fidei non dubiæ, sed librorum MSS auctoritate tuti, ubi mutatio non facilis videtur. Pertinent huc Ennii locus ab Apuleio Apol. I, p. 43 Bip. servatus (p. 157 Hessel.), *Brundusii ;* Virg. Æn. III, 385, *Ausonii ;* Manil. II, 740, *Dodecatemerii*, et alii fortasse, qui regulæ illi non minus, quam hic ipse Lucretii locus adversantur. Accedit ipse et seriorum scriptorum ex ævo Augusteo usus. Vix enim intelligitur, quomodo hi scriptores, Propertius inprimis, quem minime novas formas induxisse, imo ad pristinas potius et antiquatas rediisse constat, in illam licentiam incidissent, si ne unus quidem veterum auctorum illa

Digitized by Google

soluta genitivi forma uti sibi indulsisset. Quare mihi consultius videtur sumere, hanc solutam genitivi formam, fortasse ob ipsam illam causam, quam Nigidius Figulus apud Gellium III, 25, quodammodo innuit, scilicet ut secundus et quintus casus melius discernantur, Ennii jam temporibus in vitæ communis usum introductum esse, ita ut scriptores quidem, cultioris orationis studiosi, veterem formam plerumque retinerent, interdum tamen, inprimis prosa oratione usi, etiam ad populi consuetudinem deflecterent; serius autem, quum usus ille magis magisque communis factus esset, scriptores quoque, singulis illis antiquiorum auctorum exemplis fretos, recentiorem genitivi formam sæpius adhibuisse. Cetera enim argumenta, quibus Censor Jenensis usus est, ut versum expellendum esse nobis persuaderet, superfluum scilicet et languidum eum esse nimisque artificiosum pro gravi Lucretii simplicitate, nisi ob illam causam versum jam spurium censuisset, vix, puto, Vir doctus attulisset, quum ex ipsa loci natura et Lucretii scribendi ratione parum præsidii habeant. *Forb.*

1009. *Inde casas postquam,* etc. Hactenus homines efferos, per sylvas vagantes, et rapto viventes vidimus: alii jam in scenam prodeunt, mansueti, mites, et civilis vitæ studiosi: non enim manebat ista, quæ in novo mundo fuit, aeris temperies, sed modo durum frigus, modo nimius calor, procellæ, et tempestates affligebant: inde paulatim fractæ istorum vires; inde domos struxerunt, quibus sese continentes privata Venere utebantur, et natorum blanditiis assueti mansuetudinem induebant. Deinde pellibus contra cœli inclementiam usi, et post repertum ignem ita erant emolliti, ut fœdera et amicitiam inire, a vi et injuriis abstinere necessarium foret, si ipsi salvi esse vellent: ita tandem concordia conservatum est humanum genus. *Creech.*

1024. *Servabant.* Retinui vulgatam lectionem a Vind. Brit. 1, 3, Junt. et Ald. 2 exhibitam. Wak. Eichst. Orell. (in priore tantum editione) *servabat*, scil. pars. *Forb.*

1027. *At varios linguæ sonitus.* Sed quo modo fœdera inter homines (mutum et turpe pecus), qui sentire forsan potuerunt, at quæ sentiebant effari nondum didicerant? Respondet Lucretius, homines istos primos suæ facultatis fuisse conscios, et ut unaquæque res sibi objecta dolorem, gaudium, metum, etc. excitabat, diversos sonos expressisse; id enim cogebat natura, et idem faciunt aves, equi, canes, omnia denique animalia quæ respirant. Hoc vero modo *balbe* tantum vs. 1021 significabant. Nondum instituta erant commercia, neque, nisi rebus nomina imponerentur, institui potuerunt: igitur unusquisque hominum utile sibi aliisque fore sensit certa rebus nomina assignare. Ita omnibus, qui eodem fœdere erant juncti, de iisdem vocabulis inter se

Digitized by Google

convenit, et rerum nomina expressit utilitas. Quod vero dicat aliquis (non tantum Pythagoram, et Platonem, sed et sacram Mosis historiam mihi videtur convellere), unum videl. hominem rebus omnibus nomina dedisse, illud ineptum prorsus et absurdum. Hæc vss. 63. *Creech.*

1034. *Infensus.* Wak. e Vossii conjectura dedit *infestus.*

1037. *Vix etiam quom sunt.* In quibusdam libris manuscr. desideratur vox *ipsis*, ut fortasse legendum sit, « Vixdum etiam quum sunt dentes, unguesque creati ». Codices quidem Florentini sic habent, « Vix etiam quum sunt, etc. » Nunc igitur sic legendum censeo, « Vixdum etiam quum sunt, etc. » non, ut vulgo, « Vixdum cum ipsis sunt, etc. » Licet etiam sic legere, « Vixdum eis quum sunt dentes, unguesque creati ». *Lamb.*

1038. *Alituum porro.* Wak. quum in quibusdam codd. invenisset *proporro*, statim reposuit *alitum proporro;* aitque infrequentiorem elisionem fraudi fuisse librariis. Cui equidem minime assentior, vulgatam cum Eichst. Forb. et Orellio reducens. Ed.

1045. Hic locus sic vulgo scribi et interpungi solet : « unde insita notities est utilitatis; et unde ... ut scirent, animoque viderent? » sed omnes codd. præter Pium exhibent *utilitas;* hinc locum correxit Wak. quem alii sequuti sunt.

1052. *Quid sit opus facto.* Vulgo contra codices universos, *quid facto esset opus.*

1061. *Licet in rebus.* Vulgo *id licet e;* ad arbitrariam haud dubie emendationem criticorum. *Wak.*

1064. *Rabies districta minatur.* Sic poetice magis quidam codices; alii *rabie ... minantur.* Alii *distracta.*

1067. *Lactant.* Sic omnes libri; *Lamb.* male *jactant.*

1075, 1076. *Et fremitum patulis*, etc. Hunc versuum ordinem, quem omnes scripti codices exhibent, immutavit Wakef. ea mente ut redderet suam loco proprietatem et argumento vim. Sed restitutionem istam, quam vocat indubitabilem, recte viri docti non admisere. Ultimus enim versus *et quum sic alias*, etc. generaliter concludit, quæ prius poeta per partes et speciem expresserat : manifesto igitur suam sedem obtinet. In vs. autem 1075 supple *ubi* e v. 1073; ut oppositio bene constet; nam sine dubio τὸ *arma* hic proprie sumendum, neque ullo modo de *armis venereis* capiendum, ut suspicantur Lamb. et Creech.

Digitized by Google

Quod etiam ostendit locus similis apud Virg. Georg. III, 84 : « Si qua sonum procul *arma* dedere ... *tremit artus* ... volvit *sub naribus* ignem ». Ed.

1076. *Et quum sic;* vulgo ex emendatione Lamb. *sis*, id est, suis; pessime.

1091. *In terram*. Sic vetera exemplaria; vulgo *in terras*.

1119. *Voluerunt se;* vulgo contra libb. omnium auctoritatem *se homines voluere esse, atque*.

1135. *Ergo regibus occisis*. Animadverte poetam a vs. 1017 ad vs. 1163, hæc nonnulla problemata politica solvisse. 1° Cur homo natura liber ab ineunte ævo regibus obtemperare passus sit? nimirum vel ob formam corporis, quæ multum valet; unde nunc etiam illud : *Species digna imperio*. Vel ob vires, quibus potentissimi ceteros invitos cogebant ad servitutem. Vel ob ingenii excellentiam, quæ admirationem et reverentiam merito sibi facile comparavit, et imperium. 2° Cur formosi, validi, et ingeniosi tandem regnare desierint? Scilicet, quia illos exauctorarunt opes inventæ, deque solio dejecerunt. 3° Cur reges primum studuerunt arcem locare? nempe quia metuebant sibi aut ab hostibus, aut ab invidiosis populis quos nimia servitute premerent. 4° Cur regum pristina majestas, ac sceptra superba tandem subversa jacuerunt? scilicet, quia nihil invidiæ resistit; scandit ea vel editissimas arces regumque turres. Invidetur enim præsertim præstanti ac florenti fortunæ. 5° Cur leges conditæ? forsan ob commercium. Gregale enim animal est homo, mutuique officii indigum. Itaque ne perpetuo esset in armis, excogitatæ sunt leges, quibus societatis communis norma servaretur, certisque finibus coerceretur petulantia ac effræna malesanorum libido. *Fayus*.

1140. *Redibat*. Cod. unus *recidit*, unde Wak. fecit *residit*, quæ proba est etiam perfecti forma, non solum præsentis. Attamen temporis ratione habita, imperfectum aliquod aptius videtur quam perfectum unde vulg. *redibat* retinui. *Orell.*

1158. *Protraxe*. Lambinus *procraxe*, i. e. palam aperuisse, atque indicasse, et quasi in publico garriisse. Verbum est e Græco detortum κράζω, seu κράγω, quod ipsum a præterito κέκραγα factum est. Valet autem κράζω idem quod κλάζω, i. e. *clamo* et *vociferor*.

1163. *Quæ nunc in magnis florent sacra rebus*. Eam scripturam sequutus sum, quæ reperitur in tribus libris manuscriptis, et in totidem vulgatis. Neque est quod quemquam offendat vox *sacra* iterata. Nam

Digitized by Google

hæc ἐπαναφορὰ valet ad ornatum ac venustatem. Si quis tamen alteram lectionem malet, non pugnabo : quæ talis est, « Quæ nunc in magnis florent rebusque locisque ». *Lamb.* — Nos de propria conjectura rescripsimus *stata*. Pinzg. quidem et Forb. meam conject. rejecerunt. Sed omnino mira paupertas sermonis inest in vulg. utrovis modo construas : « solemnia sacra, quæ sacra nunc florent », qui est sermo mere pedestris; sive : « sacra, quæ nunc florent sacra ὄντα », intolerabili pleonasmo. Eo autem magis mihi persuasum ipsam Lucretii manum a me restitutam esse, quod ubique hanc consuetudinem loquendi reperio ut jungantur *solemnia* et *stata sacra*. Cic. Tusc. I, 49; Senec. Troad. 777. *Orell.*

1176. *Et tamen omnino.* Ex voce *tamen*, quæ erat corrupta, totidem literis verbum *manet* feci : quod huic loco prorsus convenit. Nam hujus loci hæc sententia est : Diis tribuebant immortalitatem, quia semper eorum facies suppetebat, et forma permanebat : et plane permanet : et quia tantis, etc. *Lamb.*

1188. *Quia nox et luna videtur.* Editores, contra libros omnes, *quia sol ... videntur.*

1191. *Sol.* Editores, libris omnibus reclamantibus, *ros.*

1208. *Ne quæ.* Plures Pii codd. *Ecquæ*, quod perperam placuit editoribus, contra libros antiquissimos purissimosque. *Wak.*

1211, 1212. *Ecquænam, ecquæ.* Ita vulg. edd. Eichst. et Orell. cum optimis libris. Wak. « Et quænam; et quæ », *et* pro *etiam* posito. *Forb.*

1222. *Perculsi.* Quidam libri scripti habent *percussi.* Utrumvis ferri potest. *Percussi*, i. e. permoti : *perculsi*, de statu moti, et prostrati. *Lamb.* — Cf. ad I, 13.

1224. *Adductum.* Vulgaris est lectio, a plurimis libris suppeditata, in qua nescio cur recentiores editt. offenderint. Wak. enim, quem Eichst. sequitur, edidit *ad auctum*, « id est, ad plenam maturitatem suam perductum ». *Forb.* — Verumtamen latinitati repugnat ut *hoc est ad auctum* aut omnino dici queat aut illum in modum explicari. Ut enim aliquis ita loquutus esset (quod minime credo) hoc significaturus fuisset : « hoc facit, juvat ad auctum, augendum ». *Orell.*

1242. *Ignis ubi ingentes.* Vult metalla esse primum reperta incendio sylvarum. Hanc sententiam confirmat id quod scribit Aristot. Περὶ θαυμας. ἀκουσμ. (p. 102 ed. Sylb.) his verbis : Ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ λέγουσι τῶν δρυμῶν ἐμπρησθέντων ὑπὸ τινῶν ποιμένων, καὶ τῆς γῆς διαθερμανθείσης ὑπὸ τῆς ὕλης, φανερῶς ἀργύρῳ ῥεῦσαι τὴν χώραν, καὶ μετὰ χρόνον σεισμῶν ἐπιγενομέ-

Digitized by Google

νων, καὶ τῶν τόπων ῥαγέντων, πάμπληθες συναχθῆναι ἀργύριον· ὃ δὴ καὶ Μασσαλιώταις πρόσοδον ἐποίησεν οὐ τὴν τυχοῦσαν, i. e. « Aiunt in Hispania sylvis incensis a quibusdam pastoribus, et terra a materia concalefacta, perspicue argentum in ea regione fluxisse, et aliquanto post tempore terræ motu subsecuto, et locis discissis, ingentem vim argenti coactam esse. Quæ res etiam Massiliensibus vectigalia peperit non parva ». Sed de metallorum primis inventoribus lege Georg. Agric. lib. I, de metallis. *Lamb.* — Idem narrat Posidon. apud Strab. lib. III, p. 147, de Mineris Turditaniæ sive Andalusiæ. Athenæus VI, 4. *Creech.*

1243. *Seu.* Eichst. *ceu*, errore typographico, opinor; cf. vs. 1091 sqq.

1252. *Sylva exederat altis.* Melius quam *altas* : nam *altæ radices* in venas metallorum descendunt. *Creech.*

1261. *Calore.* Sic codd. et edd. omnes. Wak. *vapore*, sine causa idonea.

1265. *Et cædere;* vulgari solet *excidere*, optimis libris contra stantibus. *Wak.*

1266. *Materiem lævare, dolare*, etc. Edd. vett. *materiemque dolare, levare ac.* Sic Wak. quem si audias « necesse est *levare* sensum habere frondium exspoliandarum atque ramorum supervacuorum, ut Virg. Georg. II, 400, *omne levandum fronde nemus* ». Sed diversa miscet Wak. nec *levare* nude sic positum tolerari potest. Nos priscos Pii codd. sequuti sumus : corruptionis origo manifesto est verbi *levare* et significatio et quantitas ignorata. Forb. ut Wak., meam tamen explicationem sequutus. Verum incredibile est Lucretium corripuisse primam syllabam hujus verbi. *Orell.*

1272. *Nec poterant.* Sic optimi libri; vulgo *poterat.*

1279. *Honore est.* Orell. *miro est ... honore.* Forb. *est* omisit, ut *miro honore* ad *floret* referat.

1281. *Facile est ipsi.* P. et edd. vulg. contra omnes libros, *ipsum.*

1296. *Armatum.* Lamb. *reppertum;* ut in vs. 1300 *inventum;* quæ voces e glossa videntur natæ.

1297. *Dextraque vigere.* Sic legendum : et sic habent omnes libri et manuscr. et vulgati. Quod autem Thrasones *vegere* legi volunt, de equite intelligentes, qui equum regat; cui hoc probabitur, quum eques equum regat læva, non dextra? *Lamb.*

Digitized by Google

1310. *Cum ductoribus armatis.* Nihil muto, tametsi negare non possim, eam scripturam, quæ in duobus libris manuscr. reperitur, *Cum doctoribus armatis*, etc. ferri posse. *Lamb.* — *Doctoribus :* qui *docuerunt* eos utique tumultus bellicos sufferre; ut in vs. 1302, et ubertatem Lucretiani sermonis nativam resipiunt phrases consociatæ *doctoribus armatis* atque *sævis magistris*. Hæc autem scriptura est exemplarium Vind. M, O, Ω; cetera, *ductoribus :* ac locutionem doctiorem vulgata facile loco emoveret. *Wak.*

1318. *Ora petebant.* Sic legendum, non *patebant*. Wakef. conjicit *ore patebant.*

1320. *Volnere victos.* Sic legendum ex omnibus vulg. et vet. fere. Quidam vett. *vinctos. Gfan.*

1322. *Suos.* Ita omnino legendum, non *sues*, ut vulgo; quid enim noxæ inde hominibus si *sues*, i. e. apros jactassent tauri?

1324. *Et terram minitanti;* editores contra omnes libros *ad terramque minanti.*

1326. *Tela infracta suo.* Lamb. utrumque versum aut certe priorem, Bentl. pariter utrumque, aut saltem posteriorem atque hunc etiam Marull., Gifan. et Wak. spurium habuerunt, Hav. e duplici ipsius Lucretii editione, Orell. e similibus repetitionibus (ut V, 1189, et VI, 15, quæ tamen alius sunt generis) utrumque defendere student. Nemo tamen de sensu accuratius dixit. Mihi igitur prior versus genuinus et sic intelligendus videtur: Apri, tela corporibus suis infixa et fracta secum trahentes et sanguine suo imbuentes, propterea ad furorem et sævitiam concitati ipsos suos socios, i. e. milites, a quibus ipsi in certamen adducti erant, dentibus invaserunt. Hunc sensum qui serius carmen Lucretii mutavit, sua, si diis placet, emendatione clariorem reddere studuit, omittens etiam epitheton *sævi*, ut modo vidimus, minime superfluum. Non vero adsentiri possum Knebelii Censori qui nuper in Ephem. liter. Halens. 1823, ch. 239 et 240, per epanalepsin utrumque versum defendere studuit, quem, mutatione etiam verbi *tinguentes* vs. 1326, in genitivum *tinguentis* adhibita, sic explicat: « Apri *venatores* (de quibus plane non sermo est) cædebant, qui *suo sanguine* fracta *venabula* cruentabant, dum apri *eadem tela* confracta suo etiam sanguine conspergebant ». At quam artificiosa et tamen non apta sit hæc locum expediendi ratio, nemo non videt, quum nihil aliud expressurus Lucretius vix usus fuisset illa eorumdem verborum repetitione, qua sententiam per se jam languidam languidiorem etiam redderet. *Forb.*

1333. *Si quos.* Lamb. e conjectura *sic quos;* quem secuti sunt editores; perperam.

Digitized by Google

1340 sqq. *Sic fuit ut facerent.* Wak. e pluribus libris *si fuit*, i. e. « si tamen verum est eos tam stultos fuisse, etc. » quod primo quidem mihi arriserat, ut dubitativum *si* responderet τοῖς *sed vix adducor.* Melius autem *sic* cum toto loco convenit : « Potuerunt quidem *sic* facere, sed non arte quadam et consuetudine, immo ob desperationem ». Locum per se paullo obscuriorem alii aliter exposuere, quorum varias adnotationes subjicere operæ pretium videtur. Ed.—Sic fieri potuit ut boves illæ male cæsæ mala tanta facerent immolatoribus suis. *Fay.* — Hæ forsan erant primorum hominum bellandi artes ; vix tamen credere possum quin isti præsentiebant, animoque suo prævidebant quantas et quam miserandas clades feræ tam sibi quam hostibus suis inferrent. *Creech.* — *Quam commune.* Quam valde sibi cum adversariis hoc malum fuerat commune futurum. Vel, quam æqualiter et peræque hæ animantes fuerant sibi et adversariis exitio futuræ. *Lamb.*— Nihil de constructione Orell. nisi quod *fieret futurum* omnino Latinum non esse contendat : ideoque int. videtur : « præsentire antequam futurum esset commune ». Forbiger omnino silet, ideoque Wakef. explicationi (vide supra in notis) quodammodo assentiri videtur. Ed.

1342. *Fieret.* Sic omnes fere libri, quos Wak. sequutus est. Ver. Ven. Ald. 1, Bon. *fueret*, quam obsoletam formam Orell. recepit ; vulgat. edd. *fuerat*, contra libros universos. *Forb.*

1343. *Factum in omni.* Hoc mihi velle dicere Lucretius videtur : « Loquor de re, non admittente quidem specialem confirmationem, sed generaliter probabili » : vel, quod affirmo, *generalem* veritatem habeam, haud *universalem* tamen ; rationibus saltem veri quam simillimis subnixam ». *Wak.* — Mihi, ut verum fatear, hic locus semper suspicionem aliquam movit, inprimis quum vs. 1344 prorsus eodem modo voci *omne* explicandæ adhibitus, sed loco longe aptiori, supra vs. 529 jam adfuerit. *Forb.*

1352. *Fusi, radii.* Editores post *fusi* interpolant *et*, contra libros omnes atque ipsius Lucretii consuetudinem. *Wak.*

1370. *Locum.* Wak. *situm.* Auctoritatem codd. sequi maluimus, quam Avancii correctionem. *Orell.*

1404. *Solatia somno ;* editores *somni* contra libros, et minus docte.

1408. *Numeris.* Vulgares ed. *numerum*, id est, numerorum, sed altera lectio aptior videtur.

1409. *Dulcedine.* Editores, *dulcedinis*, sine librorum auctoritate.

1420. *Distractam.* Vulgo *distractum ;* quæ lectio ferri poterat, respectu ad aliud nomen habito ; sed nostra simplicior est et apertior. *W.*

Digitized by Google

1427. *Rigentibus.* Sic emendavit ingeniose Joan. Jortinus, pro vulgato *ingentibus.*

1435. *Magnum et.* Sic omnes editores, præter Wak. qui *et* omisit, plures sane libros sequutus; sed contra usum poetarum Latinorum.

1441. *Tum mare velivolis florebat propter odores.* Sic primus restituit Wak. ex omnibus fere libris; quem sequuti sunt Eichst. (vide supra t. I, p. 33), Forb. et ipse in altera edit. Orellius. — At vero quum Servius ad Virg. Æn. VII, 804, ex Lucretio afferat verba *florebat navibus pontus,* Marullus, memor fortasse loci Virgiliani ad Georg. II, 445, inde fecit: « tum mare velivolum florebat navibu' pandis »; quod in omnes edd. vulgares transiit. De codd. lectione non dubitandum: Servius autem vel locum nostrum memoriter tantum nec ad verbum attulisse, vel alium fortasse versum deperditum respexisse videtur. Quæ quum ita sint, non possum assentiri Orellii Censori Jenensi, qui Havercampi sententiam amplexus, præstantissimorum codd. lectiones cum Serviana sic optime conciliari censet: « Tum mare velivolum; florebat navibu' pontus »: quæ mihi tautologia videtur neutiquam ferenda. *Forb.*

1444. *Prius.* Orellius ex uno cod. *multo sunt ante.* Brit. 1 *post sunt.* — Rectius, ut arbitror: nam solere homines versibus recitandis otium prius mulcere, quam literarum usus sit repertus, et per se vero simile est, et verum evincitur vel unius carminibus Homeri. *Wak.* — Sane rectius hoc erat ex judicio v. c. Wolfii, qui scripturæ artem apud Græcos Homero posteriorem censebat, nec in ea re fallebatur. Verum id prorsus contrarium esse debebat Lucretii opinioni, qui nec Iliadem nec Odysseam componi potuisse sine scribendi arte, certe paullo ante Homerum in Græciam introducta, cogitare poterat. *Orell.*

Digitized by Google

Digitized by Google

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER VI.

ARGUMENTUM.

Primi triginta tres vss. hujusce libri continent tam ipsarum Athenarum, quam Epicuri Atheniensis, laudes.—Sequitur ad vs. 96, qualem ab Epicureo philosopho exspectes, argumenti hujus libri explicatio : et de meteoris dicturo primum occurrunt tonitrus, fulgur, fulmen; de quibus diligenter disputat, et demum istos deridet, qui, neglectis causis naturalibus, ipsum Jovem fulmina jaculari existimant, ad vs. 422.— His subjungitur (nam prester fulmini affinis), a vs. 423 presteris brevis explicatio.—Deinde, a vs. 451, ad vs. 534, multa de nubibus et pluvia; pauca de iride, de nive, vento, grandine, pruina, et gelu, disputat.—Si terræ motus causas velis cognoscere, a vs. 543, ad vs. 607, habes fuse explicatas. — A vs. 607, ad vs. 639, de mari Poeta disserit. — Inde ad vs. 712, de Ætna.— Sequentia, ad vs. 738, Nilo destinantur. — Deinde, a vs. 739, ad vs. 841, de Avernis, aliisque terræ tractibus, qui sunt hominibus, cervis, corvis, equis, et aliis noxii, disputatur. — Deinde, a vs. 841, ad vs. 906, de puteis, variisque admirandis fontibus, agit perjucunde. — Postea a vs. 907, ad vs. 1088, Magnes lapis diligentissime explicatur. — Postremo, usque ad libri finem, de morbis et peste quædam disserit; quibus subjungit elegantem atque uberrimam sane descriptionem, nec minus eruditam et accuratam tamen, pestis

Digitized by Google

illius, quæ tempore belli Peloponnesiaci Athenas opere maximo vastavit, e Thucydidis historia desumtam.

PRIMÆ frugiparos fetus mortalibus ægreis
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ;
Et recreaverunt vitam, legesque rogarunt;
Et primæ dederunt solatia dulcia vitæ,
Quom genuere virum, tali cum corde repertum,
Omnia veridico qui quondam ex ore profudit:
Quojus et exstincti, propter divina reperta,
Divolgata vetus jam ad cœlum gloria fertur.
Nam, quom vidit hic, ad victum quæ flagitat usus,
Omnia jam ferme mortalibus esse parata,
Et per quæ possent vitam consistere tutam;
Divitiis homines, et honore et laude potenteis,

1. *Primæ frugiparos.* Quia multus ac fere totus est Lucretius in laudando Epicuro, sextum hunc librum auspicatur ab Athenarum laudibus; quam civitatem hominibus colendam ac verendam prædicat, non solum quod ab ea humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur, ut ait ipse Cicero Orat. pro Flacco: sed præcipue, quia ex ea ortus est Epicurus. *F.* — Athenarum laudes plurimi veterum attigere, quos huc citare supervacaneum foret. Si tamen libeat quosdam, ad Lucretii mentem propius accedentes, consulere, cf. Isocr. Paneg.; Diodor. Sic. V, 69; Justin. II, 6, 5. — *Frugiparos fetus.* Id est, culmos Cererem parientes. *W.* — *Ægreis,* miseris, ut V, 942; quasi fame languentibus. Locutionem non semel usurpavit Virgilius; conf. Æneid. II, 268; X, 274, et alibi.

2. *Dididerunt.* I. e. *sparsim dederunt,* vel undique per terram sparserunt. *W.*

3. *Recreaverunt.* I. e. quasi *de novo creaverunt,* frugibus glandes atque ferum victum excipientibus, cultuque bene constitutæ societatis atque humanitatis disciplinis belluinam vitam emoventibus. *W.* — *Leges rogarunt.* Solemnis est juridicialis formula, nemini non nota: v. Nonium IV, 397. *W.*

4. *Solatia vitæ.* Sic V, 21, 114.

5. *Virum,* Epicurum; I, 67. — *Tali corde.* H. e. tali sapientia.

7. *Exstincti,* mortui, jam non clarum *lumen* (III, 1) extollentis.

10. *Esse parata.* Vidit Epicurus omnia quasi in medio posita, et parabilia. Natura enim res paratu difficiles et sumptuosas non desiderat, sed contenta est rebus parabilibus, et modicis. *Lamb.*—Sensus est: «Vidit homines *jam tum ferme* omnia vitæ commoda, at nondum animi bona sibi comparavisse». ED.

11. *Consistere,* stabilire, constituere. — Active noster posuit, ut non raro factum aliis in verbo simplice, pro *morari,* vel *facere consistere,* quasi in solido atque securo loco. *W.*

Digitized by Google

Affluere, atque bona natorum excellere fama;
Nec minus esse domi quoiquam tamen anxia cordi,
Atque animi ingratis vitam vexare querelis:
Causam, quæ infestis cogit sævire querelis,
Intellegit ibi; vitium vas efficere ipsum,
Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quæ collata foris et commoda quomque venirent:
Partim, quod fluxum pertusumque esse videbat,
Ut nulla posset ratione explerier unquam;
Partim, quod tetro quasi conspurcare sapore
Omnia cernebat, quæquomque receperat intus.
Veridicis igitur purgavit pectora dictis,
Et finem statuit cupedinis atque timoris;
Exposuitque, bonum summum, quo tendimus omnes,
Quid foret: atque viam monstravit tramite parvo,

14. *Domi*, apud se, in animo. — I. e. quasi sponte foveret ægritudines cor humanum; adeo curis insessum tenebatur. Efficax est dicendi genus et vulgatum *corda* multis parasangis post se relinquit. *W.*—Cf. V, 1390.

15. *Ingratis*, infructuosis, ut III, 950. *W.* — Ad sensum supple: nec minus quemquam vexare, etc.

16. *Sævire querelis*. Hanc vocis exquisitiorem vim poetæ frequentant. Sic Val. Flacc. VI, 433, *sævis querelis*. Vulgo *servire*, minus eleganter.

17. *Intellegit*. Causam probe tenuit, et animo pervidit. — Hanc obsoletam formam temporis perfecti, quæ servata est in *eligo*, *seligo*, Wak. restituit ex optimis codd. Lugd. 1, 2; eumque docti editores sequuti sunt. — *Vas*. Id est, ipsum hominem, III, 441, 554, 794, 949; V, 138. Et Pius recte monuit consimile esse illud Horatianum Epist. I, 2, 54, hinc, ut opinor, derivatum. *W.*

18. *Corrumpier* valet *frustra fieri*, vel perdi; quum vox non minus *conspurcatum* vas respiciat, vs. 22, quam *pertusum*, vs. 20. *W.*

19. *Quæ collata*, etc. Quæcumque venirent, foris *collata* (quo in vocabulo ipsius utilitatis notio inest), atque etiam commoda. *Orell.*

20. *Pertusum;* III, 949, 1022 sq.

25. *Finem statuit*. I. e. summum bonum et summum malum definivit. *Bentl.* — Ideoque docuit homines quid cupiendum, quid timendum sit. Item Cicero De fin. bon. et mal. En. — *Cupedinis*, I, 1081; IV, 1086; V, 46. — Epicurus autem cupiditates necessitate et natura terminabat. Quæ vero neque necessariæ, neque naturales essent, eas dicebat esse infinitas, ac stultis convenire. *Lamb.*— *Timoris*. Finem timoris fecit, dum scilicet religiones omnes Deorum ac animarum immortalitatem sustulit. *Lamb.*

27 sq. *Tramite parvo*, *recto cursu*. I. e. viam *compendiariam*, nec *tortuosam*, hominibus monstravit. Editores insciti temerariique de suo dedere *tramite prono*. W.

Digitized by Google

Qua possemus ad id recto contendere cursu:
Quidve mali foret in rebus mortalibu' passim;
Quod flueret naturali varieque volaret
Seu casu, seu vi, quod sic Natura parasset;
Et quibus e portis occurri quoique deceret:
Et genus humanum frustra plerumque probavit
Volvere curarum tristeis in pectore fluctus.
Nam veluti puerei trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuunda magis, quam
Quæ puerei in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque, necesse est
Non radiei solis, nec lucida tela diei
Discutiant, sed Naturæ species, ratioque;
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.
Et quoniam docui, mundi mortalia templa
Esse, et nativo consistere corpore cœlum;
Et, quæquomque in eo fiunt, fierique necesse est,
Pleraque dissolvi; quæ restant, percipe, porro:

28. *Contendere cursu.* Virg. Æn. V, 291: « Qui forte velint rapido *contendere cursu* »; id est, una certantes cursum tendere. *Wak.*

30. *Quod flueret naturali.* Sic Wak. e plurimis libris restituit, mira tamen interpretatione addita: « id est, naturali *fluxu* vel *fluore;* nomine, ut fit sæpissime, intra verbum comprehenso ». Aperte autem jungenda sunt *naturali casu.* Sensus et ordo verborum hic est: Epicurus docuit, quæ per universum fluerent, et vario modo volarent, seu casu naturali, seu vi quadam naturali mota; quod nimirum natura hæc omnia sic paraverit. *Forb.*

32. *Portis,* viis, aditibus. Tralatio est a re militari, id est, a portis urbium seu castrorum, ex quibus in hostem fit eruptio, quibusque hosti obviam itur.

34. *Fluctus;* vs. 74; III, 299.

35. *Nam veluti,* etc. Redi ad II, 54 sqq. III, 87 sqq.

42. *Pertexere dictis;* I, 419.

43. *Et quoniam docui,* etc. Hactenus Epicuri laudes: sequitur vs. 53 argumenti hujus libri explicatio, quippe post descriptum mundi ortum, et cœlestes motus, de meteoris aget, atque aliis naturæ admirandis, quorum causas dum homines non intelligunt, illa Diis attribuunt; inde religio, numinum metus, timor, sollicitudo, anxietas; inde periit vera pietas, et dominatur vana superstitio. *Creech.* — Vide Disq. var. — *Mundi templa;* I, 1013.

44. *Nativo.* Cf. quæ dixit V, 236 sqq.

45. *Pleraque dissolvi.* At omnia, quæ creantur, omnino dissolvi oportet: quare hæc Lucretii verba secum pugnare vi-

Quandoquidem semel insignem conscendere currum
*Ventosum exhortas plaudens, male ut omnia rursum
Quæ fuerint, sint placato convorsa favore.
Cetera, quæ fieri in terris cœloque tuentur
Mortales, pavidis quom pendent mentibu' sæpe,
Efficiunt animos humileis formidine Divom,
Depressosque premunt ad terram; propterea quod
Ignorantia causarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, et concedere regnum;
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, ac fieri divino numine rentur.
Nam, bene quei didicere Deos securum agere ævom,
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri possint, præsertim rebus in ollis,
Quæ supra caput ætheriis cernuntur in oris,

dentur. Vide quæ infra disserit Forbig. in Disq. var. ad vs. 43. Quum tamen omnia, quæ ex atomis coaluere, *non semper* et necessario in atomos funditus resolvantur, forsan hoc innuit τὸ *pleraque.* Ed. — *Quæ restant* mihi porrotenus dicenda, *percipe.*

48. * *Ventosum*, etc. Versus omnino conclamatus, quem pro lubitu editores refecere. Nos quoque conjectura eum attigimus, non sine quadam verecundia. Sensus totius loci videtur esse: « Quandoquidem vis me semel adhuc et ultimo carmine jungere equos, et victis rursum argumenti difficultatibus, impletaque spectatorum exspectatione, novum favorem acquirere ». Vel, si aliter legas: « Quandoquidem semel inceptum opus bene processit, et difficultates superatæ jamdudum in gratiam vertuntur ». Metaphoram autem sumpsit poeta e curruum certamine in ludis Circensibus; sed quibus ipse verbis usus sit, divinare quis possit? Plura vide in Disq. var. Ed. — *Male fuerint*, obstiterint, nocuerint.

49. *Placato convorsa favore.* Mutata in propitium favorem. H. e. quæ mihi obstabunt, fiant propitia et secunda, dum ea feliciter explicuerim. — Alii *furore*, id est, invidia, odio.

52. *Efficiunt animos humileis*, etc. H. e. ad terram abjiciunt mentes suas.

53. *Depressosque premunt.* Hanc gemellarum dictionum societatem, qua rem describeret efficacius, poeta noster haud aversatus est, et hujuscemodi locutiones in præcedentibus frequentavit: vide I, 814, 969; IV, 1061; V, 483. *Wak.*

54. *Conferre.* Cogit eos res omnes ad imperium Deorum referre, et Diis rerum omnium regimen tribuere.

55. *Regnum.* Ponunt editores *et* ad finem versus, consecutionis gratia, ad constructionem promovendam; sed contra veterum exemplarium fidem. *Wak.*

56 sq. *Quorum operum.* Duos versus rejiciendos esse censet Bentleius; cui assentitur Forb. Vid. Disq. var.

58. *Nam, bene quei*, etc. Hi 9 vss. seqq. positi sunt V, 83.

Digitized by Google

Rursus in antiquas referuntur religiones,
Et dominos acreis adsciscunt, omnia posse
Quos miserei credunt; ignarei, quid queat esse,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens:
Quo magis errantes cæca ratione feruntur.
  Quæ nisi respuis ex animo, longeque remittis
Diis indigna putare alienaque pacis eorum;
Delibata Deum per te tibi numina sancta
Sæpe oberunt: non, quo violari summa Deum vis
Possit, ut ex ira pœnas petere imbibat acreis;
Sed quia tute tibi, placida cum pace quietus,
Constitues magnos irarum volvere fluctus;
Nec delubra Deum placido cum pectore adibis:
Nec, de corpore quæ sancto simulacra feruntur
In menteis hominum divinæ nuntia formæ,

67. *Cæca ratione.* Vulgo *tota regione* e Lambini conjectura.

69. *Putare.* I. e. τὸ *putare;* ut nominis officio scilicet post verbum *remittis* infinitivus modus fungatur: quo nihil doctius, venustius, aut magis Lucretianum. Editores, qui per fas nefasque ruere non dubitaverint, dummodo Lucretium suis sordibus conspurcarent, ausi sunt ex arbitrio reponere *putando:* quod Gratiæ aversantur. *Wak.*

70. *Delibata;* non significat « imminuta, violata », sed proprium significatum hic quoque retinet, « hausta, decerpta ». *Orell.* — Cf. III, 24; et vide Disq. var.

71. *Oberunt.* I. e. ob os tibi erunt; et, quasi minitantia, vultus sævos a cœli regionibus ostendent. Elegantissime: compares imaginem venustate pari, ac sublimitate, necnon gemellam prorsus, ad I, 64-67. Interea, nihil liquidius, quam nos sincerissimam scripturam eruisse; quum exquisitius vocabulum librariis et editoribus pariter imposuerit in hoc loco: nam membranæ et editi veteres ad unum habent *oderunt*, præter P. qui *aderunt;* unde hodierni editores exceperint. *Wak.*

72. *Imbibat*, in animo habeat, concipiat, vehementer cupiat. Sic loquutus est III, 1010. *Lamb.*

73. *Quietus.* I. e. nihil causæ revera habens, ob quam discrucieris ac conturberis. Editores scribunt ex libitu *quietos;* item bene. *Wak.*

74. *Irarum volvere fluctus*, eos irasci putabis; sic vs. 34.

75. *Nec delubra Deum.* Ista enim erat vanissima Epicuri opinio, providentem et omnia curantem Deum terribilem fore et horrendum, ita ut nunquam Dei imago in mentem venerit, quin metus, timor, anxietas sequatur. *Creech.*

77. *Divinæ nuntia formæ.* H. e. refricantia memoriam divinæ formæ: vel referentia divinam formam. Sic lib. IV, 1030. *Lamb.*

Digitized by Google

Suscipere hæc animi tranquilla pace valebis.
 Inde videre licet, qualis jam vita sequatur;
Quam quidem ut a nobis ratio verissima longe
Rejiciat, quamquam sunt a me multa profecta,
Multa tamen restant, et sunt ornanda politis
Versibus, et ratio superum cœlique tenenda;
Sunt tempestates et fulmina clara canenda;
Quid faciant, et qua de causa quomque ferantur;
Ne trepides, cœli divisis partibus amens,
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se
Vorterit hinc partem; quo pacto per loca sæpta
Insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se.
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, ac fieri divino numine rentur.

78. *Suscipere hæc*, etc. H. e. non poteris Deorum simulacra et imagines, quæ proficiscuntur et fluunt ex eorum quasi corporibus, animo quieto concipere, seu in animum tranquillum recipere: id est, mente quieta et tranquilla complecti. Non poteris animo quieto de Diis cogitare; sed, quoties ii tibi venient in mentem, tristibus curis sollicitus eris, turbaberis, trepidabis. *Lamb.*

79. *Qualis;* quam miserabilis.

80. *Ratio verissima.* Epicuri doctrina, quæ rationi consentanea est, et veras rerum causas explicat. *Creech.*

81. *Profecta.* Sic omnes codices; vulgo autem *profata;* perperam.

83. *Superum.* Id est, rerum superarum, ut I, 128. Cicero Acad. IV, 39 et 41; Virg. Æn. VI, 788.

85. *Quomque.* Sic Wak. e Bodl. Poor. Brit. 1, 2, Cant. cunctisque editt. vett. Ceteri *quæque*, ut vulgo editur. *Forb.* — Hinc forsan videri dubium potest utrum jungendum sit *quaquomque*, an distincte legendum: *qua* de causa ferantur *quomque*, ut II, 721; prius tamen malo. Ed.

86. *Cœli divisis partibus.* Hoc pertinet ad haruspicum et Hetruscorum disciplinam, de qua sic Tullius De divin. II, « Cœlum in sexdecim partes diviserunt Hetrusci... ut ex eo dicerent, fulmen qua ex parte venisset ». *Lamb.* — Ordo est: Ne amens (i. e. animi consternatus et vacuefactus) partibus cœli divisis, trepides, unde ignis... : i. e. tremebundus cogites atque inquiras. *Wak.*

87. *Volans ignis.* Fulmen, aut saltem fulgur seu fulgetrum, quod per aerem nubesque volitat. Hi porro 3 vss. repetuntur infra vs. 383. *F.* — Vide Disq. var. — *In utram.* Dextramne scilicet, an sinistram. Sunt autem dextræ partes octo ab occasu, totidem ab ortu, quas diviserunt sic Hetrusci et haruspices. *Lamb.*

88. *Hinc*, δεικτικῶς; sed malim tamen egomet *hic*, ut infra vs. 384. *Wak.*

89. *Insinuarit.* Absolute, pro insinuarit se; hoc est, subierit, intraverit, penetraverit. *Lamb.* — Vide lib. III, 484. — *Dominatus.* I. e. maximo cum impetu perrumpens, ut victor, et *regnum* quasi *possidens:* redi ad II, 958. *Wak.*

90. *Quorum operum.* Vide Disq. var. ad vs. 87.

Digitized by Google

Tu mihi, supremæ præscripta ad candida callis
Currenti, spatium præmonstra, callida Musa,
Calliope, requies hominum, Divomque voluptas:
Te duce, ut insigni capiam cum laude coronam.
Principio, tonitru quatiuntur cærula cœli,
Propterea, quia concurrunt, sublime volantes,
Ætheriæ nubes, contra pugnantibu' ventis.
Nec fit enim sonitus cœli de parte serena;
Verum, ubiquomque magis denso sunt agmine nubes,
Tam magis hinc magno fremitus fit murmure sæpe.
Præterea, neque tam condenso corpore nubes
Esse queunt, quam sunt lapides ac tigna; neque autem

92. *Tu mihi*, etc. His 4 vss. invocat Calliopen sibi in auxilium; quippe quæ Musarum præstantissima sit, et carminis heroici inventrix. — *Candida callis*, ut *vera* et *ardua viai*, et centum similia. *W.*—Hoc est, callis suprema quæ candida præscripta est; intellige finem curriculi creta seu calce notatum. *Eichst.'* — Vulgo *calcis* e Turnebi conjectura, a Lambino primum recepta et ab Orellio quoque servata, qui dubitat an *callis* unquam de curriculo usurpatum fuerit. At vero non hoc quærendum, sed num a Lucretio sic usurpari potuerit; quod profecto nemo negabit. Ceterum de hac invocatione vide supra (Disq. var.) ad vs. 48. *Forb.*

96. *Principio tonitru*. De meteoris disputaturus a tonitru incipit, quod varie explicat. Et primum quidem vss. 12 fit iste sonus quum nubes adversis ventis impulsæ colliduntur; hæc fuit Stoicorum, Democriti, aliorum opinio, et si hodiernos philosophos audiamus est veritati proxima: siquis vero objiciat nubes raras esse, ideoque ad tantum sonitum edendum maxime inidoneas, dicendum, quod, licet lapidum aut ligni densitatem non æquant, tamen non adeo raræ sunt, quin nives et grandinem cohiberent. *Cr.*

97. *Sublime*. Adverbialiter; vide ad II, 206, et IV, 134.

98. *Contra pugnantibus*. Seneca Nat. Quæst. II, 27: « clauso vento et fremente ». Ed.

99. *Cœli de parte serena*. Non enim tonat ab ea parte cœli, quæ serena est. Sic infra vs. 247. Horatius autem Od. I, 34, 7, scribit ex vulgi opinione nonnunquam tonare Jovem de sereno cœlo. — Sed portentis, Deorum iram denuntiantibus, nullam fidem Noster adhibet. Cf. autem quæ de hac re disseruit Kœler ad Senec. Nat. Q. II, cap. 26, § 6, nostr. edit. t. V, p. 261 sqq. Ed.

100. *Denso agmine*, denso actu et ductu nubium. Sic V, 272. *Lamb.*

102. *Præterea, neque*, etc. His 6 vss. docet qua ratione explicari possit, quod nubes collisæ sonitum edere queant; nempe, quod medium corporis, seu naturæ, genus induerint inter lapides et fumum: si enim æque solidæ forent ac lapides, repente caderent e sublimi aere: sin autem æque tenues forent ac fumus, constare non possent, sed statim evanescerent, neque cohibere possent grandinem et nives. *F.*

Digitized by Google

Tam tenues, quam sunt nebulæ fumeique volantes.
Nam cadere aut bruto deberent pondere pressæ,
Ut lapides; aut, ut fumus, constare nequirent,
Nec cohibere niveis gelidas et grandinis imbreis.
  Dant etiam sonitum patuli super æquora mundi,
Carbasus ut quondam, magneis intenta theatreis,
Dat crepitum, malos inter jactata trabeisque.
Interdum perscissa furit petulantibus auris,
Et fragileis sonitus chartarum commeditatur;
Id quoque enim genus in tonitru cognoscere possis:
Aut ubi suspensam vestem chartasve volanteis
Verberibus ventei vorsant, planguntque per auras.
  Fit quoque enim interdum, non tam concurrere nubes

104. *Fumei.* De voce *fumus* in plurali usurpata conf. Ruddim. Inst. Gr. I, p. 145, n. 31. *Forb.*

105. *Bruto.* Festus: « *Brutum* antiqui *gravem* dicebant ». Horat. Od. I, 34, 9, *bruta tellus*, id est, inerti pondere gravis et immobilis. *Wak.*

107. *Grandinis imbreis*, grandinem, quæ cadit in modum imbris.

108. *Dant etiam sonitum*, etc. His 8 vss. comparationem instituit, qua explicari queat sonitus, qui creatur ex nubium collisione, ventis contra pugnantibus. Sic enim v. g. telæ seu vela theatris intenta, si ventis agitentur, sonitum edunt; aut crepitum, si scindantur (vide not. 111). Sic chartæ vel vestes appensæ, si ventis versentur, sonitum reddunt. *F.* — Una opera morem fulminis noster declarat, et nubes non esse tenui prorsus atque molli textura. *W.*

109. *Theatreis.* Solebant enim apud Romanos vela prætendi theatris aut solis aut imbris arcendi causa, ut patet ex Lucretio ipso IV, 73. *F.*

111. *Perscissa*, scilicet nubes (cf. inf. vs. 138), licet antea de nubibus in plurali loquutus sit. *Forb.* — *Auris.* Alii *Euris*, contra codd. — Omnes enim, ut rectissime observat Exc. Nobbius, dubitasse videntur an *aura*, quod plerumque de leniori tantum aeris motu dicitur, etiam de vehementiori ventorum flatu adhiberi possit. Quod tamen utique fieri posse, idem Nobbius demonstrat locis Ovid. Met. III, 209; Sil. Ital. IX, 501, et Plin. Epist. V, 6, comparatis. Quare de vulgari lectione neutiquam dubitandum videtur. *Forb.*

112. *Fragileis sonitus;* qui inter frangendum eduntur. Virg. Ecl. VIII, 82, *fragiles lauros*, id est, crepitantes in flammis. — *Commeditatur*, exercet, ut Pius recte interpretatus est, vel imitatur, sensu secundario. *W.* — Per metaphoram ab hominibus ductam ad res inanimatas. Sic Horat. Od. IV, 14, 28, de Aufido fluvio: « horrendamque cultis Diluviem meditatur agris ». *F.*

115. *Verberibus.* Sic V, 955.—*Plangunt*, verberant, percutiunt; II, 1156.

116. *Fit quoque enim*, etc. Vult poeta tonitru fieri posse non solum ex mutua nubium arietatione et collisione; sed etiam ex abrasione quadam et tactu nubium obliquo. Neque enim semper

Digitized by Google

Frontibus advorsis possint, quam de latere ire,
Divorso motu radentes corpora tractim;
Aridus unde aureis terget sonus ille, diuque
Ducitur, exierunt donec regionibus arctis.
Hoc etiam pacto, tonitru concussa videntur
Omnia sæpe gravi tremere, et divolsa repente
Maxuma dissiluisse capacis mœnia mundi;
Quom subito validi venti collecta procella
Nubibus intorsit sese, conclusaque ibidem,
Turbine vorsante magis ac magis undique nubem,
Cogit, uti fiat spisso cava corpore circum.
Post, ubi commovit vis ejus, et impetus acer,
Tum perterricrepo sonitu dat missa fragorem.
Nec mirum, quom plena animæ vesicula parva

frontibus adversis concurrunt nubes, sed aliquando ex latere sese premunt et feriunt radentes sese mutuo, stridulumque clangorem edunt. *F.* — Conjunctionem *ut*, quam vulg. editt. contra libros ante *non* inserunt, Wak. recte omisit, quamquam alibi fere semper *fit ut* vel *uti* a poeta nostro dicitur; cf. ad III, 109. *Forb.*

119. *Aridus sonus.* I. e. *fragilis* sonus, ut vs. 112, vel *fragor*, et *crepitus*, qualem edunt *aridæ* res, quum franguntur. Nonius, IV, 31, interpretatus est per *horrificum* et *acutum*, longe crassissime atque ineptissime. *Wak.* — Cf. Virg. G. I, 357. — *Terget*, ferit aures et perstringit; cf. IV, 250, 253.

120. *Exierunt*, scil. nubes. Ad rem cf. Senec. l. l. cap. 12, § 4 sqq.

121. *Hoc etiam pacto*, etc. His 11 vss. tertium affert modum, quo explicari queat tonitru. Autumat igitur Lucretius fieri posse tonitru, non solum ex collisione, sed etiam ex distractione et disruptione nubium: ubi scilicet ventus in iis inclusus undique se torquens ac versans tandem frangit eas, et erumpens fragorem edit, qui non solum aures percutit, sed et totum mundum valida vi concutit. *F.*

123. *Dissiluisse*, dissoluta esse, discessisse. Virg. Æn. III, 415. — *Mœnia mundi*, ambitus cœli; I, 74, etc.

125. *Nubibus intorsit sese*, in nubes se insinuavit, se nubibus involvit. *Lamb.*

126. *Vorsante.* Vulgo *vorsanti*, ex emendatione grammatica, ob metrum; sed cf. I, 806; V, 512. — *Magis ac magis;* III, 545.

127. *Spisso corpore*, omnibus utique particulis vi venti ad extrema confluentibus e centro, et in sphæricam superficiem condensatis. *Wak.*

128. *Commovit*, absolute pro *commoveri cœpit;* ita ut carcerem, quo contineantur venti, jam tandem invalescentes, velint perrumpere. *Wak.* — Cf. III, 69; IV, 456.

129. *Perterricrepo*, terrorem inter crepandum incutiente. — Hoc adjectivo alius etiam antiquior poeta apud Cicer. Or. 46 usus est. — *Missa*, ipsa procella. — *Fragorem*, rupturam; V, 110, 318. *W.*

130. *Animæ*, venti, aeris, spiritus;

Digitized by Google

Sæpe ita dat pariter sonitum, displosa repente.
  Est etiam ratio, quom ventei nubila perflant,
Ut sonitus faciant; etenim ramosa videmus
Nubila sæpe modis multis atque aspera ferri.
Scilicet ut crebram sylvam quom flamina Cauri
Perflant, dant sonitum frundes, rameique fragorem.
  Fit quoque, ut interdum validi vis incita venti
Perscindat nubem, perfringens impete recto.
Nam, quid possit ibi flatus, manifesta docet res
Hic, ubi lenior est, in terra, quom tamen alta
Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis.
  Sunt etiam fluctus per nubila, quei quasi murmur
Dant in frangundo graviter; quod item fit in altis

V, 237. — *Vesicula parva*. Hoc vesicæ exemplum multi adhibuere auctores. Cf. Senec. Nat. Q. II, 27, § 2, ibique adnotata. Ed.

131. *Displosa*. H. e. magno cum sonitu dirupta. Eadem porro comparatione utitur Epicurus apud Laert. lib. X his verbis: « Tonitru autem fieri potest ex spiritu in nubes cavas involuto, atque intorto, quemadmodum in vasis nostris ab igne inflatis edi spiritum videmus ». *Lamb.*

132. *Est etiam ratio*, etc. His 5 vss. quartum comminiscitur modum, quo tonitru fieri queat. Putat ergo tonitru fieri posse non solum ex vivida vi venti nubibus involuti; sed etiam ex sola vi ventorum nubes disjicientium. Quod quidem fieri vulgo cernimus in sylvis, quæ, si ventis agitentur, sonitum edunt atque ingentem fragorem. *F.*

133. *Ramosa Nubila*. Quæ non sunt æquabilia, sed aspera; et quæ arborum ramosarum instar constant partibus eminentibus et huc illuc projectis. *Lamb.*

135. *Crebram*, crebris arboribus densam. — *Cauri*. Caurus ventus est spirans ab occasu æstivo; I, 291; V, 741.

136. *Sonitum, fragorem*. Hoc revera dicitur per hendyaden, et ita proprie accipiendum est: « Frondes ramique dant sonitum fragoris »: i. e. sonitum, qui ex illis frangendis fit. *Wak.*

137. *Fit quoque*, etc. Tonitru etiam fieri potest ex vento nubes perstringente et perrumpente. Sicut enim, inquit, vis valida venti in terris altas arbores radicitus evellit, inque mari fluctus excitat quos frangit magno cum fragore atque reboatu, ita in nubibus idem contingere potest. *F.* — *Vis incita*; I, 272.

139. *Ibi*, in nubibus, in alto cœli tractu.

140. *Hic*, in his inferioribus mundi partibus. — *Lenior*, quam in nubibus.

141. *Arbusta evolvens*. Jam vero hujusce versus oratione nihil fingi potest signatius et exquisitius. *W.*

142. *Sunt etiam*, etc. Si hæc omnia displiceant, tandem concipias aerem tanquam vastum mare, in quo nubila sint fluctus; illa demum collidas, et illum quem in mari æstuoso sentis, senties fragorem. *Creech.*

143. *In frangundo*. Id est, dum colliduntur et franguntur; ut explicat vs. sq.

Digitized by Google

Fluminibus magnoque mari, quom frangitur æstu.
Fit quoque, ubi e nube in nubem vis incidit ardens
Fulminis : hæc, multo si forte humore recepit
Ignem, continuo magno clamore trucidat :
Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim
Stridit, ubi in gelidum propter demersimus imbrem.
Aridior porro si nubes accipit ignem,
Uritur ingenti sonitu, succensa repente :
Lauricomos ut si per monteis flamma vagetur,
Turbine ventorum comburens impete magno.
Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica laurus
Terribili sonitu, flamma crepitante, crematur.
Denique, sæpe geli multus fragor, atque ruina

145. *Fit quoque, ubi*, etc. Quidam philosophi docuerunt a stellis in madidam nubem decidentibus, et cum humore colluctantibus, stridens tonitru oriri : loco stellarum Lucretius vs. 5 assumit ignem fulmineum, qui e nube arida excussus in nubem humidam tanquam ferrum candens demergatur. *Creech.* — *Vis ardens fulminis*. Ea vis scilicet, unde fulmen efficitur, mox displodendum. *W.*

146. *Hæc*. Nempe nubes uvida et madida. Cf. Senec. l. l. cap. 27, § 1.

147. *Clamore*, stridore, sonitu. — *Trucidat*. I. e. perimit, perdit, exstinguit; cui rarissimo vocis usui non novi similius exemplum hoc Tertullianeo, De pudic. cap. 4 : « Sicut nec locis refert, in cubiculis, an in turribus, *pudicitia trucidetur....* » W.

148. *Olim*, aliquando.

149. *Stridit*, tertiæ conjug. Sic Hor. Sat. II, 8, 77 : « Stridere secreta divisos aure susurros ». — *Propter*. Vulgo *propere*. — Si ferrum candens nullo ad refrigerium tempore concesso, in aquam gelidam juxta demersimus ; sive in aquam, quæ ad manum est, etc. Perinde est enim utrum adverbium *propter* cum ipso verbo *demersimus*, an cum nominibus *in gelidum imbrem* conjunxeris. *Nobbius*. — *Imbrem ;* de quolibet humore; Virg. Æn. I, 123. *Wak.*

150. *Aridior porro*, etc. Ne aliquam prætermittat causam tonitrus, jam vss. 6 nubem ipsam accendit, et quoniam laurus, aliæque res accensæ crepitant, idem etiam nubes posse contendit. *Creech.*

152. *Lauricomos monteis*, colles lauris insitos, vestitos et coopertos. *Lamb.*

154. *Nec res ulla magis*, etc. Sic Plin. XV, cap. ult. : « Laurus manifesto abdicat ignés crepitu, et quadam detestatione, interaneorum etiam vitia ligno torquente ». *Lamb.*

155. *Terribili sonitu*. Vereor ne orationis efficacia materiem exsuperet. *W.* — Forsan Noster respiciebat adhuc ad vastum incendium *per montes lauricomos* vagatum. Ed.

156. *Denique sæpe geli*, etc. Deinde, quum tonat, multa glaciei fragmina et grando decidunt, præcipue in partibus septemtrionalibus ; ideo congelatarum nubium disruptioni fragor iste jure adscribatur. *Creech.* — *Geli;* V, 206. — *Ruina Grandinis*, I. e. *casus* grandinis;

Digitized by Google

Grandinis, in magnis sonitum dat nubibus alte:
Ventus enim quom confercit, franguntur, in arctum
Concretei, montes nimborum, et grandine mixtei.
Fulgit item, nubes ignis quom semina multa
Excussere suo concursu; ceu lapidem si
Percutiat lapis, aut ferrum: nam tum quoque lumen
Exsilit, et claras scintillas dissupat ignis.
Sed tonitrum fit uti post auribus accipiamus,
Fulgere quam cernant oculei, quia semper ad aureis
Tardius adveniunt, quam visum quæ moveant res.
Id licet hinc etiam cognoscere: cædere si quem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum,
Ante fit ut cernas ictum, quam plaga per auras

sive vehementer et copiose *ruens* grando. Rem feliciter depinxit lectissimis verbis Columella X, 329. *Wak.*

158. *Confercit*, condensat, cogit nubes.

159. *Montes nimborum*, nimbi, seu nubes instar montium grandes; conf. IV, 141.

160. *Fulgit item*, etc. Hactenus de tonitru: nunc vero his 59 vss. seqq. docet Poeta de fulgure seu fulgetro, aut coruscatione. Docet autem Lucretius hisce 4 vss. prioribus fulgur seu coruscationem nihil aliud esse, quam inflammationem ex attritione nubium. Censet enim, sicut in lapide, ferro, aut ligno semina ignis continentur, quæ attritu possunt excuti et in scintillas elici, ita in nubibus semina quoque ignis esse, quæ nubium ipsarum attritu facto per validam vim venti queant excuti in coruscationem. *F.* — *Fulgit;* V, 1094. — Varias causas fulguris recensuit Epicurus apud Diog. Laert. X, 101. *Wak.*

163. *Exsilit.* Omnia vides lectissimis coloribus depicta ad vivum, et artificis calamo solertissimi. *Wak.*

164. *Sed tonitrum.* Si vero tonitru et fulgur ex eadem nubium collisione, cur cernitur fulgur antequam auditur tonitru? Nempe vss. 9 quia lux sono est velocior, immo omni experientia probatur speciem rei visibilis sono velocius transferri. *Creech.*

165. *Fulgere.* I. e. τὸ *fulgere*, vel *fulgur*. Nonnulli, prorsus hospites leporibus Lucretii, indoctissime *Fulgura* voluere. *Wak.*

166. *Tardius adveniunt.* Tardius ea, quæ moveant auditum, perveniunt ad aures, quam ad oculos ea, quæ visum moveant. Seneca Nat. Q. II, 12: « quia oculorum velocior est sensus, et multum aures antecedit »; ubi vide adnotata. Ed.

168. *Ancipiti*, ex utraque parte acuto; bipennem innuit. *F.* — *Arboris auctum.* Hoc, more poetico valde familiari nostro, ponitur pro *ipsam arborem;* confer sis II, 482; V, 1170. *Wak.*

169. *Per auras.* Sic longe venustius et γραφικωτέρως, cum dulcissima sermonis varietate, Brix. Ver. Ven. quos sequor. Vulgo *aureis.* Cf. Virg. Æn. XI, 799. *Wak.*

Digitized by Google

Det sonitum; sic fulgorem quoque cernimus ante,
Quam tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni
Et simili causa, concursu natus eodem.
  Hoc etiam pacto, volucri loca lumine tinguunt
Nubes, et tremulo tempestas impete fulgit:
Ventus ubi invasit nubem, et vorsatus ibidem
Fecit, ut ante, cavam, docui, spissescere nubem;
Mobilitate sua fervescit, ut omnia motu
Percalefacta vides ardescere; plumbea vero
Glans etiam longo cursu volvunda liquescit:
Ergo fervidus hic, nubem quom perscidit atram,
Dissupat ardoris, quasi per vim expressa, repente
Semina, quæ faciunt nictantia fulgura flammæ:
Inde sonus sequitur; qui tardius allicit aureis,

170. *Fulgorem*. Isid. Origg. XIII, 8: «Lux autem, quæ apparet ante tonitrum, alibi *fulgor* vocatur». Adi Cicer. De divin. II, 19, et plura offendes, Lucretio lucem dantia. *W.*

171. *Pariter igni*. H. e. qui tonitrus mittitur in eodem tempore, atque ignis seu fulgur. Stat. Theb. V, 121: «paritérque epulata marito»; Claud. Rapt. Pros. I, 165: «pariterque *favillis* durescit». Cf. Liv. XXXVIII, 16.

172. *Concursu;* ùtpote ex eodem nubium concursu simul natus. *Wak.*

173. *Hoc etiam pacto*, etc. Quod si tonitru fiat vento nubes perrumpente, fulgur quoque fit ab eodem vento pernici motu, dum inter nubes rotatur, accenso. *Creech.* — Quod quidem ad Heracliti sententiam attinet, qui, teste Sen. N. Q. II, 56, statuit «fulgurationem esse veluti apud nos incipientium ignium conatus, et primam flammam incertam, modo intereuntem, modo resurgentem». Pertinet et hoc ad Metrodori opinionem, qui, teste Plutarcho Plac. III, 3, existimavit excitari fulgur, dum nubes a vento impetitur atque discutitur. Quod nec Stoicis displicuit, uti colligere est ex Laertio. *F.*

174. *Tremulo impete*. Consulas, quæ notavimus supra, ad IV, 405; V, 299. Addam denique Virgil. Ecl. VIII, 105. *Wak.*

176. *Fecit, ut ante*, etc. Ordo est, fecit spissescere (condensari, cogi) nubem cavam, ut ante docui. Conf. supra vs. 124 sqq.

177. *Mobilitate;* motu inflammatur ventus, sicut omnia motu inflammari videmus.

179. *Etiam*, non ardescit tantum. *Volvunda*, volubilis. Sic V, 1275: «Volvunda ætas». — *Liquescit*. Cf. Senec. l. l. cap. 57 pr. et quæ ibi notantur.

180. *Fervidus hic*. Suppl. ventus, vs. 175.

181. *Ardoris ... Semina*. Ignis corpuscula, scintillas; I, 901.

182. *Quæ faciunt;* quæ efficiunt ipsum fulgur. — *Nictantia*, vibrantia, micantia. «Nictare, inquit Festus, est oculorum et aliorum membrorum nisu sæpe aliquid conari». *Lamb.*

183. *Allicit*. H. e. lacessit et provocat ad audiendum.

Digitized by Google

Quam quæ perveniunt oculorum ad limina nostra.
Scilicet hoc densis fit nubibus, et simul alte
Exstructis aliis alias super impete miro.
Nec tibi sit fraudi, quod nos inferne videmus
Quam sint lata magis, quam sursum exstructa quid exstent.
Contemplator enim, quom, montibus assimilata,
Nubila portabunt ventei transvorsa per auras;
Aut ubi per magnos monteis cumulata videbis
Insuper esse aliis alia, atque urguere superna
In statione locata, sepultis undique ventis:
Tum poteris magnas moleis cognoscere eorum,
Speluncasque velut, saxis pendentibu' structas,
Cernere; quas ventei quom tempestate coorta

184. *Limina.* Sic optime Vind. L. et Juntina; ceteri, *lumina*, per solitam aberrationem scribarum. Sane elegantissima est translatio *limen oculorum*, cui verbum *allicit* congruit cum amicissima societate: conferas autem III, 360-371. Et phrasis *oculorum limina nostra* apprime Lucretiana est, pro *nostrorum oculorum limina*: vide nos ad III, 372. *Wak.*

185. *Hoc.* Nempe fulgur et fulmen. —*Densis*; cf. vs. 246.

186. *Impete miro.* Ita ut aviditate mirabili magnum spatium adimpleant, et vasto cum molimine. Cf. V, 201, 202. *Wak.*

187. *Nec tibi sit fraudi*, etc. His autem 27 vss. seqq. quia poterat quis ambigere de illo fulgure totum hemisphærium illustranti, quum tamen nubes, ex quarum attritu excutitur, non adeo magna mole constare appareant, tollit has ambages Poeta; monetque nos non nisi inferiorem nubium partem conspicere, quæ quidem non adeo late patet; verum superne ac sursum nubes simul alte exstructæ sunt, et exaggeratæ, ut montes ingentes. Quod quidem interdum videre licet, ubi transversas nubes alias aliis superiores ventus portat; aut ubi cumulatæ aliis insuper aliæ quasi per montes apparent. Unde nil mirum si ex iis nubium molibus tantus fulgor excuti possit, ut totum hemisphærium lumine suo tremulo compleat et illustret. Sunt enim in nubibus plurima ignis semina. *F.* — Ordo est: Nec te decipiat, quod ex his locis infernis magis cernimus quam late pateant nubes, quam quanta sint mole, seu altitudine; h. e. quam in altum et sursum exaggeratæ sint. *Lamb.*

189. *Contemplator*; II, 113.—*Montibus assimilata*, in montium speciem exstructa; cf. vs. 159.

191. *Per monteis*; quum, velut exstructi montes, incumbunt coacervatæ nubes, et alias, id est, inferiores premunt esse, quæ in *superna statione*, superiore loco positæ sunt. *Alia aliis insuper* item dixit infra vs. 521. Ed.

193. *Sepultis*; somno scilicet; sopitis, sedatis. Virg. Æn. II, 265.

195. *Pendentibus.* In speluncis enim saxa videntur pendere. Cf. Virg. Æn. I, 166; Ovid. Epist. XV, 141, et vetus poeta apud Cic. Tusc. I, 16.

Digitized by Google

Complerunt, magno indignantur murmure clusei
Nubibus, in caveisque ferarum more minantur:
Nunc hinc, nunc illinc, fremitus per nubila mittunt;
Quærentesque viam circumvorsantur, et ignis
Semina convolvunt e nubibus, atque ita cogunt
Multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus,
Donec divolsa fulserunt nube coruscei.
Hac etiam fit uti de causa mobilis ille
Devolet in terram liquidi color aureus ignis;
Semina quod nubeis ipsas permulta necesse est
Ignis habere: etenim, quom sunt humore sine ullo,
Flammeus est plerumque colos et splendidus olleis.
Quippe etenim solis de lumine multa necesse est
Concipere, ut merito rubeant, igneisque profundant.
Hasce igitur quom ventus agens contrusit in unum
Compressitque locum cogens; expressa profundunt
Semina, quæ faciunt flammæ fulgere colores.
Fulgit item, quom rarescunt quoque nubila cœli.

197. *Magno indignantur murmure clusei.* Hæc etiam omnia diligenter suis intexuit ille vates, de ventis itidem loquens, ad Æn. I, 55, ex quo saltem secula didicisse poterant, quibus honoribus Lucretius erat prosequendus, quo studio diebus ac noctibus evolvendus. *W.*

198. *Ferarum in caveis.* Id est, more ferarum quæ in caveis includuntur. Sic potius jungendum arbitrer quam: minantur in his cavernis suis venti, ut feræ inclusæ. Parum tamen interest. Ed.

201. *Convolvunt,* corradunt, collidunt. — *Cogunt,* in unum congregant et flammam volvunt in cavernis, velut in fornacibus.

203. *Fulserunt coruscei;* fulgur fecerunt, jaculantes et emicantes. *Wak.*

204. *Hac etiam fit uti,* etc. His 10 vss. jam aliam fulguris causam reddit; nempe quod in nubibus multa ignis semina contineantur, quæ ventis cogentibus expressa fulgorem edunt. Quod autem in nubibus sint multa semina ignis, ex hoc vel maxime arguit, quod interdum nubes sine humore appareant, flammeum colorem referentes, et ignibus solis accensæ. *F.*

205. *Liquidi,* puri, clari, lucidi. Metaphora ducta ab aqua ad ignem. Sic Virgil. Ecl. VI, 33: «Et liquidi simul ignis, etc.» Eleganter autem, quidquid abnuat Macrobius Sat. VI, 5. *F.*

210. *Igneisque profundant.* Profundant ignes, quippe *liquidos,* ut vs. 205.

211. *Agens,* impellens, incitans. — *In unum.* Junge: in unum locum contrusit compressitque cogens, etc.

213. *Quæ faciunt,* etc. H. e. quæ faciunt, ut flamma exsistat, et fulgor oriatur. *Lamb.*

214. *Fulgit item,* etc. His 5 vss.

Digitized by Google

Nam, quom ventus eas leviter diducit eunteis,
Dissolvitque, cadant ingratiis illa necesse est
Semina, quæ faciunt fulgorem : tum sine tetro
Terrore et sonitis fulgit, nulloque tumultu.
  Quod superest, quali natura prædita constent
Fulmina, declarant ictus et inusta vapore
Signa notæque, graveis halantes sulfuris auras.
Ignis enim sunt hæc, non venti signa, neque imbris.
  Præterea, sæpe accendunt quoque tecta domorum,
Et celeri flamma dominantur in ædibus ipsis.
Hunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem
Constituit natura minutis motibus atque

aliam denique fulguris causam affert; nimirum quum rarefiunt nubes, et ventis agitatæ huc illuc deducuntur, tunc semina ignis, quæ in iis continentur, decidere censet, et fulgorem reddere; sed sine tonitru. *F.*

215. *Diducit*, distrahit, divellit.

216. *Ingratiis* vel *ingratis*; vide ad III, 1082; V, 45. — *Necesse est.* Nam diductis nubibus necesse est inclusas ignis scintillas erumpere. *Creech.*

217. *Sine tetro terrore*, sine nigra et terrifica nimborum specie; sine tonitru; uti fit e contrario, nubibus dense glomeratis; vs. 176, 180, 185; quod confirmat versus 248.

219. *Quod superest, quali*, etc. Hactenus de fulgure. Nunc de fulmine, nempe ab hoc vs. 219 ad vs. 423. His autem 20 vss. prioribus disputat et agit de natura fulminis. Docet autem fulmina ignea et subtili constare natura. *F.*

220. *Ictus* fulminum, et *signa*, vestigia quæ relinquunt flammis perusta, et *notæ* tetrum sulfuris odorem emittentes.

221. *Sulfuris auras*, ἀϋτμὴν θειοῦ, halitum, afflatum, *odorem*, sulfuris; sic dictum, quasi *spiraret*, quia *aura* sit vehiculum *odorum*: unde, ob eamdem prorsus causam, *aura* de *luce* pariter adhiberi solet : perlegas annotata nobis ad II, 851. Apuleius Apol. p. 66 ed. Pricæi : « Facilius ad eum Alexandriam *vini aura*, quam *fumi*, perveniret ». Silius etiam Italicus, XII, 134, apposite : « *sulfure*, et igni, Semper *anhelantes*... campos ». I. e. auram sulfuris halantes, vel spirantes. Priscianus in Perieg. 879 pereleganter : « Cinnama præterea, jocundæ naribus *auræ* ». Minucius Felix cap. 38 : « *Auram* boni *floris* naribus ducere ». Hinc discas insuper Virgilii exquisitas elegantias degustare, ad Æn. I, 591 : « *lumen*que juventæ Purpureum, et lætos oculis *adflarat honores* ». I. e. *auram* pulchritudinis nitidissimam spiraverat in vultum. *W.*

222. *Ignis enim.* Sic Senec. Nat. Q. II, 21, § 2, de fulmine et fulguratione disserens : « quid, quod omnibus fulguratis odor sulfureus est? Ergo utramque rem ignem esse constat ». Ed.

223. *Accendunt*, sc. *fulmina*, vs. 220.

224. *Dominantur*; vide ad vs. 89.

225. *Subtilem cum primis ignibus*; inter omnes ignes subtilem, omnium subtilissimum.

226. *Minutis motibus.* Fulmen intra

Digitized by Google

Corporibus, quoi nil omnino obsistere possit:
Transit enim validum fulmen per sæpta domorum,
Clamor uti ac voces; transit per saxa, per æra;
Et liquidum puncto facit æs in tempore et aurum.
Curat item, vasis integris vina repente
Diffugiant: quia nimirum facile omnia circum
Collaxat rareque facit lateramina vasi
Adveniens calor ejus; ut, insinuatus in ipsum,
Mobiliter solvens differt primordia vini:
Quod solis vapor ætatem non posse videtur
Efficere, usque adeo cellens fervore corusco;
Tanto mobilior vis et dominantior hæc est!
Nunc, ea quo pacto gignantur, et impete tanto

parvissimum spatium suos motus peragit, sine vagationibus obliquitatibusque; adeo ut per tenuissima foramina transire possit. *Wak.*

228. *Transit enim*, etc. Cf. I, 490.

229. *Clamor uti ac voces*, etc. Versus languidus, quem spurium censet Creech. assentiente Bentleio.

230. *Liquidum facit.* Vide Plin. Nat. Hist. II, 52. — *Puncto in tempore;* II, 263; IV, 165, etc.

231. *Vasis*, a recto *vasum*, vel *vasus;* ut III, 435; Cæs. Bell. Civ. III, 37: « ne conclamatis quidem *vasis* ». *W.*

232. *Diffugiant*, diffluant, dilabantur.

233. *Rareque facit;* et rarefacit; meatus in eis aperit.—*Lateramina* pro *latera* capio; non, ut nonnullis placuit, pro *lateres*. W.—*Vasi;* vs. 231.

234. *Ut, insinuatus*, etc. Vulgo *ut insinuatur*, exponuntque: ubi ingreditur in illud vas. Et copulam *et* in fine versus contra omnes libros addunt. Versum, ut nos edimus, correxit Wakef. sequente Forbigero; sed neuter interpretationem attulit. Equidem locum sic capiam: calor fulminis *adveniens*, quum extrinsecus percutit, vasis latera relaxat, *ut*, sicut, eodem modo quo (q. d. simul ac) *insinuatus*, intus *in ipsum* vini corpus penetrans, illius semina celeriter dispergit et per foramina dissipat. Plin. Nat. Hist. II, 52. Ceterum aliquid mirum magis de vino per fulmen gelato affert Senec. Nat. Quæst. II, 31 et 53. Ed.

236. *Ætatem*, per longissimum tempus, per omne ævum. Locutionem integram adhibet Noster III, 812.

237. *Cellens.* Id est, velociter agitans, fortiter impellens, feriens, commovens telis suis. *Wak.* — Hæc unice ad solem referenda arbitror, hoc sensu: Quamvis radios usque adeo ferventes et vibrantes ejaculetur. Creech. autem exponit: « vis fulminis fervore corusco pollens tanto penetrantior, et potentior est quam solis calor »; male junctis vocibus, ut mihi quidem videtur. Ed.

238. *Mobilior;* sic *penetralior*, II, 382. — *Dominantior;* III, 398.

239. *Nunc, ea quo pacto*, etc. Explicata natura fulminis, nunc dicturus est modum, quo fulmen generetur, nempe ab hoc vs. 239 ad vs. 323. His igitur 7 vss. prioribus monet se docturum, unde

Digitized by Google

Fiant, ut possint ictu discludere turreis,
Disturbare domos, avellere tigna trabeisque,
Et monimenta virum demoliri atque ciere,
Exanimare homines, pecudes prosternere passim;
Cetera de genere hoc qua vi facere omnia possint,
Expediam, neque te in promissis plura morabor.
Fulmina gignier e crassis alteque, putandum est,
Nubibus exstructis : nam cœlo nulla sereno,
Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.
Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res;
Quod tunc per totum concrescunt aera nubes
Undique, uti tenebras omneis Acherunta reamur
Liquisse, et magnas cœli complesse cavernas :
Usque adeo, tetra nimborum nocte coorta,
Impendent atræ Formidinis ora superne,
Quom commoliri tempestas fulmina cœptat.
Præterea, persæpe niger quoque per mare nimbus,

fit, ut fulmen tam miros audita effectus faciat. *F.*

241. *Tigna trabeisque*; sic II, 192, 196, etc.

242. *Monimenta* non *sepulcra* tantummodo, sed magna quælibet opera antiquorum : i. e. μνήματα· quæcumque artificum *memoriam* perpetuant; et *monent* posteros, ut sint auctorum *memores.* Wak. — *Ciere*, e loco movere, eruere.

245. *Neque te*, etc. Sic V, 92. — *Plura*; amplius.

246. *Fulmina gignier e crassis*, etc. His 23 vss. assumit Lucretius fulmina generari in nubibus crassis, densis et compactis. Cujus rei rationem reddit, quod fulmina non fiant sereno cœlo, aut rarescentibus tantum nubilis obumbrato; sed dum nubibus tenebrosis obtegitur. Sic enim piceus nimbus prægnansque fulminibus nonnunquam mari minitatur, terrasque terrefacit omnes. Neque enim solis lumen tunc nobis denegaretur, nisi alte exstructæ nubes interponerentur. *F.* — *Alte exstructis*; vs. 185, 268. — Magnifico sermone sic Sulpicius Severus Sacr. Hist. I, 30 : « Sed, ubi Deus monti institit, validis tubarum clangoribus aer quatiebatur; *crassæ*que *nubes* crebris *cum fulminibus* advolvebantur ». *Wak.*

247. *Cœlo nulla sereno.* Seneca loco nobis laudato ad vs. 99 : « serenum sine fulmine est ».

251. *Undique, uti*, etc. Redeas ad IV, 171, ubi versus coram positi, vere nobiles et sublimes, jam venerunt. *W.*

254. *Atræ Formidinis ora.* Grandis est prosopopœia, et similiter figurata haud minus sublimi *Religionis*, in I, 63-67, quo te recipias. *Wak.*

255. *Tempestas*; quum nimbus procellosus incipit præparare fulmina.

Digitized by Google

Ut picis e cœlo demissum flumen, in undas
Sic cadit, et fertur tenebris procul, et trahit atram
Fulminibus gravidam tempestatem atque procellis;
Ignibus ac ventis cum primis ipse repletus:
In terra quoque ut horrescant, ac tecta requirant.
Sic igitur supera nostrum caput esse putandum est
Tempestatem altam: neque enim caligine tanta
Obruerent terras, nisi inædificata superne
Multa forent multis exemto nubila sole:
Nec tanto possent venientes opprimere imbri,
Flumina abundare ut facerent, camposque natare,
Si non exstructis foret alte nubibus æther.
Hic igitur ventis atque ignibus omnia plena

257. *In undas.* Hoc posuit, quod in mari latior oculis prospectus patet, ita ut per majus spatium casus pluviæ observari queat: hinc enim dilucidior evadit argumenti vis et scopus. *Wak.*

258. *Et fertur tenebris procul.* Id est, nimbus piceus in omnem partem fertur et dispergitur *cum* tenebris. Sic Wakef. exponit locum in quo hæserant interpretes. Durior tamen, ut verum fatear, mihi videtur ellipsis *fertur tenebris* pro *cum tenebris*. Forsan poetico more et per hypallagen dixit nimbum *a tenebris* (cf. vs. 251 sq.) ferri procul, ut sensus rectus sit: nimbus tenebras procul dispergit. Ceterum nihil in recepta lectione sollicitandum, quam omnes codd. tuentur. Ed.

259. *Fulminibus gravidam atque procellis.* Hæc delibavit et sublegit, memor, pro more, hujusce loci Virg. ad Georg. I, 323. *Wak.*

260. *Ipse.* Nimbus scilicet; pariter ignibus ac ventis gravidus, atque tempestas fulminibus et procellis. *Wak.*

261. *Ut;* refer ad *sic* vs. 258. — *In terra horrescant;* homines scilicet; vel omnia terrestria, tam feræ quam homines. Virg. G. I, 330. *Wak.* — *Tecta requirant*, domos repetant ubi latitent. Immo etiam specus et caveas ingrediantur; quod de Tiberio traditum est. *Lamb.*

262. *Putandum est.* Credendum est igitur nubes esse densas, alteque exstructas supra nostrum caput. *Cr.*

264. *Inædificata.* I. e. exstructa, alia super aliis nubilis cumulata. *Wak.*

265. *Exemto nubila sole;* quæ ab ulteriori progressu radios solis prohibent. *Creech.*

266. *Venientes.* Verissime, casu recto; id est, nubes (I, 191); et τὸ *opprimere* absolute, ut vs. 286. *Bentl.*

267. *Abundare,* ripas superare; Virg. G. I, 115; Æn. XI, 547. — *Natare;* V, 489.

269. *Hic,* in hoc æthere. Sic Wak. ex omnibus fere libris. Vulgo *his*. — Postquam demonstravit fulmen creari in crassis et alte cumulatis nubibus, his jam 26 vss. aliis docet et ex ignibus, et ex ventis, quos simul nubes habent, fulmen maturum erumpere, quod acris sonitus, terræ tremor, horror mortalium, gravisque imber sequuntur. Itaque cen-

Digitized by Google

Sunt : ideo passim fremitus et fulgura fiunt.
Quippe etenim supra docui, permulta vaporis
Semina habere cavas nubeis; et multa necesse est
Concipere ex solis radiis ardoreque eorum.
Hic, ubi ventus, eas idem qui cogit in unum
Forte locum quemvis, expressit multa vaporis
Semina, seque simul cum eo commiscuit igni;
Insinuatus ibi vortex vorsatur in alto,
Et calidis acuit fulmen fornacibus intus.
Nam duplici ratione accenditur : ipse sua cum
Mobilitate calescit, et e contagibus ignis.
Inde, ubi percaluit vis venti, vel gravis ignis
Impetus incessit; maturum tum quasi fulmen
Perscindit subito nubem, ferturque, coruscis
Omnia luminibus lustrans loca, percitus ardor :

set Lucretius primum in nubibus esse multa ignis corpuscula, ut supra docuit vs. 206 : deinde ventum, seu vorticem in nubibus inclusum cogere nubes quasi in altos montes, et illa ignis e nubibus exprimere corpuscula, quorum contactu accendatur, nisi forte sua mobilitate ipse calefiat. Tertio, ubi ventus ille percaluit, maturum fulmen erumpere, quod nubem perscindat, omniaque circum lumine perlustret. Quarto sonitum seu tonitru sequi; inde tremorem terræ, horrorem mortalium; atque tandem uberem pluviam. *F.*

270. *Passim,* ubique, nempe per totam cœli regionem; per omnes ætheris partes. — *Fremitus,* tonitrua.

271. *Supra docui.* Nempe vs. 206.— *Vaporis*, caloris, ignis, ut sæpe.

274. *Hic;* vs. 269. — Ubi igitur idem ventus, qui eas in unum quemvis locum forte cogit, expressit, etc. *Lamb.*

276. *Cum eo.* De metro cf. lib. III, vs. 1095.

277. *Insinuatus ibi vortex*, etc. H. e. tum globus ventorum intromissus circumagitur in aere et nubibus; fulmenque velut in fornacibus ardentibus parat, acuit, excudit. *Lamb.* — *Vortex vorsatur;* cognatas voces amat Noster; vs. 53.

278. *Acuit fulmen.* Impendio eleganter, quasi *procudit* et inspicat *telum* fulminis. Conferas velim Virg. Georg. I, 332. *Wak.*

279. *Ipse* vortex.—*Cum;* vulgo *nam,* ex editorum arbitrio. Id est, motu suo, vel dum movetur, fervescit. Præpositio tamen melius omittitur, ut vs. 177; sed cf. ad I, vs. 288.

280. *Contagibus,* contactu; III, 472, 734, 740, etc.

281. *Percaluit,* sua mobilitate. — *Vel gravis;* aut ubi eam vehemens ignis impetus contactu accendit. — Optimum duxi, vulgatam lectionem (a Wak. mutatam), quæ probum sensum habet, et plurium librorum auctoritate nititur, cum Eichst. retinere. *Forb.*

284. *Percitus;* II, 1055.

Digitized by Google

Quem gravis insequitur sonitus, displosa repente
Opprimere ut cœli videantur templa superne.
Inde tremor terras graviter pertentat, et altum
Murmura percurrunt cœlum; nam tota fere tum
Tempestas concussa tremit, fremitusque moventur:
Quo de concussu sequitur gravis imber et uber,
Omnis uti videatur in imbrem vortier æther,
Atque ita præcipitans ad diluviem revocare:
Tantus discidio nubis ventique procella
Mittitur ardenti sonitus quom provolat ictu.
  Est etiam, quom vis extrinsecus incita venti
Incidit in validam maturo a culmine nubem:
Quam quom perscidit, extemplo cadit igneus ille
Vortex, quem patrio vocitamus nomine fulmen.
Hoc fit idem in parteis alias, quoquomque tulit vis.

286. *Videantur.* I. e. ut cœlum displosum, videatur jamjam casurum, et sua ruina mortales terrasque omnes oppressurum. *Lamb.* — *Opprimere* etiam hic absolute, ut vs. 266; v. not. 310.

287. *Tremor pertentat.* I. e. percellit concutitque; quasi *per* omnia plene vellet firmitatem ejus *tentare*, et penitus experiri quid demum ferre valeat. Virgil. Georg. III, 250. *Wak.*

289. *Tempestas,* nubes plena tempestatis. — *Moventur,* oriuntur.

290. *Concussu.* Qua de concussione oritur gravis et copiosa pluvia. Senec. II. cap. 27 : « Hujusmodi tonitrua venturi prænuntia imbris sunt ».

292. *Præcipitans.* I. e. impetu maximo, quasi *capite prono* decidens. Maro Æn. X, 804. *Wak.* — *Revocare.* Bentleius corrigit *revocari.* — Ordo est et sensus hoc modo capiendus : Æther videtur revocare *imbrem* in diluviem : i. e. de novo quasi universam vim imbrium convocare, ut secundam diluviem importent terris. *Wak.*

293. *Discidio ;* I, 221.—Tam ingens et horrendus fragor una cum fulmine emittitur e nube a vento incluso perrupta ! *Creech.*

295. *Est etiam, quom vis,* etc. Interdum etiam fit fulmen, quum ventus extrinsecus adveniens perscindit nubem prægnantem maturo fœtu, h. e. fulmine. Tunc enim scissa nube fulmineus vortex decidit, quo vis fert. *F.*

296. *Validam.* Bentl. conjicit *gravidam.* Wak. vero recte defendit codd. lectionem *validam*, id est, crassam conspissatamque, coll. vs. 176, 246, 250. *Forb.* — *A culmine.* Vult nimirum poeta, ventum ita incidere vertici vel superiori parti nubis, jam maturos ignes gestantis, ut eam permeet, atque alteram sive inferiorem partem ejus, unde fulmen evolet, perrumpat. *Wak.*

297. *Igneus Vortex*, qui tortuosum in modum, ac vorticis instar decidit. *F.*

298. *Vortex, quem.* Alii *quod.*—*Patrio*, Latino.

299. *In parteis alias.* I. e. non solum-

Digitized by Google

Fit quoque, ut interdum venti vis, missa sine igni,
Igniscat tamen in spatio longoque meatu,
Dum venit; amittens in cursu corpora quædam
Grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras:
Atque alia ex ipso corradens aere portat
Parvola, quæ faciunt ignem, commixta, volando:
Non alia longe ratione, ac plumbea sæpe
Fervida fit glans in cursu, quom, multa rigoris
Corpora dimittens, ignem concepit in auris.
Fit quoque, ut ipsius plagæ vis excitet ignem,
Frigida quom venti pepulit vis, missa sine igni;

modo a nubis *culmine*, sed a lateribus. et ab ima parte denique; si venti vis eo se forte fortuna tulerit, et irruperit in nubem. Hinc nostra vs. 296 constitutio validissime roboratur ipsius vatis auctoritate. Mentem loci non attigit interpres Creechius. *Wak.*

300. *Fit quoque, ut interdum*, etc. His 9 vss. quartum affert modum poeta, quo putat fieri fulmen. Nimirum, quia fulmen nihil aliud fere videtur, quam ventus incensus: tamen censet etiam Lucretius ventum qui frigidus est, sine igne e nubibus erumpentem, posse, dum fertur, ignescere; namque eundo amittit corpuscula quædam grandia, diuturno itineri inepta, nec per aera transire facile valentia; novaque acquirit parvula, quæ maxime idonea sint ad ignescendum. *F.* — *Missa sine igni;* primo frigida; ut vs. 310.

301. *Igniscat.* Sic viri docti Wak. et Forb.; vulgo *ignescat.* Scilicet a forma *igni* descendit *ignisco* et *ignio,* ut a forma *igne* venit *ignesco* et *igneo;* vide Prisc. IX, p. 858. — *In spatio.* I. e. dum progreditur, dum viam peragit. *W.*

303. *Grandia.* Quæ ab ignea natura prorsus sunt aliena. Constat enim ignis ex parvulis et subtilibus corpusculis, ut docuit lib. II. *Lamb.*

304. *Corradens*, colligens, conquirens, sumens, petens. Sic vs. 444.

305. *Volando;* quæ dum per aerem simul cum vento feruntur, ignem concipiunt et ventum ipsum accendunt. *Cr.*

306. *Plumbea glans;* vs. 179.

307. *Rigoris*, frigoris; multa frigida corpuscula. Sic vs. 368, et V, 639, 745.

309. *Fit quoque, ut ipsius*, etc. His 14 vss. quintum affert modum, quo credit creari posse fulmen. Nimirum, inquit, valet etiam ipse ictus seu plaga venti validi ad ignem fulmineum excitandum, etsi frigidus sit ventus. Namque tum ex vento percutiente, quum ex re percussa generari potest ignis fulmineus, pariter ac vulgo fit ignis, quum lapidem ferro cædimus; scilicet quia ex utroque exsiliunt semina ignis. Ita similiter nisi semina ignis eliciuntur ex vento, dum fertur, tamen tepefieri et calefieri potest ita, ut, si forte res percussa illius impetu opportuna sit flammis, ignem facile faciat. *F.*

310. *Pepulit.* I. e. τῷ *aliquid* subaudito; vide vs. 317. Verbum scilicet absolute ponitur pro *pulsationem fecit:* uti *perculit* in versu proxime insequente, et modo superius *opprimere*, vs. 286. *Wak.* — *Sine igni;* vs. 300.

Digitized by Google

Nimirum quia, quom vehementi perculit ictu,
Confluere ex ipso possunt elementa vaporis;
Et simul ex olla, quæ tum res excipit ictum:
Ut, lapidem ferro quom cædimus, evolat ignis;
Nec, quod frigida vis ferri est, hoc secius olla
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.
Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
Opportuna fuit si forte et idonea flammis.
Nec temere omnino plane vis frigida venti
Esse potest, ex quo tanta vi missa superne est;
Quin prius, in cursu si non accenditur igni,
At tepefacta tamen veniat, commixta calore.
  Mobilitas autem fit fulminis, et gravis ictus,
Ac celeri ferme pergunt tibi fulmina lapsu,
Nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis
Colligit, et magnum conamen sumit eundi.

311. *Perculit.* I. e. ita percussit, ut *penitus conquasset* commoveatque. *W.*

312. *Ex ipso.* Nempe vento; ut rectissime interpres: nam Pius exposuit, « propter ipsum ictum »; perperam, ut loci scopus, et maxime sequens versus liquidissime declarat. *Wak.*

313. *Ex olla, quæ res;* III, 134.

314. *Lapidem ferro;* vs. 162. — *Evolat*, emicat, exsilit. — Huc respicit Servius ad Virg. Æn. I, 743: « Scilicet ex nubium collisione: nam omnium rerum collisio ignem creat; ut in *lapidibus* cernimus; vel attritu rotarum, ut in plaustris; vel, in sylvis, arborum ».

315. *Ferri est.* Alii *sit ferri.* — *Vis*, natura; licet ferrum sit corpus frigidum, nihilominus *semina calidi fulgoris*, igniteæ atomi, scintillæ calidæ ad plagam conveniunt. Ed.

319. *Nec temere*, nec facile, ut sexcenties; v. c. apud Nostrum III, 253 et sæpius. Gassend. autem male conj. *nec tamen. Forb.* — *Omnino plane.* Verba exaggerat ad rem vividius exprimendam.

320. *Ex quo*, postquam, ex quo tempore, vel loco. — *Vi missa.* Sic plures libri; vulgo *vi immissa.*

321. *Quin*, ita ut non.

322. *Commixta calore*, aliquem habens calorem, ex ipso aere desumptum, 304 sq. Ed.

323. *Mobilitas autem fit*, etc. Hactenus de fulminis natura et generatione: nunc de ejusdem mobilitate; quæ tertia est quæstio. Itaque his 7 vss. prioribus fulmen tunc erumpere ait e nubibus, quum vis valida incussa venti, et agitatio illa intolerabilis est nubibus includentibus illum ventum. Quapropter exprimitur, inquit, velut ea, quæ a tormentis exploduntur. *F.*

324. *Tibi.* Lucretius pronomina personalia sic more Græcorum addere solet; IV, 407; V, 261.

325. *Ipsa vis incita;* quia violenta illa vis venti, fulmen paritura, se prius

Inde, ubi non potuit nubes capere impetis auctum,
Exprimitur vis; atque ideo volat impete miro,
Ut validis quæ de tormentis missa feruntur.
Adde, quod e parvis et lævibus est elementis;
Nec facile est tali naturæ obsistere quidquam:
Inter enim fugit ac penetrat per rara viarum.
Non igitur multis offensibus in remorando
Hæsitat : hanc ob rem celeri volat impete labens.
Deinde, quod omnino natura pondera deorsum
Omnia nituntur : quom plaga sit addita vero,
Mobilitas duplicatur, et impetus ille gravescit :
Ut vehementius et citius, quæquomque morantur,
Obvia discutiat plagis, itinerque sequatur.
Denique, quod longo venit impete, sumere debet

intra nubem colligit, diuque obluctata vires etiam intendit ut magno conamine erumpat. Ed.

327. *Impetis auctum*, impetus magnitudinem, seu incrementum. *Impes* pro *impetus* veteres dicebant; unde frequens ablativus *impete* apud poetas.

328. *Exprimitur vis.* Ita Lucanus I, 151, *expressum fulmen.*

329. *De tormentis missa.* Pariter de *tormentis* Vegetius IV, 29 : « Nam, *more fulminis*, quidquid percusserint, aut dissolvere, aut irrumpere, consueverunt ». *Wak.* — Seneca Nat. Q. II, 16, idem notat.

330. *Adde, quod e parvis*, etc. His 5 vss. asserit mobilitatem fulminis ex tenuitate atomorum, quibus constat. Sic II, 385, probavit fulmen constare lævibus et tenuibus elementis. Quo fit, ut nihil ei resistat. *F.*

331. *Obsistere;* vs. 227.

332. *Inter enim fugit.* Fugit inter omnes res, in quas incidit, si modo raræ sint, et non solidæ. *Lamb.* — *Per rara viarum*, per raras vias, per patentes et apertos meatus.

333. *Offensibus.* Sic II, 223, 438; III, 954, etc. Non igitur offendit in multas res, quæ ipsum remorari queant; quibus retardatum hæsitet. *Lamb.*

335. *Deinde, quod omnino*, etc. His subjunge, quod omnia corpora gravia deorsum ferantur vehementi nisu; quibus si vis impellens accedat, tum ea ferri necesse est miro, veloci, et mobili omnino impetu. Fulmen autem grave est corpus, desuper cadens impellitur vi venti. Hinc nihil mirum si obvia quæque discutiat plagis, perfringat et evertat. *F.*

339. *Itiner.* Nonius ad VIII, 2 versum citat; ibique, et ad 54, ibid. exempla dictionis profert ex Varrone, Plauto, Accio, Turpilio, Ennio, ac Varrone. *W.*

340. *Denique, quod longo*, etc. His 8 vss. repetit mobilitatem ex longo impetu, quo venit et fertur fulmen : quæ enim longius feruntur, ea mobilitatem acquirunt eundo; fulmen itaque dum longius descendit, conjicit quasi in unum locum omnes atomos, quæ in cursum, quem init, simul feruntur : vel fortasse veniens corradit ex aere ipso cunctas atomos volubiles, quas invenit. Quo fit

Digitized by Google

Mobilitatem, etiam atque etiam quæ crescit eundo,
Et validas auget vireis, et roborat ictum.
Nam facit, ut, quæ sint illius semina quomque,
E regione locum quasi in unum cuncta ferantur,
Omnia conjiciens in eum volventia cursum.
Forsitan ex ipso veniens trahat aere quædam
Corpora, quæ plagis incendunt mobilitatem.
Incolumeisque venit per res, atque integra transit
Multa, foraminibus liquidus quia transviat ignis.
Multaque perfregit, quom corpora fulminis ipsa
Corporibus rerum inciderint, qua texta tenentur.
Dissolvit porro facile æs, aurumque repente
Confervefacit; e parvis quia facta minute
Corporibus vis est et lævibus ex elementis,
Quæ facile insinuantur; et insinuata repente
Dissolvunt nodos omneis, et vincla relaxant.

ut mobilitas illius intendatur aut plagis volubilium atomorum accedentium aut contracto suarum impetu. *F.*

341. ***Mobilitatem,*** etc. Hæc sumpsit, et ita exhibuit, Virg. *Æn.* IV, 175: « *Mobilitate* viget, *viresque acquirit eundo* ».

343. *Nam facit.* Longus ille scil. impetus: nam fulminis semina, ut aliarum rerum corpuscula, vaga sunt, neque ad certum locum determinata; longo vero illo impetu diriguntur. *Cr.* — *Facit... conjiciens.* Non *impetus,* ut vult Creech. sed ipsa *mobilitas,* quæ vires augens compellit in eum motum omnia fulminis semina quæ volubilia sunt. Ed.

344. *E regione.* I. e. ex omni parte fulmini, cursum suum sequenti, objacentia; quæ si vera sint, voces sunt ad præcedentem clausulam referendæ: sin malis phrasin *e regione* per *itinere directo* interpretari, pertinet ad sequentia: qui sane sensus est verborum Ciceroni et aliis; adeoque nihil novavimus. *W.*

345. *Volventia.* I. e. volubilia quæ ad cursum et motum celerem apta sunt.

347. *Incendunt.* Sic malim in ligato sermone, præ *intendunt,* ut poeticum magis, grandius et exquisitius, licet utriusque vocabuli in hoc usu prorsus eadem sit potestas. *Wak.*

348. *Incolumeisque venit,* etc. His 9 vss. arguit et gravem ictum et celerem lapsum fulminis ex ejusdem mobilitate.

349. *Liquidus;* vs. 205.

350. *Perfregit.* I. e. usu compertum est aliquoties fregisse; per lepidissimam variationem temporum, et optimis poetis frequentatam. Quod genus ista sunt Virgiliana, Georg. III, 363. *W.* — Vulgo *perfringit;* sed plures libri alteram lectionem tuentur.

351. *Texta tenentur.* Ita compacta scilicet et condensata materie, ut nulla sint foramina, per quæ fulmen sine corporis discidio perniciali transfundi possit. *Wak.*

354. *Vis* fulminis, non æris et auri, ut incogitanter notavit Lamb. Cf. 330.

Digitized by Google

Auctumnoque magis, stellis fulgentibus apta,
Concutitur cœli domus undique, totaque tellus;
Et quom tempora se veris florentia pandunt:
Frigore enim desunt ignes, venteique calore
Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubes.
Inter utrasque igitur quom cœli tempora constant,
Tum variæ causæ concurrunt fulminis omnes.
Nam fretus ipse anni permiscet frigus et æstum;
Quorum utrumque opus est fabricanda ad fulmina nobis,
Ut discordia sit rerum, magnoque tumultu
Ignibus et ventis furibundus fluctuet aer.
Prima caloris enim pars, et postrema rigoris,
Tempus id est vernum: quare pugnare necesse est
Dissimileis inter sese, turbareque mixtas.

357. *Auctumnoque magis*, etc. His 22 vss. solvitur alia quæstio: nimirum qua potius anni tempestate fulmina fiant. Respondet autem Lucretius potissimum generari in auctumno et vere; quia utrumque hoc tempus constat inter calorem et frigus, quæ duo sunt necessaria ad fulminis generationem. Ex utriusque porro, frigoris et caloris pugna censet creari fulmina Lucretius. Deinde ad fulmina nobis procreanda necesse est ut calor seu ignis, et ventus seu tempestas adsint. At in hyeme desunt ignes: in æstate deficiunt venti. *F.* — Hoc autem de Italiæ regionibus intelligendum notat Creech. — *Aptus* eodem modo pro *fixus*, *connexus* a Nostro usurpatur etiam V, 806, 1427 et sæpius; ita ut huic loco prorsus respondeat, V, 1204: « stellis micantibus æthera fixum ». *Forb.*

359. *Tempora se veris pandunt.* Hæc eleganter illustrabuntur Virgilianis illis in Georg. I, 217; IV, 52, 77, Serviique commentariis: ad quæ lector amandandus est. *Wak.*

360. *Frigore.* Id est, hyeme, ut V, 640. — *Calore*, æstate; Virg. Georg. IV, 36.

362. *Utrasque.* Latenter respicit dictionem *tempestatem* in nomine *tempora* comprehensam: videas annotata ad I, 353. *Wak.* — Cf. etiam II, 518; vulgo *utrumque*. — *Constant* hic potest simpliciter *sunt;* neque aliter in Maronis Æn. V, 748. *Wak.*

364. *Fretus* (I, 721) *anni.* Eleganter et signate; nam per *incertos menses*, ut Virgilii verbis utar, *fluctuat* aer, *æstuat*que, tempestatibus confligentibus: redeas autem ad IV, 1027. *W.*

365. *Opus est;* I, 1050.

367. *Ignibus fluctuet.* In hac metaphora poetæ sæpissime versati sunt. Sufficiat testimonio Sidonius Apollinaris IX, 196. Cf. V, 277. *W.*

368. *Prima caloris enim.* Prima caloris pars, a quo æstas incipit, et postrema *rigoris*, i. e. frigoris, in quod hyems desinit, id ipsum tempus est vernum. *Lamb.*

370. *Dissimileis*, scil. partes, e vs. 368. — *Turbare;* II, 125.

Digitized by Google

Et calor extremus primo cum frigore mixtus
Volvitur, auctumni quod fertur nomine tempus:
Hic quoque confligunt hyemes æstatibus acres.
Propterea sunt hæc bella anni nominitanda;
Nec mirum est, in eo si tempore plurima fiunt
Fulmina, tempestasque cietur turbida cœlo,
Ancipiti quoniam bello turbatur utrimque,
Hinc flammis, illinc ventis humoreque mixto.
  Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
Perspicere, et qua vi faciat rem quamque, videre:
Non, Tyrrhena retro volventem carmina frustra,

371. *Calor extremus.* Ipsa ultima pars æstatis, quæ in auctumno miscetur cum hyemis, seu frigoris initio. *F.*

372. *Volvitur.* Hoc verbum non tangit, ut opinor, *fluctuationem* hac mixtura excitatam, de qua in vs. 364 superius actum est; sed simplicem *rotationem* temporum. *Wak.*

373. *Hic;* in hac etiam tempestate.

374. *Bella anni;* hæc verba ad utramque tempestatem referenda arbitror.

376. *Tempestas turbida cœlo.* Cf. Virg. Æn. XII, 283. *Wak.*

377. *Ancipiti bello.* Quia duæ qualitates tum sunt inter sese pares et æquales, calor et frigus. *Lamb.*—*Turbatur.* Virg. Ecl. I, 12.

379. *Hoc est igniferi,* etc. His 44 vss. exprobrat modo Tyrrhenis conjectoribus propriæ scientiæ vanitatem et errorem. Hi porro audebant partiri cœlum in varias partes, unde venire fulmen observarent: minas Deorum venditabant, aut prospera pollicebantur omnia de cœlo, pro diversa cœli parte, a qua fulmen venerit. *F.* — *Hoc.* Id est, hoc modo, quem in superioribus exposui. Sane licet, nec invenuste, in nominativo casu positum intelligere; sed illud equidem malim, ut magis Lucretianum: videas ad IV, 773; V, 805, ne plures locos excitem. *W.* — *Igniferi fulminis.* Hæ voces breviter significant, et eleganter, *tonitrum* ac *fulgur.* Wak. — Malim tamen cum Forbigero *hoc* in nominativo positum intelligere: *hoc,* quod modo dixi, *est* vere perspicere, etc. Ed.

380. *Rem quamque.* I. e. omnes effectus, valde mirabiles et difficiles explicatu, fulminis fulgurisque licet hinc intelligere. *Wak.*

381. *Tyrrhena carmina.* Nam ratio omnis aruspiciorum, et prodigiorum procurandorum, cum aliis huc spectantibus cærimoniis, ab Etruscis religiosissimis, atque hujusce disciplinæ peritissimis, ad Romanos derivata est; ut omnes norunt. *W.* — *Retro volventem.* Quod breviter dictum est, vice *undique* volventem, *ultro citroque* volventem. Gemellum schema sermonis compendiarium est infra, ad vs. 1279. *W.*—*Retro.* Aliam hujus verbi interpretationem mihi suppeditavit vir omni doctrinarum et humanitatis laude præstantissimus, J. V. *Leclerc;* scilicet ut hic intelligatur peculiaris Etruscæ linguæ scriptura, a dextra ad lævam recurrens, quali etiam ratione Arabes Hebræique scribunt. Unde Romanis hominibus difficiliora lectu fiebant hæc carmina. Hic vero sensus mihi unice placet. Ed.

Digitized by Google

Indicia occultæ Divom perquirere menti;
Unde volans ignis perveuerit, aut in utram se
Vorterit hic partem, quo pacto per loca sæpta
Insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se;
Quidve nocere queat de cœlo fulminis ictus.
  Quod si Jupiter atque aliei fulgentia Divei
Terrifico quatiunt sonitu cœlestia templa,
Et jaciunt ignem, qua quoique est quomque voluntas;
Quur, quibus incautum scelus aversabile quomque est,
Non faciunt, ictei flammas ut fulguris halent
Pectore perfixo, documen mortalibus acre?
Et potius, nulla sibi turpi conscius in re,
Volvitur in flammis innoxius, inque peditur,
Turbine cœlesti subito correptus et igni?
  Quur etiam loca sola petunt, frustraque laborant?

382. *Menti.* Sic ex optimis libris Wak. pro vulg. *mentis*, « quum vero videatur simile, delicatissimum Lucretii sensum a genitivo duplice abhorruisse, nec minus rectum sit, si minus vulgare, *indicia* quæ sunt *menti*, quam *indicia* quæ sunt *mentis* ».

383. *Unde volans*, etc. Vide supra vs. 87 sqq.

387. *Quod si Jupiter*, etc. His novem vss. exprobrat Tyrrhenis haruspicibus superstitionem. Si enim, inquit, fulmina, non ex legibus naturæ, sed ad Deorum arbitrium mittuntur de cœlo, cur ergo conficiunt innoxios, parcuntque sontibus? nonne potius parcendum esset innocentibus, et reis ictus infligendus, ut ceteris mortalibus foret acre documentum? censet itaque non a Diis mitti fulmina, sed ex naturalibus causis fieri. *F.* — Vide Servium ad Virg. Æn. I, 42; Plin. Nat. Hist. II, 53; Arnob. lib. III, p. 122. *W.*

388. *Quatiunt sonitu.* Pulchre; quum *pulsibus aeris*, sonitu excitatis, *concutiantur* res. *Wak.* — *Templa;* I, 1013.

389. *Quaquomque est voluntas;* quacumque fulmen jaculari unicuique libet.

390. *Incautum*, non cautum, non evitatum. — Cur Dii non faciunt, ut, quicumque a nefario et horrendo scelere non caverunt, seu non abstinuerunt, ii percussi fulmine, etc. *F.* — Cf. II, 1103 sq.

391. *Flammas halent.* Cf. Virg. Æn. I, 44.

393. *Et potius;* suppl. *quur.* — *Conscius in re.* Wak. comparat Propert. I, 10, 2, pariter « conscius in lacrymis » dicentem; ubi Broukh. laudat Cic. ad Att. I, 18, et Minuc. Fel. c. 1, § 3. *Forb.*

394. *Inque peditur*, impediturque, et implicatur in ignes.

395. *Turbine cœlesti*, vortice fulminis. Hendyades est pro: turbine cœlestis ignis. *Wak.*

396. *Quur etiam loca sola*, etc. His 4 vss. arguit fulmen non a Diis, sed ex causis naturalibus fieri. Alias enim, cur Dii tela sua perdi patiuntur, dum ea tor-

An tum brachia consuescunt, firmantque lacertos?
In terraque Patris quur telum perpetiuntur
Obtundi? quur ipse sinit, neque parcit in hosteis?
Denique, quur nunquam cœlo jacit undique puro
Jupiter in terras fulmen, sonitusque profundit?
An, simul ac nubes successere, ipsus in æstum
Descendit, prope ut hinc teli determinet ictus?
In mare qua porro mittit ratione? Quid undas
Arguit et liquidam molem camposque natanteis?
Præterea, si volt caveamus fulminis ictum,
Quur dubitat facere, ut possimus cernere missum?
Si nec opinanteis autem volt opprimere igni,
Quur tonat ex olla parte, ut vitare queamus?
Quur tenebras ante et fremitus et murmura concit?

quent in deserta et solitudines? *F.* — *Frustra laborant*, in expediendo fulmine scilicet, et fabricando; si sit usu nullo locis vacuis, ubi nemo percutitur, immittendum. *W.*

397. *Consuescunt*, exercent et telis mittendis consuefaciunt. Nonius, II, 199: « *desuevi* illum, pro *desuevi* ». Sic Lucan. V, 776, *assuescis* pro *assuefacis*.

398. *In terraque*. Bentl. conj. *interea*, quod Wakef. etiam in Poor. invenit. — Ingeniosa tamen est magis hæc viri sagacis divinatio, quam vera; quum frustretur prorsus oppositionem istam, quam Lucretius instituerit, inter *Jovem* ac *divos alios*, vs. 387; inter *illos*, qui parant fabricantque telum Patris, vs. 396-399, et *ipsum* Patrem, vs. 399. *In terra* utique, ubi fulmen obtundi amittique solet, obrutum *ac sepultum*, nullius scopi compos. *W.*

399. *Ipse*, Jupiter. — *Parcit in hostes*, reservat ut eis in hostes utatur.

400. *Denique*, etc. Instat nunc poeta, et multa ad rem congerit argumenta. — *Puro*. Cur nunquam tonitrua fiunt sine nubibus.

402. *Successere*, cœlum subtexerunt. — *Ipsus*. Forma inusitatior, apud comicos haud rara; cf. Priscian. XIII, 3, § 11; Diomed. I, 318. Vulgo *ipse in eas tum* e Lambini correctione. — *Æstum;* vs. 364, 367. Vide et n. 437.

403. *Determinet*. I. e. finem, vel terminum figat, quoadusque telum mittendum sit. *W.*

404. *In mare qua porro*, etc. Sic Cic. De div. II, 19: « Quid enim proficit, quum in medium mare fulmen jacit Jupiter? quid quum in altissimos montes? quod plerumque fit, etc. » Cf. Senec. Nat. Q. II, cap. 51 extr.

405. *Arguit*, sceleris quasi accusat, quum in eas fulmen jaculatur.

406. *Præterea*, etc. Aliud quoque argumentum, ut ostendat a Diis non jaci fulmina, et dilemmate utitur.

409. *Ex olla parte;* illa, qua fulminat. — *Ut vitare queamus;* tenebroso nempe cœlo, et crassioribus nubibus præmoniti. *W.* — Immo etiam ipso *tonantis* sonitu, qui plerumque ante letalem illum *fulminantis* ictum non semel geminatur. Ed.

Digitized by Google

Et simul in multas parteis quî credere possis
Mittere? An hoc ausis nunquam contendere factum,
Ut fierent ictus uno sub tempore plures?
At sæpe est numero factum, fierique necesse est,
Ut pluere in multis regionibus et cadere imbreis,
Fulmina sic uno fieri sub tempore multa.
Postremo, quur sancta Deum delubra, suasque
Discutit infesto præclaras fulmine sedeis;
Et bene facta Deum frangit simulacra, sueisque
Demit imaginibus violento volnere honorem?
Altaque quur plerumque petit loca? plurima quo plus
Montibus in summis vestigia cernimus ignis?
Quod superest, facile est ex his cognoscere rebus,
Πρηστῆρας Graiei quos ab re nominitarunt,

411. ***Et simul in multas***, etc. Sententia horum versuum hæc videtur esse : Vel dices Jovem uno et eodem tempore fulmen mittere in plures partes : vel negabis. Si dices, quomodo id persuaderi potest cuiquam? Qui enim Jupiter sufficeret ad tot fulmina torquenda in tot diversa loca? Si negabis, res ipsa vincet; nam contingit sæpe, ut fulmen cadat in diversa loca, sicut pluit in diversis regionibus. *F.* e *Lamb.*

414. ***Sæpe est numero.*** Tmesis, sæpenumero.

415. ***Ut***, refer ad *sic*, vs. sq.

417. ***Quur sancta Deum.*** Argumentum hoc jam protulit Noster ad II, 1101 sq. Nunc fusius explicat.

418. ***Discutit***, ipse Jupiter suas sedes, ut puta Capitolium.

419. ***Frangit simulacra.*** Non dubito quin cum electu verborum prudentissimo, et sine vana sermonis superfluitate, Noster sit loquutus : intellexerim igitur per *simulacra*, statuas *marmoreas*, quas recte *frangi* dicit; per *delubra* autem, *ligneas*, recte rursus *discussas* diffissasque : et per *imagines* denique, *picturas*; quarum *honores* statim deflorescerent, fulminibus afflati. *W.* — Sed quis unquam *delubra* de statuis deorum intellexit? *Delubra*, ut jam seqq. verba *suas sedes* luce clarius demonstrant, hic etiam sunt *templa* deorum; pariterque inter *imagines* et *simulacra* non puto discrimen intercedere a Wak. statutum; immo ut *sedes delubris*, sic etiam *imagines simulacris* quasi interpretamenti loco addita esse censeo. *Forb.*

421. ***Altaque***, etc. Nonne potius credere est hoc fieri naturalibus ex causis? Vide Horat. Od. II, 10, 11.

422. ***Quo***, unde, quare, in summis montibus *plus*, quam alibi, cernimus *plurima*, valde multa vestigia. Hæc omnium codd. lectio Lambino displicuit, qui correxit « plurimaque ejus »; et omnes usque ad Wakef. eum sequuti sunt. Ed.

423. ***Quod superest***, etc. Hactenus de fulmine. His autem vss. 28 de prestere, columna, vortice et turbine agit Poeta, quod est novum meteori genus. *F.* — Vide Disq. var.

424. Πρηστῆρας. De his presteribus,

In mare qua missei veniant ratione superne.
Nam fit, ut interdum, tamquam demissa columna,
In mare de cœlo descendant; quam freta circum
Fervescunt, graviter spirantibus incita flabris:
Et quæquomque in eo tum sunt deprensa tumultu,
Navigia in summum veniunt vexata periclum.
Hoc fit, ubi interdum non quit vis incita venti
Rumpere, quam cepit, nubem; sed deprimit, ut sit
In mare de cœlo tamquam demissa columna
Paullatim; quasi quid pugno brachiique superne
Conjectu trudatur, et extendatur in undas:
Quam quom discidit, hinc prorumpitur in mare venti
Vis, et fervorem mirum concinnat in undis.

et Epicuri super illis sententia, consulendus est Diogenes Laertius, X, 104, prolixior, quam qui commode nostris annotationibus adscribi queat. Videas quoque Plinium Nat. Hist. II, 50, et alibi, has philosophiæ partes uberius tractantem. *W.* — *Ab re*, a πρήθω, πρήσω, scilicet; quia cum *ardore* quodam *tumescant:* inest enim voci non minus *inflationis* notio, quam *ignis*. W.

426. *Nam fit, ut interdum*, etc. His 10 vss. explicat quid sit columna, et quomodo creetur. Nimirum, quum ventus in nubibus involutus erumpere nequit, tum deprimit nubem deorsum in modum columnæ. *F.*

427. *Descendant;* πρηστῆρες nimirum. Sic autem Wak., ut ambiguitas vitaretur, restituit e cod. Poor. Plurimi libri *descendat*, ut vulgo editur. *Forb.* — *Quam circum;* columnam scilicet.

428. *Incita*, concitata; vs. 325.

429. *In eo deprensa tumultu.* Sic, uti Horatius insuper, aliique, Virgilius etiam loquutus est, in Æn. V, 52: « Argolicove *mari deprensus* ». *W.*

430. *Vexata;* I, 276.

432. *Cepit*, invasit, occupavit. Sic nimirum Wak. explicat lectionem, a se ex Vind. et Cant. restitutam, comparans Lucan. V, 414. Vulgo *cœpit. Forb.*

434. *Brachiique conjectu;* quasi res aliqua manu et brachii impetu desuper trudatur. Ad metrum leg. est *brachi.*

436. *Quam quom discidit*, etc. His 7 vss. explicat, qua ratione fiat turbo, quod genus est procellæ vehementis. Fit autem, inquit Lucretius, ubi vis venti perfringens nubem, jam non amplius inclusa, sed convoluta et volutabunda extra nubem turbat funditus omnia, undas excitat, radicitus evellit arbores, etc. *F.* — *Prorumpitur.* I. e. *se prorumpit*, de mediæ vocis usu. Virgilius similiter, Æn. VII, 459: *proruptus sudor.* W.

437. *Fervorem in undis:* ut mox vs. 442, *fervere cogens*, et alibi, translatione maxime usitata; ob *spumas*, et *sonitum* excitatum, ut aquæ vi flammarum bullientis. Huc referas etiam gemellam locutionem, *æstuantem* pontum; et haud rarius frequentatam. *W.* — *Concinnat*, efficit; IV, 1279. Vide Nonium I, 207, 295; II, 170.

Digitized by Google

Vorsabundus enim turbo descendit, et ollam
Deducit pariter lento cum corpore nubem:
Quam simul ac gravidam detrudit ad æquora ponti,
Ille in aquam subito totum se immittit, et omne
Excitat ingenti sonitu mare, fervere cogens.
Fit quoque, ut involvat venti se nubibus ipse
Vortex, corradens ex aere semina nubis;
Et quasi demissum cœlo prestera imitetur.
Hic ubi se in terras demisit dissoluitque,
Turbinis immanem vim provomit, atque procellat.
Sed, quia fit raro omnino, monteisque necesse est
Officere in terris; apparet crebrius idem
Prospectu maris in magno cœloque patenti.
Nubila concrescunt, ubi corpora multa volando

438. *Vorsabundus.* Non inclusus, sed jamjam extra nubem eruptus, susdeque versat omnia. *F.*

440. *Detrudit.* Sic magis extra vulgariorem usum et more Lucretiano, Lugd. 1, Poor., Brit. 3, et Cant. Editi *detrusit;* contra scriptos uti suspicor. *Wak.*

443. *Fit quoque, ut,* etc. His 8 vss. docet, qua ratione vortex fiat. De quo sic Plinius II, 49: « Sin vero flatus repentini depresso sinu arctius rotati nubem effregerint, sine igne, hoc est, sine fulmine, vorticem faciunt ». Est autem ventus circumactus et circumvolutus. *F.*

444. *Corrad. semina;* vs. 304, 343.

445. *Quasi ... prestera imitetur.* Fit enim sine igne vortex; at prester ardet simul et proterit, et in mari semper generatur, ut quidam volunt: quod tamen non innuit Seneca Nat. Q. V, 13, § 3.

446. *Hic,* nullus dubito, quin sit casus rectus pronominis de *vortice* intelligendus. Wak. tamen pro adverbio habet. *Forb.*

447. *Procellat.* Sic Wak. et Eichst. præeuntibus, cum omnibus libris MSS et editt. antiquissimis scribendum duxi, ut nimirum sumamus veterrimos Romanos etiam verbo *procellare* usos fuisse, ad primam conjugationem flexo. Vulgo in nostro loco editur *procellæ.* Forb.

448. *Sed, quia fit raro,* etc. Docet Lucretius vorticem sæpius in mari, quam in terris fieri. Officiunt enim montes, ac vim illius infringunt: mare vero, quia patens et liberum, vim illius totam recipit. Quamquam frequentiores etiam vortices fiunt Florentiæ, et aliis in regionibus terrarum. *F.*

450. *Prospectu maris in magno.* H. e. in mari, in quo major est conspectus et latius cœlum quam in terra, propter aquarum æqualitatem et planitiem. *Lamb.*

451. *Nubila concrescunt,* etc. His jam 44 vss. seqq. agit poeta de nubium generatione. His 8 vss. prioribus ait se in ea opinione esse, ut nubes fieri credat, quum asperiora et minus lævigata corpuscula, hoc est, atomi, sursum latæ connectuntur, et cohærent paulla-

Digitized by Google

Hoc super in cœli spatio coiere repente
Asperiora; modis quæ possint indupedita
Exiguis tamen inter se compressa teneri.
Hæc faciunt primum parvas consisterê nubeis:
Inde ea comprendunt inter se, conque gregantur,
Et conjungundo crescunt, ventisque feruntur
Usque adeo, donec tempestas sæva coorta est:
  Fit quoque, uti montis vicina cacumina cœlo
Quam sint quoique magis, tanto magis edita fument
Assidue fulvæ nubis caligine crassa:
Propterea quia, quom consistunt nubila primum,
Ante videre oculei quam possint tenuia, ventei
Portantes cogunt ad summa cacumina montis.
Hic demum fit, uti, turba majore coorta,

tim in crassam molem, modicis ciendam ventis, vehementibus disjiciendam. Putat igitur nubes concrescere posse ex atomis ipsius aeris, quæ figuris sint asperioribus. Aer quippe constat ex atomis corpore et figura diversis. *F.* — Hanc rem tractat Epicurus apud Diog. Laert. X, 99, qui studiosis lectoribus adeundus est. *W.* — *Ubi ... volando;* quum multa corpora hamata, quæ huc et illuc in aere vagantur, in illo cœli spatio, quod supra nostrum caput est, repente coeunt. *Creech.*

453. *Modis indupedita exiguis.* Ordo et sententia est: « Quæ *impedita* et implicata *modis exiguis*, i. e. modice, nec nimis arcte, aut adstricte, possint tamen complexa cohærere ». *Lamb.*

457. *Conjungundo.* Neutre positum est, pro *se conjungundo.* W.—Vel passive: dum conjunguntur; I, 534. Ed.

459. *Fit quoque, uti*, etc. His 11 vss. confirmat nubes primum exiguas ac tenues consistere; deinde in nubes crassas et latas extendi. *F.*

460. *Quoique.* Sic viri docti Wakef. et Forb. edidere; sed vellem sensum exposuissent. An jungendum *cuique cœlo?* At nostro mundo unum est cœlum. An intelligendum de montibus omnium mundorum? at poeta singulari numero dixit *montis*, quod de quodam hujus orbis monte, in exemplum allato, capiendum videtur. Ergo melius sententia sic procedet: « fit quoque ut montium (*montis* cujuslibet) cacumina, quanto magis *cuique* monti sunt alta et cœlo vicina, tanto magis *edita*, ob altitudinem, fument, etc. » Mallem tamen legeretur *monti;* et me pariter offendit superflua vox *edita* post *vicina cœlo*, nisi forsan intelligas: in ipso fastigio, in summitate ipsius cacuminis; quod nimis exquisitum foret. De vocibus *quam... tanto* oppositis cf. I, 153; IV, 1002. Ed.

461. *Fulvæ nubis.* Homer. Iliad. XIV, 343, νέφος χρύσεον; Virg. Æneid. XII, 792. — *Caligine crassa*, vs. 692. Sic Ennius Hecuba, p. 242 Hess.

462. *Consistunt*, concrescunt.

463. *Tenuia;* utpote tenuia, et tenues halitus. *Lamb.*

465. *Turba majore;* majore, copiosiore nebularum cœtu.

Digitized by Google

Et condensa atque arcta apparere, et simul ipso
Vortice de montis videatur surgere in æthram.
Nam loca declarat sursum ventosa patere
Res ipsa et sensum, monteis quom ascendimus altos.
  Præterea, permulta mari quoque tollere toto
Corpora naturam, declarant litore vestes
Suspensæ, quom concipiunt humoris adhæsum.
Quod magis ad nubeis augendas multa videntur
Posse quoque e salso consurgere momine ponti:
Nam ratio consanguinea est humoribus omnis.
  Præterea, fluviis ex omnibus, et simul ipsa
Surgere de terra nebulas æstumque videmus;
Quæ, velut halitus, hinc ita sursum expressa feruntur,
Suffunduntque sua cœlum caligine, et altas

466. *Condensa*, scil. nubes. Alii, qui legunt vs. sq. *videantur*, supplent nubila.

467. *In æthram.* Ubi versantur scilicet fulvæ nubes et crassissimæ (vide vs. 460 cum annotatis), quæ jam possunt oculis usurpari; ex tenuibus illis, acie oculorum minus contingendis, fabricatæ ac contextæ. Locus quibusdam male est acceptus. Qui vero quatuor postremos hujusce periodi versus tollendos judicavere, non audiendi sunt. *W.*

468. *Nam loca*, etc. Sensus est: « Nam ab experientia discimus, ea loca, quæ summo sint opere ventis exposita, esse sine obstaculis in æthera patentia ». Ex quo genere scilicet sunt summa montium cacumina, de quibus sermo institutus est. *W.*

469. *Et sensum.* I. e. *id*, quod sentimus. Nempe, idem est ac si dixerit, *sensus noster*. Vulgo, *ad sensum;* contra libros veteres universos. *W.*

470. *Præterea, permulta mari*, etc. His 11 vss. refert alterum modum, quo nubes concrescere videantur: scilicet ex effluxibus seu halitibus e mari, fluviisque, atque ex ipsa terra surgentibus in aera. Ita censet Aristoteles libro I Meteor. nisi quod velit mutationem prius fieri vaporis in aera, deinde ex aere fieri nubes, postea ex nubibus pluviam. *F.*

471. *Vestes;* cf. I, 306 sq.

472. *Adhæsum*, adhæsionem; V, 840.

473. *Quod.* Id est, secundum quod; I, 222. Sic Wak. e plurimis libris; vulgo *quo*.

474. *Momine*, motu, agitatione. — Jam vero *momen* generaliter valet id, « quod in rebus *movendis* valet ». Neque discrepat cognata vox *momentum*. Lucretius alibi usurpavit. *Momen* igitur *ponti* valet *mobilis moles ponti*, vel *motari facilis;* propter *fluidam* naturam scilicet. *W.*

475. *Ratio consanguinea est humoribus.* I. e. liquores salsi, æque ac dulces, nebulas exhalant augendis atque conformandis nubibus idoneas. *W.* — *Consanguineus* a poeta pro *affinis*, *similis*, *ejusdem fere generis* usurpatum est. *Forb.*

477. *Æstumque*, vaporem calidum; cf. ad vs. 402.

Digitized by Google

Sufficiunt nubeis paullatim conveniundo:
Urguet enim quoque signiferi super ætheris æstus,
Et, quasi densendo, subtexit cærula nimbis.
Fit quoque, ut hunc veniant in cœtum extrinsecus illi
Corpora, quæ faciunt nubeis nimbosque volanteis.
Innumerabilem enim numerum, summamque profundi
Esse infinitam docui; quantaque volarent
Corpora mobilitate, ostendi, quamque repente
Immemorabile per spatium transire solerent:
Haud igitur mirum est, si parvo tempore sæpe
Tam magnos monteis tempestas atque tenebræ
Cooperiant, maria ac terras, impensa superne:

480. *Sufficiunt;* et paullatim coeundo in densum corpus nubes in aere constituunt. *Cr.*

481. *Urguet.* I. e. æther premit deorsum, ita ut latius diffundi nequeant, atque tenuiores fieri; comprimit conglobatque. — *Signiferi.* I. e. stelliferi; vide V, 690. *W.* — *Æstus.* Cum Gassendo atque aliis interpreteris calorem, habebis causam quæ dissipet nubes, at quæ nunquam condenset: igitur per *æstum* ætheris intellige corpora ista quæ e cœlo continuo venientia ictibus suis tenues nebulas in nimbos cogunt; vide vs. 514. *Creech.*

482. *Densendo* (I, 662) *subtexit:* quemadmodum arte textoria denseri solet tela liciorum ordinibus addensendis. Et elegantissimi est ingenii fetus hæc translatio. *Wak.* — *Cærula;* cœli scilicet; cf. I, 1089. Pessime Fayus: Reddit nimbos cæruleos.

483. *Fit quoque, ut hunc,* etc. His 12 vss. tertium addit modum, quo nubes concrescere queant. Putat itaque illa corpora seu atomos, quæ congregantur in nubium concretiones non solum ex ipso aere, aut ex ipsa etiam aqua et terra; sed etiam extrinsecus ex immenso spatio convenire. Quum enim docuerit II, 522 et seqq. infinitum et immensum esse spatium, in quo, ex quo, et per quod infinitæ volitent atomi; non est mirum si ex illa profundi summa suppeditent, quæ in nubium concretiones conveniant. *F.* — *Illi;* nempe *vertici,* vel *nubi,* causæ vorticis. Sic restituit Wak. Vulgo *illa.*

485. *Innumerabilem numerum;* II, 1086. — *Profundi;* II, 1051.

486. *Ostendi.* Nempe II, 141 et seqq.

488. *Immemorabile;* IV, 193.

491. *Cooperiant,* quatuor syllabis pronuntiandum, ut V, 343, et plurima similia. *Forb.* — *Impensa.* Neutrius generis adjectivum animadvertas nomina diverso genere respiciens. Quid autem sibi velit, aut unde veniat, hæc dictio *impensa,* mihi non satis liquet. Lambino placuit ad *impendor* referre, id est, effusa: mihi contra videtur nihil commune intercedere has voces; et *impensa,* nec minus *suspensa,* ad radicem *pando* nullus dubitem remittere: sed in veterum grammaticorum silentio præstiterit suspiciones nostras modestius proponere. Melius intellexissem *intensa.* W. — *Impensa,* soluta, profusa, abundanter effusa; quo fere sensu dixit ad V, 962,

Digitized by Google

Undique quandoquidem, per caulas ætheris omneis,
Et quasi per magni circum spiracula mundi,
Exitus introitusque elementeis redditus exstat.
 Nunc age, quo pacto pluvius concrescat in altis
Nubibus humor, et in terras demissus ut imber
Decidat, expediam. Primum, jam semina aquai
Multa simul vincam consurgere nubibus ipsis
Omnibus ex rebus; pariterque ita crescere utrumque,
Et nubeis et aquam, quæquomque in nubibus exstat,
Ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit,

impensa libido. Sed nolim cum Eichst. hanc vocem ab *impendeo* ducere. Ed.

492. *Caulas;* II, 951.

493. *Spiracula.* I. e. sensu secundario, foramina, poros, vel aperturas; nam translatio est a *meatibus,* per quos secula *spirant* animantum. *W.*

494. *Redditus;* I, 204.

495. *Nunc age, quo pacto,* etc. His 29 vss. seqq. agit de pluviis. Epicurus voluit pluviam generari posse duplici modo: per compressionem; per transmutationem. Per compressionem quidem, quasi ipsa aqua revera contineatur in nubibus, ex quibus compressis vi venti aut nimia ipsius aquæ copia exprimatur: veluti e spongia, quam manu comprimis, elicitur aqua. Per transmutationem vero, quasi primum natura aeris, ac deinde nubis ea sit, ut recedente calore, et frigore succedente, vertatur in naturam aquæ. Quæ sententia fuit quoque Aristotelis, et ejus sectatorum, qui volunt elementa inter se mutari, ac fieri generationis circulum. *F.* — His 8 vss. prioribus docet materiam pluviæ coacervari posse in nubibus ex cœtu infinito atomorum per inane volitantium, quæ ad pluviæ naturam aptæ sint. *F.*

496. *Demissus.* Sic optimi et antiquissimi codices, quos audiendos duxi. Wak. *dimissus,* quod explicat: « deorsum cadat undique dispersus »: per se satis probabiliter, nisi meliores libri obstarent. Quod autem Wak. dicit, *demissus* ante *decidat* prorsus supervacaneum esse, hoc nihil valet. Si enim verba sic conjungimus, « in terras decidat, ut demissus imber », nihil offendere potest, et respondet hic locus supra vs. 256 sqq., et 426 sqq. Quod etiamsi non liceret, alibi jam vidimus quantopere Lucretius amet verba ejusdem significationis copiæ causa cumulare: cf. supra ad vs. 53 hujus libri. *Forb.* — Recte quidem; sed aliud me offendit. Quid enim sibi vult ista comparatio: « pluvius humor decidit, ut imber »: num potest aliter decidere? Forsan igitur intelligendum: utpote imber, ut qui sit imber; vel potius construendum: quo pacto pluvius humor concrescat, et *ut* (quomodo; Virg. Ecl. VI, 31, 56) *imber,* id est, pluvius humor in imbrem resolutus, *decidat,* etc. Ed.

497. *Semina.* Nempe primordialia; ut *semina maris,* Virg. Ecl. VI, 32. *W.*

498. *Vincam,* firmissimis rationibus demonstrabo. Sic II, 748.

499. *Utrumque.* I. e. nubes et aquam; cujus schematis exemplum simile habuimus nuperrime, atque disertis verbis indicavimus, ad vs. 491. *Wak.* — Vulgo *utrasque* sine libris.

Digitized by Google

Sudor item atque humor quiquomque est denique membreis.
Concipiunt etiam multum quoque sæpe marinum
Humorem, veluti pendentia vellera lanæ,
Quom supera magnum mare ventei nubila portant.
Consimili ratione ex omnibus amnibus humor
Tollitur in nubeis : quo quom bene semina aquarum
Multa modis multis convenere, undique adaucta,
Confertæ nubes tum se dimittere certant
Dupliciter : nam vis venti contrudit, et ipsa
Copia nimborum, turba majore coacta,
Urguens ex supero premit, ac facit effluere imbreis.
  Præterea, quom rarescunt quoque nubila ventis,
Aut dissolvuntur solis super icta calore,
Mittunt humorem pluvium; stillante, quasi igni

502. *Sudor atque humor quiquomque.* Speciatim sic enumerationem Carus fecit, ut melior sit similitudinis hujus convenientia cum *multis* aquai *seminibus*, jam memoratis, in vss. 497, 498, adeo ut temeritas, atque inscitia Lambini Creechiique plane sit non amplius tolerabilis, versum coram positum pro spurio rejicere audentium. *W.*

503. *Concipiunt etiam*, etc. His 4 vss. cum dimidio, docet etiam ex mari et fluviis multum humorem tolli in nubes, dum ipsæ feruntur ventis super æquora et fluvios : sicut videmus lanas appensas super aquam concipere humorem. *F.* — *Concipere* sæpius de corporibus non solidis et compactis dicitur, quæ humoribus imbuuntur; supra vs. 472, collato cum vs. 629. *Forb.*

504. *Vellera lanæ.* Virg. G. I, 397.

505. *Supera;* III, 386.

507. *Quo quom bene*, etc. His 5 vss. cum dimidio, primum modum refert, quo pluvia generari queat : nempe per compressionem; dum scilicet vi venti ac ipsa etiam nimborum copia majore nubes compressæ demittunt pluviam, instar spongiæ aqua plenæ, ex qua, dum manu comprimitur, aqua exprimitur. *F.* — *Bene* junge cum *multa.*

509. *Se dimittere,* in pluviam resolutas. Vide Disq. var.

511. *Copia*, quia confertæ (vs. 509) sunt nubes. — *Turba;* cf. vs. 465.

512. *Ex supero;* II, 227.

513. *Præterea, quom rarescunt*, etc. His 4 vss. alterum refert modum, quo pluviam fieri posse putat, nempe per transmutationem; dum scilicet nubes aut vi venti, aut ardore solis ictæ et rarefactæ demittunt pluviam, seu mutantur in pluviam. *F.*

514. *Icta calore.* Hoc elegantissimum dicendi genus nos in hujusce commentarii decursu frequenter illustratum dedimus, quum Lucretius sit talium leporum refertissimus. *W.*

515. *Stillante* Wak. ex omnibus libris, præter Junt. *stillando* præbentem, in contextum revocavit, scilicet ut subintelligamus *eo humore,* quod sane duriusculum videtur. Quare si cogitari pos-

Digitized by Google

Cera super calido tabescens multa liquescat.
Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utraque
Nubila vi cumulata premuntur et impete venti.
At retinere diu pluviæ longumque morari
Consuerunt, ubi multa fluenter semina aquarum,
Atque aliis aliæ nubes nimbeique rigantes
Insuper, atque omni volgo de parte, feruntur;
Terraque quom fumans humorem tota redhalat.
Hic ubi sol radiis, tempestatem inter opacam,
Advorsa fulsit nimborum adspergine contra;

set lectionem tam facilem et planam in omnibus libris corruptam esse, libenter cum edd. vulgaribus Lamb. divinationem *stillantque* recepissem. *Forb.* — Pius jungit *igni stillante*, id est, cogente stillare; nulla auctoritate allata.

516. *Cera.* Cf. Virg. Ecl. VIII, 80. Multi codd. *tela*, quod Wakef. recepit, nihil ausus mutare, « propter magnam antiquarum artium et consuetudinum ignorantiam, in qua nos nunc dierum versamur ». At verba *tabescens* et *liquescat* cum *cera* tam bene congruunt, ut vix unquam alii verbo locum esse crediderim, ne τῷ *tæda* quidem, quod Vossius conjecit. Ed. — *Multa*, abundans; vel *multa* pro *multum*, ut vult Wak.

517. *Utraque:* vi scilicet tam cumulatarum aquarum quam venti inurgentis. Sic optimi codd. Vulgo *utroque;* Ver. Ven. Ald. 1 *utrinque.* Tot varietatibus ignorata constructio causam peperit, dum insciti homines necessum habebant ad *cumulata* τὸ *vi* referre scilicet. Bentleius malit *utrinque;* « scilicet *superne*, vi et copia nimborum, et vento *ad latera* »; vide vs. 510. Et ordo esset: Nubila cumulata premuntur vi, et impete venti; ut vs. 735. Lectores proprio judicio utantur: nos majori numero exemplarium proborum stamus. Possis sane *utraque* capere, ut sæpe alias, pro *utraque via*, et conjungere *vi cumulata;* hoc tamen nec venustum foret, et ambiguum. *W.*

519. *At retinere diu*, pro *se retinere* vel *retineri*, diu durare. Sic Wakef. et Forb. absoluto verbi usu, Lucretio multum familiari; conf. ad I, 398; II, 243; III, 501, etc. Minus bene, opinor, Lamb. « homines donis retinere et morari ».

520. *Fluenter.* Cf. IV, 226, et infra vs. 932. Ordo est : Ubi multa semina aquarum fluenter feruntur. Communes editi ex arbitrio correctorum *fuerunt.* Wak.

521. *Aliæ aliis insuper*, aliæ super alias; cf. vs. 192.

523. *Terraque ... redhalat.* Et ubi terra suppeditat perenniter vapores et halitus, qui sursum in nubes ferantur, et inde resoluti cadant. *F.* — *Redhalat.* Hæc videtur accuratissima verbi scribendi ratio, quæ pariter obtinet in *redhibeo*, *redhibitio* in glossis vetustis, atque *redhostio* apud Nonium II, 740. *W.* — Vulgo *rehalat.*

524. *Hic, ubi sol radiis*, etc. His 3 vss. interim monet Poeta tunc creari in nubibus arcum cœlestem, quem iridem vocant, quum spissus est nimbus, et atra sunt nubila. Verum de variis illius coloribus ac forma parcius philosophatus nihil nos docet. *F.*—Vide Disq. var.

525. *Advorsa nimborum adspergine*,

Digitized by Google

Tum color in nigris exsistit nubibus arqui.
  Cetera, quæ sursum crescunt, sursumque creantur,
Et, quæ concrescunt in nubibus omnia, prorsum
Omnia, nix, ventei, grando, gelidæque pruinæ,
Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
Et mora, quæ fluvios passim refrenat; aventeis
Perfacile est tamen hæc reperire animoque videre,
Omnia quo pacto fiant, qua reve creentur,
Quom bene cognoris, elementeis reddita quæ sint.
  Nunc age, quæ ratio terrai motibus exstet,

dum adversi solis radiis nimbi rorem emittunt.

526. *Color arqui.* De hac antiquiori orthographia Wak. laudat Sosip. Charisium I, p. 93, recte simul rejiciens discrimen a Nonio V, 14, statutum ut « *arcus* sit omnis suspensus fornix, *arquus* vero non nisi qui in cœlo appareat ». Insolentiorem vero genitivi formam ad secund. declin. flexam, adhibuit etiam Cicero Nat. D. III, 20, et *arci* in casu recto pluralis Varro apud Nonium II, 71. *Forb.* — Et lector lepidus multa cum voluptate committet scholasticorum poetarum decem tetrasticha de Iride, in Anthol. Lat. Burm. V, 17, longiora, quam quæ huc transferri possint. Videndus insuper de hoc phænomeno magister Epicurus, apud Diog. Laert. X, 109. Aristoteles etiam, et Plutarchus, cum Stobæo in Physicis. *W.* —Vide Disq. var.

528. *Omnia, prorsum Omnia.* Sane jucundissima est hæc verborum revocatio, et jure Lucretio perplacuit: de qua vide ad II, 956. *W.*

529. *Nix, grando.* De his nihil explicite Lucretius. Vide Disq. var.

530. *Geli;* vs. 156. — *Duramen;* vel ipsæ aquæ duratæ in glaciem; vel ea vis quæ aquas durat.

531. *Refrenat;* Virgil. G. IV, 136; Ovid. Epist. VI, 87. — Forbig. jungit *fluvios aventeis*, nescio quo sensu; nam certe in poetico sermone frenari semper indignantur omnes. Et sensum in fine versus claudit; nos Wak. sequimur. Ed. — Quidam plenius interpungunt etiam ad finem versus, poetæ mentem et structuram sermonis, cuilibet ex nostra loci constitutione manifestissime patentia, nullo modo cognita habentes. Confer II, 216; III, 260. *W.*

532. *Tamen.* I. e. utut videri possit difficilioris investigationis argumentum. Fateor interea me *tandem* præpositurum fuisse, si libri veteres addixissent: et in his vocibus scribæ soleut aberrare. Cf. III, 1014. *W.*

534. *Quom bene cognoris*, etc. Quum penitus perspexeris quæ sint attributa principiis, quæ sit elementorum vis ac virtus. Alii interpretantur: Quibus principiis quæque sint referenda; minus bene, opinor. Ed.

535. *Nunc age, quæ ratio*, etc. His 73 vss. disputat jam Poeta de terræ motibus. Quam disputationem priusquam aperiat, his 8 vss. statuit terram in visceribus suis pari congerie constare, qua in extimis suis partibus observatur. Itaque vult illam includere ventos, speluncas, rupes, dirupta saxa, lacus, lacunas, et flumina. Quibus rebus ita sta-

Digitized by Google

Percipe : et in primis terram face ut esse rearis
Subter item, ut supera, ventosis undique plenam
Speluncis; multosque lacus multasque lacunas
In gremio gerere, et rupeis diruptaque saxa :
Multaque sub tergo terrai flumina tecta
Volvere vi fluctus, submersaque saxa putandum est :
Undique enim similem esse sui, res postulat ipsa.
His igitur rebus subjunctis suppositisque,
Terra superne tremit, magnis concussa ruinis
Subter, ubi ingenteis speluncas subruit ætas;
Quippe cadunt totei montes, magnoque repente
Concussu late disserpunt inde tremores :

tutis, triplicem terræ motus causam jam assignabit, nempe terram, aquam et ventum. *F.* — *Terrai motibus.* Hoc argumentum ventilatum videas apud Diog. Laert. X, 105, 106, in Epicuro; Ammian. Marcell. XVII, 7; Plut. Plac. Phil. III, 15; Servium ad Virg. Georg. II, 479, ut Aristotelem, Stobæum, et alios, prætercam. Phænomenon autem *terræ tremorum* gnaviter exercuisse ingenia veterum philosophorum liquido docet Gellius II, 28; conferas Virgil. Georg. II, 479; Ovid. Met. XV, 71. Et causas principales, quas uberius explicatas Noster dederit, summatim complexus est carmine suavissimo Statius Theb. VII, 809. *W.*

536. *Face;* II, 485.

539. *In gremio gerere.* I. e. φέρειν, ἔχειν; ut Noster ad III, 1062, et alibi plus semel. *W.* — *Dirupta,* in diversas partes abrupta. Vide ad vs. 541. Alii *derupta.*

540. *Tergo terrai.* Sic Virgil. Georg. I, 97; III, 36, *tergà* pro æquor seu superficiem, *telluris* ac fluvii : ut prior Homerus νῶτα θαλάσσης, in Il. B, 159. *Wak.*

541. *Submersaque saxa;* modo vs. 539 de abruptis saxis cavernas aut præcipitia efficientibus mentio erat; nunc de scopulis vi aquarum erutis et gurgite fluminum contortis. Jungerem itaque *volvere fluctus et saxa,* ut hic tantum poeta vim fluminum subterraneorum denotet. Nescio autem annon aliter verba intellexerit Wak. qui notat « poetam dicere, non magis *terrestria* esse saxa, quam *in aqua condita :* sub tellure uti super tellurem sunt ». Vide etiam in Disq. var. Ed.

542. *Similem sui;* scil. terram.—*Res ipsa;* IV, 397.

543. *His igitur rebus,* etc. His 9 vss. refert terræ motus causam esse ipsam terram, cujus speluncæ pro vetustate exesæ tandem concidunt; quibus concidentibus saxa dirupta, totique montes corruunt, magnoque suo concussu terram quatiunt : quemadmodum plaustra vel currus, dum per viam prætergrediuntur, domos ac ædes ad ima fundamenta concutiunt. *F.* — Ad rem confer quæ disseruit Seneca Nat. Q. VI, capp. 9, 10 sqq.

545. *Subter;* quum *intus* magni alicujus ponderis casu concutitur, ad superficiem tremit.

547. *Disserpunt;* in diversas partes longe lateque vagantur.

Digitized by Google

Et merito; quoniam, plaustris concussa, tremescunt
Tecta viam propter non magno pondere tota:
Nec minus exsultant ædes, ubiquomque equitum vis
Ferratos utrimque rotarum succutit orbeis.
Fit quoque, ubi magnas in aquæ vastasque lacunas
Gleba vetustate ex terra provolvitur ingens,
Ut jactetur aquæ fluctu quoque terra vacillans;
Ut vas in terra non quit constare, nisi humor
Destitit in dubio fluctu jactarier intus.
Præterea, ventus quom, per loca subcava terræ
Collectus, parte ex una procumbit, et urguet

548. *Et merito;* et hoc ita fieri necesse est; cf. ad I, 108.—*Tremescunt.* Rectius quam *tremiscunt,* ut arbitror. Sic plures et emendatiores libri ap. Virgil. Æneid. III, 648; V, 694. *Wak.*

549. *Viam propter;* sic I, 91, *hunc propter;* et alibi sæpius præpositio postponitur; I, 841; II, 731, etc. — *Non magno;* quamvis non magnum sit pondus in plaustris.

550. *Equitum vis.* Equites, qui currus ducunt. Vide Disq. var.

551. *Ferratos orbeis.* Virg. G. III, 361. Equidem crediderim poetam modo *plaustra*, lente a bobus tracta, memoravisse ob pondus, etiamsi non ita magnum aliquando sit; nunc autem in exemplum afferre *currus*, quos multum sonantes equorum impetus abripit. Sen. Nat. Q. VI, 22: « Si quando magna onera per vices vehiculorum plurium tracta sunt, et rotæ majore nisu in salebras inciderunt, terram concuti senties ». Ed. — *Utrimque*, ex utraque vehiculi parte.

552. *Fit quoque*, etc. Vss. 5 altera tremoris causa continetur; nempe si in vastam aquæ paludem decidat gravis terræ portio, aquæ istius fit agitatio; istam vero aquæ jactationem sequitur telluris (quæ istam aquam tanquam vas continet) titubatio. *Creech.*

555. *Constare;* ita stare, ut non titubet.

557. *Præterea, ventus*, etc. His 51 vss. reliquis refert tertiam terræ motus causam esse ventum. Verum, quia duplici modo rem explicat, his 20 vss. prioribus ait ventum esse causam terræ motus, ubi collectus per concava terræ loca tandem proruit et incumbit potius in unam partem, in quam pariter terra vento impulsa inclinat et incumbit. Adeo ut, nisi venti aliquando respirarent, ac flare cum impetu cessarent, ipsa terra tota parata esset ire, quo vis venti ferret eam. Verum, quia interdum respirant venti, ideo ipsa terra sese suo librata pondere recipit in proprias sedes, ac moveri desinit. Dum autem terra inclinat, quo venti ferunt, tum omnia ædificia supra terram concutiuntur, et interdum concussa proruunt; quoque magis edita sunt, eo magis aut concutiuntur, aut concussa majoribus ruinis proruunt. Ad quod spectat illud, quod Plin. II, 85 refert de portento singulari, quod in Mutinensi agro contigisse invenit in libris Etruscorum. *F.*

558. *Collectus*, coactus, conveniens, congressus. — *Parte*, sic omnes libri; vulgo *parti*.

Digitized by Google

Obnixus magnis speluncas viribus altas;
Incumbit tellus, quo venti prona premit vis:
Tum, supra terram quæ sunt exstructa domorum,
Ad cœlumque magis quanto sunt edita quæque,
In clinata minent in eamdem, prodita, partem;
Protractæque trabes impendent, ire paratæ.
Et metuunt magni naturam credere mundi
Exitiale aliquod tempus clademque manere,
Quom videant tantam terrarum incumbere molem?
Quod nisi respirent ventei, vis nulla refrenet
Res, neque ab exitio possit reprehendere eunteis:
Nunc, quia respirant alternis, inque gravescunt,
Et, quasi collectei, redeunt, ceduntque repulsei;
Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas,
Quam facit; inclinatur enim, retroque recellit;
Et recipit prolapsa suas in pondere sedeis.
Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,

561. *Exstructa domorum*, domus exstructæ; I, 355.

563. *In clinata minent*. I. e. *clinata imminent*; ad tmesin usitatissimam Lucretio, quoties ratio dictionis legibus metricis adversetur. Hanc autem viam egomet longe tutiorem habui, vulgata sic se habente: « *Inclinata minent* in eamdem »: ut sit τὸ *minent* radix verborum *emineo*, *immineo*, *promineo*; de qua tamen nihil est compertum aliunde. *W*. —Verbum simplex *minent* restitui infra ad vs. 1194. *Forb*. — *Prodita*. I. e. *porro data*, sive *projecta*; in primario vocis sensu: ut profecto superius, III, 602. *W*.

564. *Protractæque trabes*. Nam inclinata tellure, trabes e suis sedibus excussæ protrahi videntur. *Creech*.

565. *Et*. Bentleio obsequuti sumus, notam interrogationis præscribenti. Virg. *Æn*. VI, 807: « *Et* dubitamus adhuc virtutem extendere factis? » Quemadmodum in Georgicis, II, 433. *W*.—*Et metuunt credere*. Et quidam adhuc nolunt credere *mundi mortalia templa esse?* ut Noster dixit supra vs. 43. Minus bene, opinor, Lambinus, probante Creechio: « Et homines metuunt usqueadeo, ut credant exitium aliquod clademque mundo imminere ». Nostram autem opinionem confirmare etiam videtur τὸ *nunc*, vs. 570. Ed.

568. *Quod nisi*; quod si non; I, 222, 235.

569. *Res*; universas scilicet, mundum. — *Euntes*, in exitium abreptas.

570. *Inque gravescunt*; et vicissim ingravescunt, impetum faciunt.

572. *Ruinas*, ruinam, exitium.

573. *Recellit*, reclinat. — *Recellere* proprie potest: in partem posteriorem movere.

575. *Et recipit prolapsa*. Locum sic

Digitized by Google

Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.
Est hæc ejusdem quoque magni causa tremoris;
Ventus ubi atque animæ subito vis maxuma quædam,
Aut extrinsecus aut ipsa tellure coorta,
In loca se cava terrai conjecit, ibique
Speluncas inter magnas fremit ante tumultu,
Vorsabundaque portatúr; post, incita quom vis
Exagitata foras erumpitur; et simul, altam
Diffindens terram, magnum concinnat hiatum.
In Syria Sidone quod accidit, et fuit Ægii

construas cum Wak.: « Et, prolapsa in pondere, id est, cum pondere, per pondus suum, recipit sedes suas ». Pronomen *se,* quod vulgo contra libros inseritur post *suas*, recte Wak. omisit. *Forb.*

576. *Perhilum*, vel minimum, fere nihilum, perpaulum; cf. III, 221.

577. *Est hæc ejusdem*, etc. His 31 vss. posterioribus explicat modum alterum, quo ventus terram tremere facit; nimirum quum ventus inclusus intra terram, sive extrinsecus introductus fuerit, sive intus ex ipsa terra collectus sit, interim luctatur magna vi cum ipsis terræ speluncis; post erumpit diffindens terram, ac magnum tremorem terræ concutit. *F.*

578. *Animæ*, ventosi flatus. Sic V, 237, et alibi passim.

581. *Ante.* Vicissim stant oppositæ voces *ante* et *post.* W.

582. *Vorsabunda;* vs. 438.

583. *Erumpitur;* I, 725. — *Altam terram.* I. e. profundam; nam in *cava terræ* (vs. 580) ventus penetraverat. Cf. Virg. Æn. VI, 267. Miror igitur editorum inscitiam inverecundiamque, de suo reponentium, *arctam.* W.

584. *Concinnat;* vs. 437.

585. *Syria Sidone.* Plin. Nat. Hist. XXXV, 51: « terra in *Syria,* circa *Sidonem,* oppidum maritimum ». *Wak.* — Quum enim geographi ipsi, Strabo XVI, p. 749; Plin. Nat. Hist. V, 13; Pomp. Mela I, 11, 1, nomine Syriæ, latiori sensu, omnes terras inter Ciliciam, Arabiam, Ægyptum et Tigrim sitas, ideoque et Phœnicen comprehendant, quidni poetæ etiam licuerit *Sidonem* appellare *Syriam?* Vulgares tamen editt. *Tyriam* e superflua Lambini correctione. *Forbig.* — *Ægii*, vel *Ægi.* Sic vetera exemplaria universa; sed editores sine causa dederunt *Ægis;* nam *Ægium*, non minus quam *Ægæ*, urbs erat Peloponnesi. Testium instar omnium, huic loco adscribatur idem ille Plinius, longe nobis commodissimus, in Nat. Hist IV, 6: « Oppida (Achaiæ), Helice, Bura; in quæ refugere, *haustis prioribus,* Sicyon, Ægira, *Ægion*, Erineos ». Videas ibi Harduinum. Meminit etiam Strabo plus semel *Ægii* ejusdem. Nempe, ad designandam regionis cladem, oppido viciniæ maxime celebrato recte usus est Lucretius; uti prius in *Sidone.* W. — Quod autem terræ motus hic commemoratos attinet, de Syrio vel Phœnicio Faber et Wak. laudant Strab. I, p. 58, atque Justin. XVIII, 3; de Achaico vero Aristot. Meteor. II, 8, eumdem De mundo c. 4, et Ovid. Met. XV, 293; quibus adde Pausan. VII, 24; Strab. VIII, p. 384; Diodor. Sic. XV, 48,

Digitized by Google

In Peloponneso : quas exitus hic animai
Disturbât urbeis, et terræ motus obortus.
Multaque præterea ceciderunt mœnia, magnis
Motibus, in terris; et multæ per mare pessum
Subsedere suis pariter cum civibus urbes.
Quod nisi prorumpit, tamen impetus ipse animai,
Et fera vis venti per crebra foramina terræ
Dispertitur, ut horror; et incutit inde tremorem :
Frigus uti, nostros penitus quom venit in artus,
Concutit, invitos cogens tremere atque movere.
Ancipiti trepidant igitur terrore per urbeis;
Tecta superne timent, metuunt inferne cavernas
Terrai ne dissolvat Natura repente;
Neu distracta suum late dispandat hiatum,
Idque suis confusa velit complere ruinis.

et Ælian. De anim. XI, 19, a Mannerto Geogr. vol. VIII, p. 398 citatos. *Forb.*

586. ***Exitus hic animai;*** quas quidem urbes dejecit hæc venti eruptio; vs. 578.

587. ***Disturbât***, pro ***disturbavit;*** I, 71; III, 710; V, 443.

588. ***Ceciderunt***. Cant. *ccidere et.*

589. ***Pessum subsedere.*** Quidam Lambini codices et Brit. 1, 3 *passim*, quod Wak. immerito præfert vulgatæ lectioni, quia nusquam invenitur *pessum subsidere.* At quanta messis locutionum alibi nusquam occurrentium in Lucretii carmine haberi possit! *Forb.*

591. ***Prorumpit;*** si incitatus iste ventus eruptionem non facit, attamen, etc. — ***Animai;*** vs. 586.

593. ***Ut horror.*** Uti plus semel alias exposuimus, *horror* est is affectus, unde *aspera* redditur cum *tremore*, et inæqualis, quælibet superficies. *Wak.* — Tunc igitur fit quidam terræ horror et fremitus, sicut in humano corpore nervorum tremor frigore concitatus. Ed.

594. ***Frigus penitus quom venit.*** Ideo Maroni vocitatum, ad Georg. I, 93, *penetrabile frigus*, « quod omnia penetrat », exponente Servio. *W.*

595. ***Movere.*** Editores hodierni de suo, omnibus omne genus libris abnuentibus, *moveri;* satis impudenter atque inscite : redi ad annotata in lib. III, vs. 570. ***Wak.***

596. ***Trepidant terrore.*** I. e. undique *properanter* cursitant perterrefacti. Virg. Æn. II, 685 : « Nos pavidi *trepidare metu* ». W.

597. ***Metuunt ne natura dissolvat Terrai cavernas :*** hic videtur facilior ordo verborum, et maxime naturalis. Sunt qui conjungant ***natura terrai***, pro *ipsa terra;* quibus equidem nullus, ad constitutionem receptam loci, consenserim. *Wak.*

600. *Idque.* Nempe id, quod hiatu fecerit : nam de nomine ***hiatum*** in casu recto nihildum comperire quivi. Lambinus proposuit *Imque :* sed absque codicibus, et consuetudine Lucretii; quæ in omnibus servanda est. *W.*

Digitized by Google

Proinde, licet quamvis cœlum terramque reantur
Incorrupta fore, æternæ mandata Saluti :
Et tamen interdum præsens vis ipsa pericli
Subditat hunc stimulum quadam de parte timoris;
Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur
In barathrum, rerumque sequatur prodita summa
Funditus, et fiat mundi confusa ruina.
[Nunc ratio reddunda, augmen quur nesciat æquor.]
Principio, mare mirantur non reddere majus
Naturam, quo sit tantus decursus aquarum,
Omnia quo veniant ex omni flumina parte.

601. *Licet quamvis.* I. e. non interpono, quo minus, in quantum velis, reantur cœlum ac terram esse immortalia. Vossius De analog. lib. IV, p. 240, quem laudat Havercampus, Lucretii locum protulit in exemplum formulæ *licet quamvis ;* perperam. Græce locutionem hoc modo reddas : Ἔξεστιν αὐτοῖς ὑπολαμβάνειν ὡς τὰ μάλιστα. *W.* — Cf. infra vs. 621 ; Cic. Læl. c. 20, § 73 ; De leg. III, 10, § 24, et Nat. Deor. III, 36, § 88. *Forb.*

602. *Æternæ Saluti.* Noster, optimus omnium ferme poeta, an magis magnifice loquutus sith ac occasione, plane dubites, an eleganter. Quasi scilicet universus mundus quædam παρακαταθήκη foret, quam Salus ipsa in æternum conservaret, dente Temporis indelibatam, nullisque injuriis obnoxiam. *W.*

604. *Subditat stimulum.* Ab aurigariis moribus translata est hæc dicendi ratio. Pariter Ovid. Trist. V, 1, 76 : *stimulos subdere.* W. — *Stimulum timoris ;* facit ut quodammodo timeant ne, etc.

606. *Prodita*, in præceps data ; vs. 563. — *Summa rerum ;* I, 334 ; Ovid. Met. III, 300.

608. *Nunc ratio reddenda*, etc. His 32 vss. novum problema proponit et solvit Lucretius ; cur nempe mare non augeatur, tot in illud decurrentibus aquis, fluviis, fontibus, ac imbribus. Quæstionem artificiose solvit, causamque refert in jugem humoris detractionem. Itaque his 9 vss. prioribus postquam rem proposuit, 1° vastitatem maris in quam fit aquarum omnis decursus exponit, tanquam aliquam causam cur mare non augeatur. Adeo enim vastum est mare, ut et fontes, et fluvii et imbres omnes non nisi sint ad totum mare veluti guttula una. *F.* — Ceterum, de quæstione, quam sibi sumit Lucretius ventilandam, et profecto cum solertia, homine docto atque intelligente digna, tractat, nos mittit Lambinus ad Aristotelis Meteor. II, 2. Perlegas etiam argumenta Lucretii summatim et eleganter declarata in Isidori Origg. XIII, 14. *W.*—V. Disq. v.

610. *Naturam.* Multi codices exhibent *natura*, probante Wakef., qui sic locum constituit : « ... non reddere majus, natura quo sit, etc. » I. e. principio homines mirantur flumina non reddere majus mare, quo veniant omnia ex omni parte, quo (in quod) tantus decursus naturaliter sit aquarum. — *Decursus aquarum ;* I, 284 ; V, 264.

Digitized by Google

Adde vagos imbreis tempestatesque volanteis,
Omnia quæ maria ac terras sparguntque rigantque:
Adde suos fonteis : tamen ad maris omnia summam
Guttai vix instar erunt unius ad augmen;
Quo minus est mirum, mare non augescere magnum.
  Præterea, magnam sol partem detrahit æstu:
Quippe videmus enim vesteis, humore madenteis,
Exsiccare suis radiis ardentibu' solem.
At pelage multa, et late substrata, videmus.
Proinde, licet quamvis ex uno quoque loco sol
Humoris parvam delibet ab æquore partem,
Largiter in tanto spatio tamen auferet undis.
  Tum porro, ventei quoque magnam tollere partem
Humoris possunt, verrentes æquora ventei:
Una nocte vias quoniam persæpe videmus

612. *Vagos imbreis tempestatesque volanteis*: quæ scilicet fortuito quasi, nec opinato, solent ingruere, ac celeriter transeunt. *W.*

613. *Omnia quæ maria.* In dubio est structura : utrum vellet Noster, « Quæ omnia (imbres utique et tempestates) spargunt maria » : an rursus, « Quæ spargunt omnia maria »; quam viam nos inivimus post alios. *W.*

614. *Suos;* in imo mari scaturientes. — *Ad maris summam;* si cum maris summa omnia comparentur. *Lamb.*

615. *Ad augmen.* I. e. ad tantam maris amplitudinem adaugendam. *W.*

617. *Præterea, magnam sol*, etc. His 7 vss. continetur altera causa, cur mare non augeatur. Quæ quidem ratio jam reddita est V, 268. *F.*

620. *At pelage multa*, etc. His 4 vss. interim respondet Lucretius objectioni, quæ fieri potuit adversus hanc secundam causam. Si quis enim objiciat imparem esse destructionem a sole factam aquarum decursui venientium in mare; respondet Poeta immensam æquoris planitiem compensare largiter detractionis mediocritatem. *F.* — De forma græca *pelage*, πελάγη, aliisque similibus, vide Ruddim. Inst. Gr. I, p. 149, n. 50, et Schneid. Gr. Lat. II, 309. *Forb.* — Et sic quidam legunt ad V, 36.

621. *Licet quamvis;* vs. 601.

622. *Delibet*, degustet, et ita detrahat; III, 24.

624. *Tum porro, ventei*, etc. His 4 vss. continetur tertia causa, cur mare non augeatur; quam causam reddidit jam supra V, 267 et 389. *F.*

625. *Verrentes æquora ventei.* Vulgo *ponti*, quod Poor. et Brit. 3 exhibent. — Sed, præ antiquissimis exemplaribus atque emendatissimis, non audiendi sunt hi libri : has insuper jucundissimas repetitiones Lucretius opere magno et amavit et frequentavit; prout in superioribus satis vidimus (III, 13, etc). Ceterum, de quantitate exhalationis hujusce in mari Caspio, calculum subduxit, luculentis rationibus computabilem, in Actis Philo-

Digitized by Google

Siccari, mollisque luti concrescere crustas.
Præterea, docui multum quoque tollere nubeis
Humorem, magno conceptum ex æquore ponti;
Et passim toto terrarum spargere in orbe,
Quom pluit in terris, et ventei nubila portant.
Postremo, quoniam raro cum corpore tellus
Est, et conjuncta est, oras maris undique cingens;
Debet, ut in mare de terris venit humor aquai,
In terras itidem manare ex æquore salso:
Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, et ad caput amnibus omnis
Confluit; inde super terras redit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.
Nunc ratio quæ sit, per fauceis montis ut Ætnæ
Exspirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam: neque enim dia de clade coorta

sophicis, subtilissimus et doctissimus astronomus, Halleius nostras. *W.*

627. *Mollis luti*, et lutum, quod erat molle, durescere. — *Concrescere crustas;* Virg. G. III, 360.

628. *Præterea*, etc. His 4 vss. quartam causam affert, de qua *docuit* vs. 495 sqq.

629. *Conceptum;* vs. 503.

630. *Orbe*, rectius ad sensum quam *orbem*, aut, ut conjicit Wak., *orbeis*. Non enim spargunt *ut cat in orbem;* sed in toto orbe desuper infundunt. Ed.

631. *Pluit in terris.* Poetica est phrasis pro *passim pluit:* i. e. per terras, ubicumque homines versantur. Et, id observante Servio, quem Havercampus admovit, Virgilius hoc hemistichium in proprios usus transtulit, ad Æneid. X, 807. *Wak.*

632. *Postremo, quoniam*, etc. His 8 vss. posterioribus continetur quinta causa cur mare non augeatur; eaque germana est et vera ratio. Cf. ad V, 269. *F.*

633. *Et conjuncta est.* Lambinus « et conjunctas oras ... cingit », contra plurimos et optimos codices. — Neque ratio est cur illos non sequamur. Licet enim findatur hic illic fluviis, tota tamen sibi cohæret, ut globosa et connexa. *Hav.*

636. *Percolatur enim.* Hi versus, pauculis variatis, jam venerunt, ad V, 270, et lector admonendus est in transitu, *Oceanum* hinc apud veteres mythographos audivisse *Nympharum*, i. e. lympharum, *patrem;* vide Catullum LXXXVIII, 9, et multos alios. *W.*

640. *Nunc ratio quæ sit*, etc. His 74 vss. disputat de ignibus montis Ætnæ. Quæ quidem quæstio, quotquot præclara et solertia ingenia fuerunt, torsit et exercuit, torquebitque et exercebit, quotquot in posterum erunt. *F.*

641. *Exspirent turbine;* tanto impetu erumpent. Absolute positum, et sine regimine, ut mox vs. 887.

642. *Dia*, a diis immissa. Vide in Disq. var.

Digitized by Google

Flammæ tempestas, Siculum dominata per agros,
Finitumeis ad se convortit gentibus ora;
Fumida quom cœli scintillare omnia templa
Cernentes, pavida complebant pectora cura,
Quid moliretur rerum Natura novarum.
  Hisce tibi in rebus late est alteque videndum,
Et longe cunctas in parteis despiciundum,
Ut reminiscaris, summam rerum esse profundam,
Et videas, cœlum summai totius unum
Quam sit parvola pars, et quam multesima constet;
Nec tota pars, homo terrai quota totius unus.
Quod bene propositum si plane contueare,
Ac videas plane, mirari multa relinquas.
  Num quis enim nostrum miratur, si quis in artus
Accepit calido febrim fervore coortam,

643. *Siculum*. Wak. ex uno Cant. *Siculos* esse veram Lucretii scripturam suspicatur, quia rarissime sic Latini loquantur, *Siculorum agros*. Equidem cum Forb. nihil mutatum velim. Virg. G. I, 471, *Cyclopum agros* dixit : quidni *Siculorum* dici posset? Ed.

644. *Finitumeis gentibus*, pro *finitumarum gentium ora;* id est, vicinorum populorum oculos ad se convertit.

646. *Pavida complebant cura*, curas et pavorem concipiebant, anxie exspectantes quid novi *moliretur*, aggrederetur natura. Ed.

648. *Alte videndum*, late, longe, alteque in cunctas partes animum tuum vagari debes permittere. *Cr.*

649. *Despiciundum;* II, 742.

650. *Profundam*. Animadvertas epitheton absolutum; quasi *meram profunditatem* scilicet, nullis limitibus interceptam circumscriptamque. *W.*

652. *Multesima pars*. Nonius II, 520 versum citat, et, nescio quid somnians, dicit hanc phrasin nove positam esse pro *quantitas infinita*. Longe rectius et doctius explicationem molitus est Lambinus, qui cum Græco schemate πολλοστὸν μέρος comparaverit. Porro, sic fortasse rem liquidius concipias : ut *millesima pars* ea est, quæ rationem habeat *unius* ad *mille;* sic *multesima pars* similis est diminutio vocis *multus*, atque ab ejus mensura ac quantitate distat quam longissime. *W.*

653. *Nec tota pars*, etc. *Totus*, prima correpta, hic esse pronomen adjectivum, quod Græcorum τοσοῦτος exprimat et respondeat sequenti *quotus*, vix est ut doceam. *Forb.* — Vide Disq. var.

654. *Quod bene propositum*, etc. Quam propositionem meam si recte omnino concipias. *F.*

655. *Mirari multa relinquas*. Nam e novitatis specie admiratio gignitur, et matrem habet naturalium causarum ignorationem : confer autem Horat. Epist. I, 6, 1-6. *W.*

656. *Num*, etc. Ad rem quædam recenset, admirationem jam non moventia.

Digitized by Google

Aut alium quemvis morbi per membra dolorem?
Obturgescit enim subito pes, arripit acer
Sæpe dolor denteis, oculos invadit in ipsos;
Exsistit sacer ignis, et urit, corpore serpens,
Quamquomque arripuit partem, repitque per artus;
Nimirum, quia sunt multarum semina rerum;
Et satis hæc tellus morbi cœlumque mali fert,
Unde queat vis immensi procrescere morbi.
Sic igitur toti cœlo terræque putandum est
Ex infinito satis omnia suppeditare,
Unde repente queat tellus concussa moveri,
Perque mare ac terras rapidus percurrere turbo,
Ignis abundare Ætnæus, flammescere cœlum;
Id quoque enim fit, et ardescunt cœlestia templa.
Et tempestates pluviæ graviore coortu
Sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.

660. *Invadit in.* Sic Plaut. Bacch. IV, 4, 60; Sall. Jug. XXXII, 4; aliter Noster supra vs. 175. *W.*

661. *Sacer ignis;* infra vs. 1166. Virg. G. III, 566; Corn. Celsus V, 28; Paul. Æginet. IV, 20.

663. *Nimirum quia sunt;* hoc ideo fit, et fieri non miramur, quia in hoc mundo esse omnium rerum semina scimus. Quidni et terræ motuum semina sint? Ed.

664. *Morbi.* I. e. hæc ipsa tellus *satis morbi* fert, unde *vel immensus morbus* possit procrescere; nam a *parvis* causis res *maximæ* nascuntur. *Wak.* — Cum verbis *morbi mali* Wak. comparat Homeri Iliad. I, 10, νοῦσον κακήν; Cels. II, 4, et Horat. Art. poet. 453.

667. *Suppeditare:* quasi *sub pedibus*, pro solo ac fundamento rei, se præstare: absoluto sensu; de quo perlegas annotata ad I, 548. *W.*

669. *Percurrere, per;* ut modo vs. 660, *invadit in.*

670. *Ignis abundare.* Sic *undantem* Ætnam dixit Virg. G. I, 472. Cf. etiam Senec. Hippol. 102. — *Flammescere*, flammis collucere, et quasi incendi.

672. *Et tempestates.* Sic omnes libri vetusti; sed editores de suo *Ut:* ineptissime, ac loci scopo reclamante. Poeta scilicet dat operam evincere, vel ingentia Ætnæ montis incendia exoriri posse seminibus ab omni parte confluentibus, et ex infinito suppeditatis: ut se res habet in morbis, et, quod appositius est ac majus, in gravium pluviarum vi. Nam, si nimius appareat hic flammarum turbo, in causa est inscita admiratio, omnia nova (redi ad notas in vs. 655) esse nimia existimantis, neque ad inenarrabilem summæ totius immensitatem satis diligenter animum advertentis. *W.* — *Coortu.* Vox Lucretiana, prius adhibita in II, 1106.

673. *Tetulerunt.* Antiqui *tetuli* dixere pro *tuli;* quod plurimis exemplis confir-

Digitized by Google

At nimis est ingens incendii turbidus ardor!
Scilicet et fluvius, qui visus, maxumus ei est,
Qui non ante aliquem majorem vidit; et ingens
Arbor homoque videtur; et omnia de genere omni,
Maxuma quæ vidit quisque, hæc ingentia fingit:
Quom tamen omnia cum cœlo terraque marique
Nil sint ad summam summai totius omnem.
Nunc tamen, olla modis quibus, irritata repente,
Flamma foras vastis Ætnæ fornacibus efflet,
Expediam. Primum, totius subcava montis
Est natura, fere silicum suffulta cavernis.
Omnibus est porro in speluncis ventus et aer;
Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aer.

mari potest. Plaut. Amph. II, 2, 84; Rud. prol. 68; Cist. III, 19. Terent. And. IV, 8, 13, (vs. 809). Nonius II, 839, etc.

674. *At nimis*, etc. Aliquis vero dicat hunc ignem Ætneum ingentem nimis esse, etc. — *Incendii.* Alii per contractionem scribunt *incendi;* perinde est, quocumque modo scribas.

675. *Fluvius, qui visus.* Sensus quem Haverc. et Wak. probe quidem perspexisse videntur, sed artificiosius exprimunt (vide in Disq. var.), simplicissime hic est: Omnis fluvius, *quicumque* sit ab aliquo conspectus, ei, qui majorem antea non vidit, maximus videtur. Ceterum cum Wak. et omnibus libris *ei* scripsimus, non *eii*, ut vulgo exhibetur; cf. ad V, 753. *Forb.*

677. *Videtur;* ei scilicet qui majorem antea non vidit.

678. *Maxuma ... ingentia.* Id est, omnia *perquam magna*, quæ primum viderit, putat esse *absolute ingentia;* sive talia, quibus non sunt ingentiora. Vetus onomasticon impendio apposite: « *Magnus*, μέγας; *ingens*, μέγιστος ». Terentius Eun. III, 1, 1. *Wak.*

680. *Ad summam;* vs. 614. — *Summam summai;* III, 817.

681. *Nunc tamen olla*, etc. His 14 vss. jam peculiares causas reddit cur Ætna flammas et ignes evomat. *F.* — Vi venti fit eruptio; venti autem istius semina ex universo infinito veniunt, et in monte Ætna collecta flammas vel latentes in visceribus montis, vel ex ipso monte expressas ejiciunt. *Creech.* — *Irritata flamma.* Pari cum majestate et evidentia vocabulum ad rem, sensu atque anima carentem, transtulit Horatius Od. III, 29, 41: « diluvies irritat amnes ». *W.*

684. *Silicum cavernis.* I. e. silicibus cavernosis; ita exesa reliqua materie, ut hæ sint *columnarum* instar, quæ solum incumbens *sustineant.* W.

685. *In speluncis ventus.* Redi sis vs. 537. Nec, super hoc Ætnæ montis argumento, lectoribus erit injucunda collatio rationum, quas Justinus allegavit, in Hist. IV, 1. *W.*

686. *Ventus est agitando percitus aer.* Optima definitio, et quæ philosophis hodiernis sit complacita. Nihil egit Aristoteles Meteor. II, 4, et alii somniatores, in hac materia versati. *W.*

Digitized by Google

Hic ubi percaluit, calefecitque omnia circum
Saxa furens, qua contingit, terramque; et ab ollis
Excussit calidum flammis velocibus ignem;
Tollit se, ac rectis ita faucibus ejicit alte,
Vortitque ardorem longe, longeque favillam
Differt, et crassa volvit caligine fumum;
Extruditque simul mirando pondere saxa.
Ne dubites, quin hæc animai turbida sit vis.
Præterea, magna ex parte mare montis ad ejus
Radices frangit fluctus, æstumque resolvit.
Ex hoc usque mare speluncæ montis ad altas
Perveniunt subter fauceis: hac ire, fatendum est,

687. *Ubi percaluit;* quum ipse motu suo calorem concepit, et magno impetu circumrotatus, calefecit omnia quæ verberat saxa et terram; atque ex illis saxis et terra expressit ignem, etc. *Cr.*

690. *Rectis faucibus;* per directas montis fauces in altum erumpit.—*Ejicit.* Sic Forb. cum plurimis libris; Wakef. *eicit,* ut II, 951.

692. *Differt;* I, 273.

693. *Extruditque,* etc. Cf. mirabilem Virgilii descriptionem, Æn. III, 575 sqq.

694. *Quin hæc animai,* etc. Quin hæc omnia a vehementi vento fiant; vs. 591.

695. *Præterea magna,* etc. His 9 versibus aliam peculiarem addit causam, cur Ætna vomat ignes. Nimirum auxiliares annectit maris fluctus, quibus Ætnæ viscera percita conceptum intus ignem eructant per supremas fauces apertas. *F.* — *Parte;* verissime, ut opinor; nam cæsura et liquidum elementum satis potenter sustentabunt syllabam: nec crediderim, utut collatores taceant, vel uno in codice inveniri receptam lectionem, *parti. W.*

696. *Resolvit.* Id est, curvatos fluctus explicat evolvitque in plano littore, se remittens. *W.* — Vulgo *resorbet.*

697. *Mare.* Sic fortasse omnes libri. Vulgo *mari;* sed non erat de metri securitate cordatis ambigendum in cæsura, et ante literas longe validissimas *sp.* Wak. — *Ex hoc usque mare,* etc. Ab hoc autem æquore usque ad summas montis fauces cavernæ subter perveniunt.

698. *Hac ire, fatendum est,* etc. Locus est anceps, lubricus, perdifficilis, atque importunis hariolorum concertantium conjecturis longe vexatissimus. Nosmet in ea sumus sententia, ut omnes hi tumultus feliciter sedari possint salva religione codicum, de hac interpretatione et hoc ordine constructionis: « Fatendum est (*nam* res *ipsa* penitus cogit *fateri*), speluncas *hasce* ire et penetrare hac *via* », (per radices montis scilicet usque ad posituram faucium supra jacentium) « mari aperto », has speluncas sine impedimentis utique permeante. *Wak.* — Geminam causam incendii proponit; *ventum* in montis visceribus æstuantem, et *mare* speluncis subterraneis eo penetrans, et ibi fervorem concipiens. Ideo autem, quod *duplicem* rationem constituit, ait, *Præterea,* vs. 695; et, *Sunt*

Digitized by Google

Et penetrare mari, penitus res cogit, aperto,
Atque efflare foras; ideoque extollere flammam,
Saxaque subjectare, et arenæ tollere nimbos.
In summo sunt vertice enim crateres, ut ipsei
Nominitant; nos quod fauceis perhibemus et ora.
Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam
Non satis est, verum plureis; unde una tamen sit.
Corpus ut exanimum si quod procul ipse jacere
Conspicias hominis, fit ut omneis dicere causas
Conveniat leti, dicatur ut illius una.
Nam neque eum ferro, nec frigore vincere possis
Interiisse, neque a morbo, neque forte veneno;
Verum aliquid genere esse ex hoc, quod contigit ei,
Scimus: item in multis hoc rebus dicere habemus.
Nilus in æstatem crescit, campisque redundat,

aliquot quoque res, vs. 704. Denique, hæc fidem habebunt ex Claudiano Rapt. Pros. I, 171. *Bentl.*

700. *Efflare foras.* I. e. fatendum est, speluncas memoratas exspirare marinos fluctus, quos imbiberint. *W.*

701. *Subjectare*, quasi *de sub jacere*, vel saxa *subter* posita. Vide ad II, 191. *Wak.*

702. *Vertice enim.* Vide Disq. var.

703. *Nos quod;* illud quod nos vocamus. — *Ora.* Sic Lucan. I, 545, *ora Siculæ Ætnæ* dixit.

704. *Sunt aliquot quoque res*, etc. His 9 vss. postremis excusat se Poeta, pro multiplici allata causa, ratus in re ancipiti sic esse procedendum, donec una vera causa satisfecerit auditori. Rem exemplo confirmat. *F.* — Ad eumdem modum sæpe loquutus est Epicurus in epistola ad Pythoclem apud D. Laertium, compluscnlas causas rerum, si modo non sint phænomenis contrariæ, assignandas esse dicens. *W.*

705. *Verum plureis;* supple: oportet dicere. — *Una sit.* Id est, ex quibus unica reipsa exsistat; sit vera.

706. *Exanimum jacere;* Virg. Æn. VI, 149.

708. *Dicatur ut illius una.* H. e. ut causa illius leti, quo homo ille interiit, quæ una est tantum, dici possit. *Lamb.*

709. *Eum;* scil. hominem. — *Vincere*, probare; vs. 498.

710. *A morbo.* Omissam in aliis præpositionem, hic exprimit. — *Forte*, fortasse; vox ibi superflua.

711. *Quod contigit ei* (vs. 675); vide Disq. var.

712. *Habemus;* ἔχομεν λέγειν. E simili græcismo verbum habere usurpatum legitur I, 1068, et infra vs. 900. *Forb.*

713. *Nilus in æstatem*, etc. His 25 vss. disputat de Nili incremento æstivo. Cujus rei pariter non unicam causam reddit, sed quadruplicem; quarum duæ primæ remorantur aquas Nili, postremæ adaugent. His itaque 12 vss. prioribus prima continetur causa, cur Nilus crescat tempore æstivi solstitii, et totius

Digitized by Google

Unicus in terris, Ægypti totius amnis :
Is rigat Ægyptum medium per sæpe calorem;
Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra,
Anni tempore eo, qui Etesiæ esse feruntur;
Et, contra fluvium flantes, remorantur; et, undas
Cogentes sursus, replent, coguntque manere.
Nam dubio procul hæc advorso flabra feruntur
Flumine, quæ gelidis ab stellis axis aguntur :
Ille ex æstifera parte venit amnis, ab Austro,
Inter nigra virum percocto secla calore,

Ægypti campis exæstuet. Nimirum, forte quia venti contrarii tunc spirant. *F.* — *In æstatem;* ita ut, æstate jam ingrediente, ac maturescente, diluvium quoque ad maturitatem suam pedetentim veniat. Potest igitur phrasis *in æstatem,* si recte judicem, *propter æstatem*, in æstatis commoda, ob segetes ac proventus frugum. *Wak.* — Havercamp. (vide Disq. var.) et Wak. non recte explicare videntur. Mihi potius his verbis indicari videtur auctus aquarum *per æstatem in dies* (infra vs. 876) crescens. *Forb.* — Hunc sensum ego sequerer, ut sit : crescit usque in extremam æstatem; quod confirmare videtur Lucanus X, 219 : « Nilo, quod crescat in arva », id est, usque in arva, per omnes agros se effundens. Vide quæ nos, ibid. ad vs. 215 contulimus. Ed.

714. *Unicus*, etc. I. e. ille amnis, a quo tota pendet Ægyptus, ita ut nullum alium amnem ex suis habeat in pretio, unicus est in terrarum orbe qui sic redundet. Nescivere scilicet veteres idem accidere nonnullis etiam orientalis Indiæ fluminibus. *Wak.*

715. *Rigat medium per calorem.* Nimirum postquam plene intumuerit, ad hoc usque tempus gradatim crescens. *Wak.* — *Sæpe.* Hoc dicit, quia fiebat aliquoties, ut flumen illud ad justam redundationis suæ amplitudinem, quæ toti irrigandæ terræ sufficeret, haud insurgeret. *Wak.* — Vide Disq. var.

716. *Aquilones,* venti ab septemtrione flantes, qui cogunt aquas Nili revertere in seipsas adverso flumine. *F.* — Conf. Isidor. Origg. XIII, 21.

717. *Qui;* sc. Aquilones; syllaba corripitur, ut Virgil. Ecl. VIII, 108. — *Etesiæ esse feruntur*. Vide ad V, 741. — In nominibus propriis non solum elisionem sæpius neglectam, immo etiam nominativum pluralis in *æ* ante sequentem vocalem more Græcorum hic ibi correptum fuisse, non est incognitum. Cf. Virg. G. IV, 461; Æn. III, 211; et qui ante omnes huc quadrat, Cic. Orat. 45, « Etesiæ in vada ponti ». *Forb.*

719. *Sursus.* Nempe seorsum versus caput Nili. — *Replent;* nempe *fluvium*, ultra ripas. *W.* — *Cogentes, cogunt.* Aliud alio sensu : contrahentes, subigunt.

721. *Axis;* septemtrionalis, ubi gelidum cœlum, gelidæ stellæ.

722. *Æstifera parte;* ab axe illi opposito; qua parte ad nos calores veniunt. — *Parte;* vs. 695.

723. *Nigra sæcla,* Æthiopum gentem, ad Lunæ montes.—*Percocto calore :* vs. 1108. Senec. Œdip. 122, simillima ratione dicit : « (Phœbus) flamma propiore nudos Inficit Indos ». *Calor* autem e solemni poetarum consuetudine pro *effectu* ejus positum est. *Forb.*—Vide Disq. v.

Digitized by Google

Exoriens penitus media ab regione diei.
  Est quoque, uti possit magnus congestus arenæ
Fluctibus advorsis oppilare ostia contra,
Quom mare, permotum ventis, ruit intus arenam;
Quo fit uti pacto liber minus exitus amnis,
Et proclivus item fiat minus impetus undeis.
  Fit quoque, uti pluviæ forsan magis ad caput ejus
Tempore eo fiant, quo Etesia flabra Aquilonum
Nubila conjiciunt in eas tunc omnia parteis.
Scilicet ad mediam regionem ejecta diei
Quom convenerunt, ibi ad altos denique monteis
Contrusæ nubes coguntur, vique premuntur.
  Forsitan Æthiopum penitus de montibus altis

724. *Exoriens.* Multa veteres, multa recentiores de Nili fonte disseruere; neque satis inter doctos constat. Vide quæ notavimus ad Lucan. X, 295; et ibid. Disq. var. ad vs. 268. Ed. — *Media regione diei,* meridionali regione; vs. 733.

725. *Est quoque, uti possit,* etc. His 5 vss. continetur altera causa incrementi Nili. Nimirum quidam voluerunt Nilum increscere ex arenarum cumulis, quos maris ferocia cogat ad ostia Nili; unde aquarum fluminis fiat obstructio. Hanc quoque rationem commemorat Pompon. Mela. *F.*

726. *Oppilare,* Græcorum ἐμφράττειν, quod Lamb. interpretatur: obstare, instar multarum pilarum seu columnarum confertim oppositarum. — Ideo hic ponitur pro *obstruere*, implere et occludere ostia fluminis; sive ut Gesner. in Thes. explicat: « resistere advenientibus fluctibus suo obice, imitante pilam saxeam, quæ in mare jacitur ». Conf. Cic. Phil. II, 9. *Forb.*

727. *Ruit*, propellit, volvit. Sic I, 293; Virg. G. I, 105.

728. *Quo fit uti pacto.* Id est, quo pacto fit uti, etc. — *Amnis.* Vulgo *amni*, contra plures libros.

729. *Proclivus.* Lucretius adjectiva, vulgo in *is* desinentia, antiquiori ratione in *us* terminare solet; cf. II, 845. Forma *proclivus* occurrit apud Varr. R. R. II, 2, 7; Catull. LXIV, 270; Plaut. Mil. IV, 2, 27; Senec. Epist. 86. *Forb.*

730. *Fit quoque, uti pluviæ*, etc. His 6 vss. continetur tertia causa cur Nilus crescat; scilicet ex pluviis, quæ ad caput ejus, cogentibus nubes Etesiis ad altos Æthiopiæ montes, cadant, et augeant undas Nili. *F.*

731. *Quo Etesia flabra Aquilonum.* Similis est numerorum ratio superius, vs. 717. Ad rem cf. V, 741.

733. *Mediam regionem diei;* vs. 724. *Ejecta* vero, *ex* locis circumjacentibus, ubi prius morarentur. *Wak.*

735. *Contrusæ nubes.* Lucan. X, 243: « et fluvio cogunt incumbere nimbos ».

736. *Forsitan Æthiopum,* etc. His 3 vss. postremis quarta continetur causa incrementi Nili. Constat autem jam nunc ætate nostra germanam Nili incrementi causam esse pluvias, quæ a medio cir-

Digitized by Google

Crescat, ubi in campos albas descendere ningueis
Tabificis subigit radiis sol, omnia lustrans.
Nunc age, Averna tibi quæ sint loca quomque lacusque,
Expediam; quali natura prædita constent.
Principio, quod Averna vocantur nomine, id ab re
Impositum est, quia sunt avibus contraria cuncteis,
E regione ea quod loca quom venere volantes,
Remigiom oblitæ, pennarum vela remittunt,
Præcipitesque cadunt, molli cervice profusæ,
In terram, si forte ita fert natura locorum;
Aut in aquam, si forte lacus substratus Averni.

citer Junio in Septembrem usque vigent in Æthiopia. Nempe illic hyems est, quæ a fine circiter Maii durat ad initium Septembris. Ita testatur Alvarez, Fernandus, et alii recentiores. Quod etiam confirmatur ex fluvii Nigri incremento iisdem temporibus. Constat enim Nigrum fluvium ob easdem Æthiopiæ pluvias eodem tempore increscere, quo Nilus. Quod et Plinio innotuit; V, 8. *F.* — *Forsitan.* Sic omnes libri; quod vulgari solet, *Forsit et*, commentitia est lectio temerariorum editorum. Verum enim dictiones omnes, si in his imperium obtinerem, separatas prætulissem, « Fors sit an ». *W.*

737. *Crescat*, posset crescere. Conjunctivus dubitationem melius exprimit. Vel primario sensu aliqua fuit in hoc adverbio virtus, quasi dictum foret *fieri potest ut.* Sic enim Terent. Eun. I, 2, 117 (vs. 197) : « forsitan hic mihi parvam habeat fidem »; Virg. Ecl. VI, 59, *forsitan perducant;* et Cic. pro Rosc. Amer. cap. 2, *forsitan quæratis.* Ed.— *Descendere.* Hoc verbo Lucretius utitur de rebus cœlitus in terram cadentibus; vs. 403, 427, 438. *Forb.* — *Ningueis*, nives, veteri vocabulo. Hanc opinionem refutat ipse Lucanus X, 221 sqq.

738. *Tabificis*, liquefacientibus, vim liquefaciendi habentibus, facientibus *tabem*, ut ait, I, 806.

739. *Nunc age, Averna*, etc. His 102 vss. jam luculentam disputationem instituit Poeta de Avernis locis, deque pestilentis ac gravibus quibusdam in locis odoribus. *F.* — De locis Avernis cf. Servium ad Æn. III, 442.

741. *Principio, quod Averna*, etc. His 7 vss. primum præmittit etymologiam, seu rationem nominis, eamdem scilicet, quam Virgilius eum imitatus reddidit Æn. VI, 239 sqq. *F.* — *Id ab re.* Græcis quippe Ἄορνος locus dicitur, quod est sine avibus. Namque halitus inde ejectus adeo teter est, ut enecet aves supervolantes. *F.*

743. *E regione;* vs. 344. — *Ea loca venere;* subintell. *ad;* neque opus est correctione *advenere*, teste etiam Virgilio qui verba assumpsit, Æn. VI, 191, *cœlo venere volantes.* Ed.

744. *Remigium oblitæ.* Alii legunt *remigii :* sed utrumque casum pariter admittit verbum *obliviscar.* Metaphoram mutuatus est Virg. Æn. VI, 19.

745. *Molli cervice profusæ.* Imitatur in bove languente Virgil. Georg. III, 524 : « *Ad terram*que *fluit* devexo pondere *cervix* ». Hav.

747. *Lacus Averni;* vs. 739. — Edi-

Digitized by Google

Is locus est Cumas apud; acri sulfure montes
Oppletei calidis ubi fumant fontibus auctei.
Est et Athenæis in mœnibus, arcis in ipso
Vertice, Palladis ad templum Tritonidis almæ,
Quo nunquam pennis appellunt corpora raucæ
Cornices; non, quom fumant altaria donis.
Usque adeo fugitant, non iras Palladis acreis,
Perviligii causa, Graium ut cecinere poetæ;
Sed natura loci opus efficit ipsa suapte.
In Syria quoque fertur item locus esse videri,
Quadrupedes quoque quo, simul ac vestigia primum

tores hodierni ex arbitrio, *Averno est;* nescio an impudentius, an inscitius. *W.*

748. *Is locus est,* etc. Versus omnium fere vexatissimus. Vide in Disq. var. Bentleius legit *ut;* sed nostra lectio, ni fallor, eodem redit : *is locus est,* talis vel hujusmodi est locus apud Cumas; in quo montes *oppleti acri sulfure,* gravem sulfuris odorem exhalantes, « fumant aucti calidis fontibus » calidorum insuper fontium fumos emittunt; id est, e calidis fontibus fumum sulfuris odore graveolentem exhalant. Sic locus mihi videtur exponendus; qui eum protulerunt viri docti, non interpretati sunt. Ed.

750. *Est et Athenæis,* etc. His 7 vss. talem etiam locum esse ait Athenis, in vertice Arcis juxta templum Palladis. *F.*

751. *Tritonidis almæ.* I. e. quæ *alat,* vel nutriat : propter oleæ pinguissimæ fecunditatem, ut puto; cujus Minerva inventrix erat, et quæ inter veterum hominum *alimenta* magno esset in pretio : redeas ad I, 2. *W.*

752. *Pennis appellunt,* ope, vel remigio alarum admovent.

753. *Non,* ne tunc quidem, *quom fumant,* etc. Quo tempore verisimile erat cornices advolaturas propter odorem victimarum cæsarum, et crematarum.

754. *Usque adeo fugitant,* etc. Vide quæ de sensu notantur infra in Disq. v.

755. *Pervigilii.* De metro cf. vs. 674.

756. *Loci opus.* Vulgo *hoc opus,* nempe indoctissimi scribæ virtutes hujusce cæsuræ nescivere, quibus Græci sic sæpissime abutuntur. Cursum constructionis deflectit Noster, ut optimi scriptores haud raro. Rectus fuisset : Cornices fugitant, non iras Palladis, sed *naturam loci.* W.

757. *In Syria quoque,* etc. His 4 vss. tradit talem esse locum etiam in Syria. Putat autem Lambinus eum significari locum Plutonium, qui est in Hierapoli non procul a Laodicea; de quo vid. Strabo lib. XIII. Est etiam Panium antrum in radice montis Libani, quod gravem ac mortiferum spiritum exhalat. *F.* — *Quoque item;* cf. vs. 503. — *Esse videri.* Si sana est hæc lectio, nihil ad eam explicandam commodius video quam : locus, ut ferunt, esse videtur. Sed consule Disq. var. Ed.

758. *Quadrupedes quoque.* I. e. *vel* quadrupedes, majores ac fortiores *avibus.* Wak. — Recte illud *quoque :* antea nam de *avibus* tantum, et *Aornis.* Et illud *simul ac primum* non fuit sollicitandum Fabro. Vide vs. 822; IV, 212; V, 287. *Bentl.* — Quo *in loco* vis cogat quadrupedes concidere, simul ac intule-

Digitized by Google

Intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa,
Manibus ut si sint Divis mactata, repente.
Omnia quæ naturali ratione geruntur;
Et, quibus e fiant causis, apparet origo:
Janua ne posita his Orci regionibus esse
Credatur; post hinc animas Acheruntis in oras
Ducere forte Deos Maneis inferne reamur:
Naribus alipedes ut cervei sæpe putantur
Ducere de latebris serpentia secla ferarum.
Quod procul a vera quam sit ratione repulsum,
Percipe: nam nunc re de ipsa tibi dicere conor.
Principio hoc dico, quod dixi sæpe quoque ante,

rint vestigia, etc. Nam, si illud *quo* ad alteram clausulam, ut interprès fecit, referas, perit una latinitatis ratio; quum non alia constructio tempori dictionis *cogat* sit accommoda. *W.*

759. *Ipsa* vulgo intelligunt de quadrupedibus antea dictis, ita ut mutetur genus. — Sed omnino pessime; quod vel satis evincitur certissima, quam modo dedimus, interpretatione. Nimirum *ipsa vis*, est solus halitus per se, nullo hominum interea percutiente. *W.*—At saltem generis mutatio fit in τῷ *mactata;* unde dubia est constructio. Ed.

760. *Manibus divis;* III, 52.—Recte, nam his *deis subterraneis* ad specus et hiatus tales, mephitim sulfuream exspirantes, sacrificia mactabantur: conferas Virg. Æn. VI, 236-255. *W.*—Ceterum τὸ *repente* nobis videtur pulchrius redire ad clausulam, de qua nunc agitur: adeoque distinctiones ponimus. Neque huic suspensæ constructioni non sua venustas inest. *W.* — Distinctionem vero sustulit Forbiger, quæ vix quidquam facit ad rem; nam perinde est. Edidit præterea *divis,* in ablativo, quasi ab ipsis diis immolata sint; rectius, ut opinor. Ed.

761. *Omnia quæ naturali,* etc. His 9 vss. monet jam ea omnia naturali ratione fieri. Hinc falso a poetis finguntur ea loca Averna esse januas Orci, seu Inferorum. Quas fabulas commenti sunt tantum poetæ, ut hominibus terrorem incuterent. *F.*

762. *Quibus e;* I, 841.

764. *Post.* I. e. ne *primum* credas hic situm esse Orcum; *deinde*, quum error pariat errorem, animas mortuorum hinc exciri: quæ sunt ineptæ superstitiosorum hominum opiniones. *W.*

766. *Naribus alipedes*, etc. Cervi enim quibus pedes alarum sunt loco, quia pedum celeritate mira præstant, naribus serpentes e latebris ducere dicuntur. Plin. XI, 53, s. 115, ubi idem dicit de elephantis. *F.* — De hac fabula si consulas Ælian. De an. II, 9; Oppian. Cyneg. II, 233, et scriptores, quos editores doctissimi laudaverint, nihil amplius super hac re communicandum desiderabis. *W.*

770. *Principio hoc dico*, etc. His 49 vss. priusquam hæc naturali ratione fieri demonstret Poeta, rem veluti altius repetens refricat Memmio suo memoriam eorum, quæ lib. I et II docuit, nempe contineri in terra atomos rerum multi-

In terra quojusque modi rerum esse figuras:
Multa, cibo quæ sunt vitalia; multaque, morbos
Incutere et mortem quæ possint accelerare:
Et magis esse alieis alias animantibus aptas
Res ad vitai rationem, ostendimus ante,
Propter dissimilem naturam dissimileisque
Texturas inter sese, primasque figuras:
Multa meant inimica per aureis, multa per ipsas
Insinuant nareis infesta atque aspera tactu:
Nec sunt multa parum tactu vitanda, neque autem
Adspectu fugiunda, saporeque tristia quæ sint.
  Deinde videre licet, quam multæ sint homini res
Acriter infesto sensu, spurcæque gravesque.
Arboribus primum certeis gravis umbra tributa;
Usque adeo, capitis faciant ut sæpe dolores,
Si quis eas subter jacuit prostratus in herbis.
  Est etiam magnis Heliconis montibus arbos,
Floris odore hominem tetro consueta necare.

formes, quarum aliæ beneficæ sint animantibus, aliæ perniciosæ, ob naturæ dissimilitudinem, obque diversam figurarum texturam. Cujusmodi rem pergit variis exemplis ostendere. *F.* — *Quod dixi sæpe.* Præsertim II, vs. 333 sqq.

771. *Figuras.* H. e. atomorum formas; II, 101.

772. *Multa, cibo quæ sunt.* Alii *multa homini.* Wakef. e quorumdam librorum *aeque*, conjicit *et quæ*, ut ordo sit, vel *Multa cibo;* i. e. pro cibo: vel *multa quæ sunt cibo:* utravis eleganter, sive τὸ *cibo* referatur ad *multa*, sive ad *sunt.* W. — Sed cum Forbigero vulgatam malo.

775. *Ante.* Lib. IV, 635 sqq.; V, 897.

777. *Multa meant*, etc. Idcirco multas res hominibus infestas esse ait, et omnes sensus nostros male afficere, quia variis figuris præditæ constant. *F.*

779. *Aspera tactu.* Vulgo contra omnes libros *odore.* Sed *tactum* de omnibus sensibus usurpat Noster; cf. II, 408.

780. *Tactu vitanda.* Ad sensum nempe maxime proprium atque usitatum nunc vocem Noster refert; ut modo generalius adhibuit. *W.*

781. *Tristia,* amara; IV, 124.

784. *Arboribus primum*, etc. Tacet nomen arboris, cujus umbra nocet. Plinius N. H. XVII, 12, s. 18: « Juglandium gravis et noxia est umbra, etiam capiti humano, omnibusque juxta satis ». Virg. Ecl. X, 75: « solet esse gravis cantantibus umbra; Juniperi gravis umbra ».

787. *Heliconis montibus arbos.* Quænam illa sit, divinabunt alii. Quidam existimant esse taxum. Sed cur nos ad Heliconem mitteret? taxus enim frequens erat in Italia. Dein verum illud de taxo

Digitized by Google

Scilicet hæc ideo terris ex omnia surgunt,
Multa modis multis multarum semina rerum
Quod permixta gerit tellus, discretaque tradit.
Nocturnumque recens exstinctum lumen, ubi acri
Nidore offendit nareis, consopit ibidem
Concidere; ut pronos qui morbus mittere suevit.
Castoreoque gravi mulier sopita recumbit,
Et manibus nitidum teneris opus effluit ei,
Tempore eo si odorata est, quo menstrua solvit.
Multaque præterea languentia membra per artus

non est, *floris odore necare. Faber.* — Ceterum mortiferam hanc vim Americanæ arbori (*le mancenillier*) attribuunt etiamnum naturalis historiæ periti. Ed.

789. *Terris ex;* I, 841.

790. *Multa multarum.* De his formulis vide ad I, 814.

791. *Discreta.* I. e. separata; ita ut noxia semina aliquoties non mixta, et sine salubribus, conveniant. *W.*

792. *Nocturnum lumen,* lucernæ fumus; de quo Plin. VII, 7, s. 5.

793. *Consopit ibidem concidere* per græcismum posita censeo pro « ita consopit ut faciat concidere », quod jam Turnebo Advers. XXVI, 13, et Palmerio in Gruteri Thes. IV, p. 849, placuisse video. Quum vero Romani sententias, quæ finem aliquem indicant, interdum per infinitivum, non per *ut* cum conjunctivo exprimant (Virg. Æn. VI, 313; Horat. Epist. I, 2, 27; Claudian. XXXVII, 59, al.); quidni Lucretio, Græcarum constructionum amantissimo, aliquando etiam conjunctivum cum *ut*, consequutionis indice, in infinitivum mutare licuerit? *Forb.*

794. *Ut pronos,* etc. Quod, nisi videretur *apoplexiæ* comparationem instituere Lucretius, nec morbus comitialis vehementiores motus, quam qui loco conveniant (videas III, 486-496, et diligenter cum coram positis committas), excitaret, omnino probavissem divinationem Lambini: « ut *spumas* qui *morbo* mittere suevit ». *Wak.*—Vide Disq. var.

795. *Sopita.* I. e. caligans et soporata in animi deliquio. Julius Solinus c. XII: « qua *odoris* novitate *obsopitus,* aliquantisper pro *exanimi* jactitatus est, etc. » *Wak.*

796. *Nitidum opus.* Nempe tela aut opus ad lanificium pertinens: quod nitidum vocat, propter varios colores quibus splendet; vel quod plane perfectum est. *F.* — *Teneris,* χερσὶν ἀπαλαῖς, Homer. Od. XXI, 150. Fortassis autem *teneris manibus* rectius interpretemur per ὑγραῖς, flexilibus, mollibus, languidis. *Wak.*

797. *Si odorata est.* Rationem metri clarius perspicies, rescribendo ad antiquissimam normam *sei:* senties enim, altera vocali elisa, alteram relinqui. Similiter in Græcis hoc genus vocabulis. *W.* — Cf. II, 404; V, 7, etc.

798. *Multaque præterea,* etc. His 2 vss. monet alia esse similia, quæ noceant hominibus. — *Languentia membra per artus.* Ita scilicet, ut iste languor in omnia *membra* diffundatur, per omnes *juncturas* penitus propagatus. Quid distent inter se *membra* et *artus* (membrorum ligaturas), alibi nos exposuimus. *W.*

Digitized by Google

Solvunt, atque animam labefactant sedibus intus.
Denique, si calidis etiam conctere lavabris
Plenior, et flueris solio ferventis aquai,
Quam facile in medio fit uti des sæpe ruinas?
Carbonumque gravis vis atque odor insinuatur
Quam facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus ante?
At, quom membra domus percepit fervida, nerveis
Tum fit odor vini plagæ mactabilis instar.
Nonne vides etiam terra quoque sulfur in ipsa
Gignier, et tetro concrescere odore bitumen?
Denique, ubi argenti venas aurique sequuntur,
Terrai penitus scrutantes abdita ferro,
Qualeis exspiret scaptensula subter odores?
Quidve mali fit, ut exhalent aurata metalla?

800. *Lavabris.* Profecto, quantum sciam, vox *lavabrum* alibi non exstat, sed speciem primitivæ dictionis præ se fert; unde, Æolico digamma extrito, factum est *laabrum* et *labrum.* W.

801. *Plenior*, cibo distentus; *turgidus*, ait Juvenal. I, 143. — *Et flueris.* Si ita te perfuderis aqua, ut rivi ejus de corpore defluant. Vide Disq. var. — *Solio. Solium* vas in quo lavabant sedentes, atque idem fortasse quod *labrum. Lamb.*

802. *In medio des ruinas.* Quam facile fit ut in medio isto vase corruas et animi deliquium patiaris.

803. *Vis atque odor.* Id est, gravis vis odoris. *W.*

804. *Præcepimus ante,* hausimus antequam odor carbonum in cerebrum insinuari possit. *Lamb.*

805. *At, quom membra domus.* At quum odor vini invasit varia domus cubicula, tunc homo quasi mortifero ictu prosternitur. Vide Disq. var. Ed. — *Percepit;* III, 29, 80. — *Nervi* hic aptissime commemorantur, quippe quibus resolutis membra langueant et corpus concidat.

806. *Mactabilis,* activo sensu : quæ mactare potest.

807. *Sulfur* et *bitumen,* quæ homini maxime sunt noxia, eumque tetro odore præfocare possunt.

809. *Denique, ubi,* etc. Denique nonne vides, quales odores exspiret scaptensula, ubi, seu in qua, homines auri atque argenti venas sequuntur, terræ partes abditas ac retrusas ferro scrutantes? *Lamb.*

811. *Scaptensula.* Locus in Macedonia, ubi argentum fodi solebat, a verbo σκάπτω, fodio. Apud Stephanum legitur σκαπτησύλη, fossilis materia. Quamquam ille non in Macedonia, sed in Thracia eam collocat. *F.* — Nomen generale est, *materia fossilis* scilicet; vocamus *la terre de mine.* Neque hic de Thraciæ loco cogitandum. *Faber.* — *Subter,* adverbium est; sub terra.

812. *Quidve mali fit.* Ita mentem loci capimus et exponimus : « Quidnam id est malum, unde aurata metalla tales

Digitized by Google

Quas hominum reddunt facies, qualeisque colores?
Nonne vides, audisve, perire in tempore parvo
Quam soleant; et quam vitai copia desit,
Quos opere in tali cohibet vis magna, necesse est?
Hos igitur tellus omneis exæstuat æstus;
Exspiratque foras in aperta promptaque cœli.
Sic et Averna loca alitibus submittere debent
Mortiferam vim, de terra quæ surgit in auras,
Ut spatium cœli quadam de parte venenet;
Quo simul ac primum pennis delata sit ales,
Impediatur ibi, cæco correpta veneno,
Ut cadat e regione loci, qua dirigit æstus:
Quo quom corruit, hæc eadem vis illius æstus
Reliquias vitæ membris ex omnibus aufert.

halitus emittant?» Quasi diceret: Res ipsa, et sensuum testimonia, liquidissime ostendunt, quæcumque demum sit causa, pestiferas exhalationes exspirari terra. *W.*

813. *Quas hominum reddunt facies.* Nimirum, quam pallidas, quam lividas, et quam exsangues; ita ut videantur mortui ambulare. *F.*

815. *Desit, quos*, etc. Desit iis quos *vis magna*, i. e. necessitas (durum telum) et servitus (erant enim olim servi pœnæ, damnati ad opus metalli) cohibet et continet in tali opere. *Lamb.*

816. *Necesse est.* Et quam necesse est cito pereant, etc. Vide Disq. var. ad vs. 817.

817. *Æstus*, vapores tetros. Non omnium tamen metallorum unus est odor: odor enim auri igne calefacti suavis est: argenti minus gratus: æris spurcus: ferri teter. *Lamb.*

818. *In aperta promptaque cœli*, in apertas et promptas cœli auras, in apertum cœlum. *F.*

819. *Sic et Averna loca*, etc. His 12 vss. concludit a simili, ut aiunt, terram ex iis locis, quæ Averna vocant emittere atomos tetras et graveolentes, quæ et volucres prætervolantes, et quadrupedes ingressos enecent. *F.* — *Submittere*, sursum mittere; I, 8.

824. *E regione loci*, etc. Ita ut in eum locum, e quo noxii halitus erumpunt, directo cadat. *Cr.* — Cf. vs. 344, —Verbum *dirigit* et Fabro, qui *se erigit* conjecit, et Bentleio temere suspectum fuisse, Wak. rectissime docet, non solum ad usum Lucretii, qui verbis activis neutrali significatione positis summopere gaudeat, sed etiam ad Hirt. Bell. Hisp. c. 29, et Cic. De divin. I, 14, provocans. *Forb.*

825. *Quo quom corruit*, etc. Quum vero in eum locum, *in fontes veneni*, ut ait vs. 829, avis decidit, hæc eadem vis tetri vaporis quæ avem volantem corripuerat, tunc eam omnino enecat. Sensus apertissimus est: quare miror locum sic a Wakef. et Forbigero distingui: « quo quom corruit hæc e. v. i. æstus, reliquias vitæ, etc.» Ed.

Digitized by Google

Quippe etenim primo quasi quemdam conciet æstum;
Posterius fit, uti, quom jam cecidere veneni
In fonteis ipsos, ibi sit quoque vita vomunda,
Propterea quod magna mali sit copia circum.
  Fit quoque, ut interdum vis hæc atque æstus Averni
Aera, qui inter aveis quomque est terramque locatus,
Discutiat, prope uti locus hinc linquatur inanis:
Quojus ubi e regione loci venere volantes,
Claudicat extemplo pennarum nisus inanis,
Et conamen utrimque alarum proditur omne.
Hic, ubi nictari nequeunt, insistereque alis,
Scilicet in terram delabi pondere cogit
Natura; et, vacuum prope jam per inane jacentes,
Dispergunt animas per caulas corporis omneis.
  Frigidior porro in puteis æstate fit humor,

827. *Conciet æstum.* Halitus iste noxius primo quamdam veluti perturbationem excitat. Mutatur hic sensus verbi *æstus;* cf. IV, 1020.

828. *Cecidere.* Suppl. aves. Mutatur enim numerus; quod familiare est Lucretio. *F.*

829. *Vita vomunda*, vita amittenda, anima efflanda; Virg. Æn. IX, 349.

831. *Fit quoque, ut interdum*, etc. His 10 vss. novam subnectit causam, cur alites cadant in Averna loca; quasi, inani facto aere per halitum tetri vaporis, aves sustentari nequeant. *F.* — *Vis atque æstus.* Idem est quod modo vs. 825, *vis illius æstus.*

834. *E regione loci*, super quem locum quum ad perpendiculum aves venerint. *Cr.* — Cf. vs. 824.

835. *Claudicat nisus;* pennæ quibus nitantur deficiunt. Wak. *nixus.*

836. *Proditur,* aere fidem fallente.

837. *Nictari.* Vulgo *nixari;* per frigidissimam ταυτολογίαν, atque etiam longissime lectionis infra nostræ venustatem. *Wak.* — Vide supra vs. 182.

838. *Scilicet;* ideo, hinc profecto.

839. *Vacuum prope.* I. e. tantum non vacuum aera; ut modo supra, v. 833. — *Jacentes*, qui sunt languidi, et omnium virium expertes. *W.*

840. *Caulas*, poros; III, 702.

841. *Frigidior porro*, etc. His 76 vss. mirabilia quædam naturæ arcana recenset, et scrutatur. — Multa videntur adeo humanis usibus accommodata, ut benignam quamdam providentiam demonstrent: ita tempore æstivo aqua in puteis frigida est, unde istius tempestatis calor temperetur: hyberno autem calida, qua refici pariter et recreari possimus. Istam vero difficultatem vss. 8 amolitur poeta, nam in æstate terræ superficie a solis radiis rarefacta, semina ignis quæ in terra continentur in aerem erumpunt, hyberno autem frigore constricta, in puteos exprimuntur, atque inde tepor aquæ. *Cr.* — Ceterum vera hujusce effectus causa pendet, ut notum est, ex diversa tantummodo externi aeris temperie. Servius

Rarescit quia terra calore, et semina si qua
Forte vaporis habet, propere dimittit in auras :
Quo magis est igitur tellus effeta calore,
Fit quoque frigidior, qui in terra est abditus, humor.
Frigore quom premitur porro omnis terra, coitque,
Et quasi concrescit; fit scilicet in coeundo
Exprimat in puteos, si quem gerit ipsa, calorem.
  Esse apud Hammonis fanum fons luce diurna
Frigidus, et calidus nocturno tempore, fertur.
Hunc homines fontem nimis admirantur, et acri
Sole putant subter terras fervescere partim,
Nox ubi terribili terram caligine texit;
Quod nimis a vera est longe ratione remotum.
Quippe ubi sol, nudum contrectans corpus aquai,
Non quierit calidum supera de reddere parte,
Quom superum lumen tanto fervore fruatur;

insuper respicit hunc locum Lucretii ad Virg. G. IV, 51. *Wak.*

844. *Effeta.* I. e. quasi defessa et confracta, calore solis exhausta. Sic nimirum diserte scriptum est, atque temeritatis minime condonandæ fuerit ex arbitrio demutare, in exemplaribus castissimis ac vetustissimis. *W.*

847. *Fit scilicet;* ideo fit ut exprimat, etc. — *In coeundo.* Sic omnes scripti, et impressi veteres. Editores deturpavere versiculum rescribendo *ut*, ex arbitrio, contra morem Lucretii, et exquisitissimam dicendi formam; vide vs. 406. *W.*

848. *Exprimat* (vs. 868), per compressionem emittat semina caloris quæ in se continet. *Lamb.* — *Gerit;* vs. 539.

849. *Esse apud Hammonis,* etc. His autem 31 vss. seqq. sciscitatur unde fiat ut fons ad Hammonis templum interdiu frigidus sit, noctibus vero ferveat. *F.*— De hoc fonte docti omnia congesserunt ad Q. Curt. IV, 7, 2; Pomp. Mel. I, 8, in.; Ov. Met. XV, 309; Sil. Pun. III, 669. *W.*

850. *Et.* Vulgo *at;* contra libros: quæ vox tamen bene exprimeret τὸ *rursus* Solini, cap. XXIX, hanc rem tractantis. *Wak.*

852. *Sole putant.* Vide in Disq. var. ad vs. 849. — *Partim.* I. e. ἐκ μέρους, vel ἐν μέρει· vicissim: *noctu* scilicet; quia reliqua omnia e contrario *interdiu* fervescant. Vulgo *raptim;* sed renuentibus, ut videtur, vetustis universis exemplaribus. *W.*

853. *Terribili caligine,* στυγερῷ σκότει· Hom. Iliad. E, 47. Conferas IV, 461. *Wak.*

855. *Nudum,* patens, solis calori plane expositum. — *Sol contrectans.* I. e. tangens undique, et quasi *palpans* igni; adeas quæ dedimus in Silv. Crit. IV, p. 227, et in notis ad Soph. Trach. 685 huc egregie facientia. *W.*

856. *Non quierit,* quum ne potuerit quidem superne calefacere, quamquam tantus sit ille solis desuper fulgentis calor.

Digitized by Google

Quî queat hic, subter tam crasso corpore terram,
Percoquere humorem, et calido sociare vapore?
Præsertim, quom vix possit per sæpta domorum
Insinuare suum radiis ardentibus æstum?
 Quæ ratio est igitur? Nimirum, terra magis quod
Rara tenet circum fontem, quam cetera tellus,
Multaque sunt ignis prope semina corpus aquai.
Hoc, ubi roriferis terram nox obruit umbris,
Extemplo subtus frigescit terra, coitque:
Hac ratione fit, ut, tamquam compressa manu sit,
Exprimat in fontem, quæ semina quomque habet ignis;
Quæ calidum faciunt laticis tactum atque vaporem.
Inde, ubi sol radiis terram dimovit obortis,
Et rarefecit, calido miscente vapore;
Rursus in antiquas redeunt primordia sedeis
Ignis, et in terram cedit calor omnis aquai:
Frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurna.
 Præterea, solis radiis jactatur aquai
Humor, et in lucem tremulo rarescit ab æstu:

858. *Quî queat*, quomodo ipse idem, subter terram tam spissam crassamque, possit, etc.

859. *Sociare vapore*, temperare calore et calefacere. *Lamb.*

860. *Sæpta domorum*, I, 490.

861. *Æstum*, calorem.

863. *Tenet circum fontem*, fontem circum amplectitur. Vide Disq. var.

865. *Hoc*. I. e. *hoc modo*, vel *ob hoc*: uti nusquam non Lucretius (IV, 361): editores tamen de suo, ut alibi, *Hinc*. W.

866. *Subtus*. Quid si, *supera?* nam superficies terræ frigescit. An subter umbras? *Bentl.* — Posterior ratio unice vera, ideoque conjectura superflua videtur. *Forb.*

868. *Exprimat*, etc. Cf. vs. 848.

869. *Tactum atque vaporem*. I. e. non tantummodo calidum *tangenti*, sed *re vera* calidum. *W.* — *Vaporem* hic ego intelligerem *la vapeur*, halitum seu fumum aqua calida emissum. Ed.

870. *Terram dimovit*. Fortioribus verbis usus est, et audacter poeticis: quasi lucis *ictus* vibratæ solum *penetrarent* atque disjicerent. Virg. G. II, 513: « *terram dimovit* arâtro ». Solis *calore* terram *findi* notior est dicendi locutio, ac pedestri orationi convenientior. *W.*

871. *Miscente*. Suppl. seipsum intra terræ partes: intransitive, ut solet.

873. *Ignis primordia*; cf. vs. 868.

875. *Jactatur*, sole scilicet radiorum *tela* in aquam *jaculante*; ut I, 148. Et ita *jactatur*, ut *commotio* partium humidarum excitetur. *W.*

876. *In lucem*. I. e. ita prius jactatur

Digitized by Google

Propterea fit, uti, quæ semina quomque habet ignis,
Dimittat; quasi sæpe gelum, quod continet in se,
Mittit, et exsolvit glaciem, nodosque relaxat.
  Frigidus est etiam fons, supra quem sita sæpe
Stuppa jacit flammam, concepto protinus igni;
Tedaque consimili ratione, accensa per undas,
Collucet, quoquomque natans impellitur auris:
Nimirum, quia sunt in aqua permulta vaporis
Semina; de terraque necesse est funditus ipsa
Ignis corpora per totum consurgere fontem,
Et simul exspirare foras, exireque in auras;
Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri fons.
  Præterea, dispersa foras, erumpere cogit
Vis per aquam subito, sursumque ea conciliare:

quam lux fiat, ut appropinquante luce jam rarescat. Havercampus recte composuit *in æstatem*, vs. 713 superius. *W.* — Equidem malim: cum æstu in diem crescente magis magisque rarescit. *Forb.* — *Tremulum æstum* solis dicit eo quod in aqua tremula tremere ipse quoque videatur. *Lamb.*

878. *Gelum;* V, 206.

879. *Nodosque.* Glacie quippe tenentur aquæ quasi nodo ac vinculis.

880. *Frigidus est etiam*, etc. His 27 vss. alium fontem mirabilem profert, cujus tamen et nomen et locum tacet. Sane videtur notare fontem Epiri de quo Plinius II, 106, § 7: « In Dodone Jovis quum sit gelidus, et immersas faces exstinguat, si exstinctæ admoveantur, accendit ». Notat et Gassendus in lib. X Laert. p. 857, fontem ardentem esse non procul a Gratianopoli, qui admota face et flammam concipiat, et in dies non paucos ardeat. *F.* — Postquam ostendit in Jovis Hammonis fonte nihil admirabile esse aut divinum, jam Jovis Dodonæi fontem, Jovi ubique infestus, attingit. Nimirum quoniam sunt in ipsa aqua, vel terra isti aquæ subjecta, multa ignis semina, quæ ex aqua erumpentia corpori inflammabili sc. stuppæ aut tedæ recenter exstinctæ adhærent, et eam accendunt: neque magis incredibile semina ignis per fontem erumpere, quam aquæ dulcis scaturiginem per medium maris oriri; et sæpissime videmus tedas recenter exstinctas accendi, antequam ipsum ignem, ad quem admoventur, attigerint. *Creech.*

883. *Auris*, leni flatu venti.

887. *Exspirare;* vs. 641.

888. *Non tam viva*, quæ tamen *corpora*, semina ignis non adeo vigent et viva sunt, ut, etc.

889. *Dispersa foras*, etc. Vis quædam, vel *sua* ipsorum *vis*, cogit ea ignis semina (quæ, ut dixit vs. 885, *necesse* est consurgere) erumpere cito per aquam ut foras dispergantur; et interim juxta istius aquæ superficiem, convenire et congregari. Ed.

890. *Conciliare.* I. e. *in concilium venire*, coire: usu intransitivo, ut passim

Digitized by Google

Quod genus, indu mari Aradio fons, dulcis aquai,
Qui scatit, et salsas circum se dimovet undas.
Et multis aliis præbet regionibus æquor
Utilitatem opportunam sitientibu' nauteis,
Quod dulceis, inter salsas, intervomit undas.
Sic igitur per eum possunt erumpere fontem,
Et scatere ollà foras in stuppam semina : quæ quom
Conveniunt, aut in tedai corpore adhærent,
Ardescunt facile extemplo; quod multa quoque in se
Semina habent ignis stuppæ tedæque tenentes.
  Nonne vides etiam, nocturna ad lumina linum
Nuper ubi exstinctum admoveas, accendier ante
Quam tetigit flammam; tedamque pari ratione?
Multaque præterea prius ipso tacta vapore
Eminus ardescunt, quam comminus imbuat ignis.
Hoc igitur fieri quoque in ollo fonte putandum est.
  Quod superest, agere incipiam quo fœdere fiat
Naturæ, lapis hic ut ferrum ducere possit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine Graiei,

noster adsolet. Editores autem de suo intulerunt *conciliari*. Impendio appositæ sunt Lucretio glossæ veteres : *Concilio*, συνεδρίῳ · item absolute. *W*.

891. *Quod genus*; II, 194.—*Indu*; II, 1096.—*Aradio*. Aradus, Phœnices oppidum; de quo Forbiger conferendum ait Tzschuck. ad Melam II, 7, 6. Vide Disq. var.

892. *Scatit*. Cf. vs. 897, et V, 597.

893. *Regionibus*; multis aliis in partibus maris, ubi pariter dulces enatant aquæ.

894. *Utilitatem*, beneficium.

895. *Quod*, quia; vel potius relativum est.

896. *Per eum fontem*; de quo vs. 880.

897. *Illa semina*, ignis scilicet. — *Quæ*. Spreta membranarum fide, hodierni editores inscitissime dederunt, ex arbitrio scilicet, *quo*. W.

900. *Habent tenentes*. Cf. I, 1068.

901. *Linum*. Vult stuppeum funiculum, qui in olei testa ponebatur, ut humorem imbiberet, et præberet lucem. Agitur autem de *stuppa* et *tedis* per totum locum. *W*.

905. *Imbuat*. Metaphora est ab aquis ad ignem. Sic V, 595. *F*.

907. *Quod superest, agere*, etc. Hinc ad vs. 1089 disputationem instituit de magnete. His autem 4 vss. prioribus ait Poeta se dicturum de virtute magnetis, quam unam agnoscit, licet duplex distinguatur : altera, qua ferrum trahit ad se: altera, qua et se et ferrum dirigit versus polos mundi. Porro nomen illius explicat,

Digitized by Google

Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.
Hunc homines lapidem mirantur; quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex se:
Quinque etenim licet interdum plureisque videre,
Ordine demisso, levibus jactarier auris,
Unus ubi ex uno dependet, subter adhærens;
Ex alioque alius lapidis vim vinclaque noscit:
Usque adeo permananter vis pervalet ejus.
Hoc genus in rebus firmandum est multa prius, quam
Ipsius rei rationem reddere possis;
Et nimium longis ambagibus est adeundum:
Quo magis attentas aureis animumque reposco.
Principio, omnibus a rebus, quasquomque videmus,
Perpetuo fluere ac mitti spargique necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visumque lacessant;

vultque Magneta dici a Magnesia, quæ regio est Lydiæ apud Græcos, ubi primum inventus fertur is lapis. *F.* —Vide in Disq. var.

912. *Ex annellis.* Quidam codices et omnes edd. vett. *anellis*, quam scripturam Wakefieldus, fortasse non immerito, præferendam censet. Conf. Isidor. Origg. XIX, 32; Nonius I, 17; Grut. Inscr. p. LIX, n. 2, et quæ Schneider. habet Gramm. Lat. I, p. 422. Lamb. annotat Lucretium hic videri verba Platonis in Ione, non longe a principio, spectasse. *Forb.*

914. *Demisso.* I. e. se demittente; eleganter. Vulgo *demissos;* sed vereor ut sit cum vetustis exemplaribus. *Wak.* — *Jactarier auris.* De *aura*, pro *vi* emanante, diximus superius, ad vs. 221 et alibi. *Jactarier* itaque valebit, percuti, contingi, affici; nisi cum interprete accipere malis τὸ *auris* in vulgari sensu pro *ventis:* nam nobismetipsis Lucretius alterum sensum videtur in animo habuisse. *Wak.* — Equidem cum Creechio aliisque explico: levibus ventis agitari. *Forb.*

917. *Permananter.* I. e. eo modo, ut permanet et perveniat ad multas res ferreas. *Lamb.*

918. *Hoc genus*, etc. In rebus hujus generis. — Rem altius repetendam esse ait. — *Firmandum multa;* I, 139.

919. *Rei*; I, 689.

920. *Ambagibus*, valde longis circuitionibus rerum ac verborum.

921. *Reposco*, ἐπαιτῶ· ut simplex *posco:* nisi vis *attentum animum* in *longarum ambagum* remunerationem dari. Nec male fortasse judicat Burmannus; in notis ad Virgil. Æn. II, 139, inesse huic verbo sic posito vim *vehementer poscendi*, ac *frequenter*. W.

922. *Principio omnibus*, etc. His 15 vss. præmittit 1° effluere continuo corpuscula quædam ex rebus omnibus. Quod quidem jam supra IV, 217 sqq. iisdem verbis docuerat. Scilicet id inculcatum esse vult ob insignem difficultatem jam solvendam. *F.*

Digitized by Google

Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores :
Frigus ut a fluviis, calor a sole, æstus ab undis
Æquoris, exesor mœrorum litora propter :
Nec variei cessant sonitus manare per auras.
Denique in os salsi venit humor sæpe saporis,
Quom mare vorsamur propter; dilutaque contra
Quom tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
Usque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, et n cunctas dimittitur undique parteis.
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluundi;
Perpetuo quoniam sentimus, et omnia semper
Cernere, odorari licet, et sentire sonare.
Nunc omnes repetam quam raro corpore sint res
Commemorare, quod in primo quoque carmine claret.
Quippe etenim, quamquam multas hoc pertinet ad res
Noscere, cum primis hanc ad rem protinus ipsam,
Qua de disserere aggredior, firmare necesse est,
Nil esse in promtu, nisi corpus mixtum in inani.
Principio, fit, ut in speluncis saxa superna
Sudent humore, et guttis manantibu' stillent :
Manat item nobis e toto corpore sudor;
Crescit barba, pileique per omnia membra, per artus:

925. *Certis ab rebus odores.* Cf. notas et Disq. var. ad IV, 218 sqq.

937. *Nunc omnes repetam*, etc. His 23 vss. præmittit 2° nullum esse corpus adeo solidum, quod non constet inani : hoc est, quod non inania spatiola contineat. *F.* — *Repetam commemorare;* I, 419.

938. *In primo carmine*, in primo libro hujus carminis, inde a vs. 266. — *Claret*, clarum est; Non. II, 127.

940. *Cum primis;* I, 131.

941. *Firmare* (III, 320) *necesse est.* Ad hanc rem, de qua jam disputo, declarandam inprimis necessarium est probare hoc, scilicet *nil esse*, etc.

942. *In promtu*, in aperto, in rerum natura, palam. Sic I, 878. *F.* — *Mixtum in* iterum venit ad vs. 1071.

944. *Sudent humore saxa.* Etiam elegantius in hac re versatur ad I, 349 sqq.; et conferas IV, 626. Lucanus autem videtur ipsissimum Lucretii locum in animo habuisse, Pharsal. IV, 301 : « *Antra neque exiguo stillant sudantia rore* ». Cf. Virg. G. I, 117. *W.* — *Manantibu' stillent.* Alibi animadversum est nobis, Lucretianas aures diritatem horumce nu-

Digitized by Google

Diditur in venas cibus omneis; auget, alitque
Corporis extremas quoque parteis unguiculosque.
Frigus item transire per æs, calidumque vaporem,
Sentimus; sentimus item transire per aurum,
Atque per argentum, quom pocula plena tenemus.
Denique, per dissæpta domorum saxea voces
Pervolitant, permanat odos, frigusque, vaposque
Ignis: qui ferri quoque vim penetrare suevit
Denique, qua circum colli lorica coercet.
Morbida visque simul, quom extrinsecus insinuatur:
Et tempestatem, terra cœloque coortam,
In cœlum terramque remote jure facessunt:
Quandoquidem nihil est, nisi raro corpore nexum.
Huc accedit, uti non omnia, quæ jaciuntur

merorum non perhorruisse. Perfacilis enim fuisset dictionum transpositio. *W.*

947. *Diditur cibus;* I, 351.

949. *Frigus item*, etc. Sic I, 495 et seqq.

952. *Denique, per dissæpta*, etc. Sic I, 355 et 490.

954. *Qui;* scil. ignis calor. Al. *quin.*

955. *Qua circum colli.* Versiculum, me judice, mendis vacuum, et sensu perquam dilucido, viri docti conjecturis suis misere divexavere. Ad explicandam poetæ mentem nihil postulo concedendum, nisi ut summa pars loricæ collum pertingeret, eoque moto calor ac sudor cierentur. *W.* — *Circum.* I. e. circulum, vel circuitum, colli; vide Nonium I, 74; V, 38, et Davisii notam ad Cic. De nat. deor. II, 18. Veteres glossæ: « Circulus, *circus*, κύκλος ». Eamdem vocem quidam libri agnoscunt in Virgilii G. III, 166, quam Lucretii auctoritate sic communitam libenter equidem receperim: « laxos tenui de vimine *circos* ». *W.*

956. *Morbida vis simul.* Supple *permanat* e vs. 953. Creech. qui hæc verba cum prioribus arcte cohærere putat, conj. *fervida vis;* « quia loricati milites, dum urbem expugnent, pice, sulfure, seu aqua fervente aspersi, vim fervidam loricas suas penetrantem senserint ». Quæ altius repetita videntur. *Forb.* — Morborum contagium jam ponit in aliud specimen particularum subtilissimarum, et maxime penetrabilium effluviorum: committas infra vs. 1092-1102. *W.*

957. *Et tempestatem.* Prosequitur argumentum suum Lucretius, et alterum proponit exemplum minutissimorum corporum, ea tenuitate, quam nequit acies oculorum usurpare. Hoc igitur poeta vult dicere: « Philosophi merito remittunt in terram cœlumque eam tempestatem, quæ de terra cœloque primum est exorta ». I. e. jure dicunt tempestatum cæca corpora rursus in immensitate spatii recepta condi, atque evanescere. *Wak.*

960. *Huc accedit, uti*, etc. His 20 vss. præmittit 3° corpuscula, quæ ab rebus mittuntur, non congruere rebus cunctis eadem ratione. Quod etiam demonstravit passim superioribus libris, sed præsertim lib. IV. *F.*

Corpora quomque ab rebus, eodem prædita sensu
Atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.
  Principio, terram sol excoquit, et facit are;
At glaciem dissolvit, et altis montibus altas
Exstructas ningueis radiis tabescere cogit:
Denique, cera liquefit in ejus posta vapore.
Ignis item liquidum facit æs, aurumque resolvit:
At coria et carnem trahit, et conducit in unum.
Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni;
At coria et carnem mollit, durata calore.
Barbigeras oleaster eo juvat usque capellas,
Effluat ambrosia quasi vero et nectare tinctus:
Qua nihil est homini quod amariu' frondeat estu.
Denique, amaracinum fugitat sus, et timet omne
Unguentum; nam setigereis subus acre venenum est,
Quod nos interdum tamquam recreare videtur.
At contra nobis cœnum teterrima quom sit
Spurcities, eadem suibus hæc munda videtur,

963. *Terram excoquit.* Virg. Georg. II, 259. — *Facit are.* Anastrophe, pro *arefacit.* Sic alibi passim.

964. *Altas.* Editores, libris renuentibus, per inscitissimam temeritatem, *alte.* Poetis hæc sermonis schemata adamari diximus et alibi et ad Bionis Idyll. I, 8, quo te referas. *W.*

965. *Ningues*; vs. 737.

966. *Posta*; I, 1058.

969. *Ab igni.* I. e. post ignem, ἀπὸ πυρός· postquam ignis utique calefecerit. Formulam nos ex professo illustravimus in Silv. Crit. IV, p. 209, 210, et prior Marklandus ad Stat. Silv. I, 2, 147. In ipsam rem vero consulas Homeri versus egregios, Od. IX, 391-394, quem Sophocles et alii sunt sequuti. *W.*

971. *Barbigeras*, etc. Capræ frondibus amaris et salicibus usque adeo delectantur, ut ambrosiam quasi habeant.

972. *Quasi vero.* Cf. Plaut. Amphitr. prol. 89; Pseud. II, 2, 40. — Cf. de hac formula ironica Beier. ad Cic. Off. III, 9, § 39; Gœrenz. ad Cic. De fin. II, 3, § 7, aliique. *Forb.*

973. *Qua.* I. e. arbore, vel oliva; quarum dictionum utravis in *oleaster* continetur. Docte nimirum, ut adsolet. *At*, haud dubie contra scriptos, placuit tamen editoribus. *W.* — *Estu*, ad comedendum.

974. *Amaracinum*; II, 847.

975. *Subus*, suibus. — De hac forma quæ apud alios poetas non occurrit, cf. Schneid. Gr. Lat. II, p. 268. *Forb.* — Eodem utitur argumento Lucretius IV, 639 sqq.

976. *Tanquam recreare*, quasi ad vitam revocare; cf. supra vs. 3.

978. *Suibus.* Vulgo *subus hæc res munda*: sed vox *res* additamentum est

Digitized by Google

Insatiabiliter totei ut volvantur ibidem.
Hoc etiam superest, ipsa quam dicere de re
Aggredior, quod dicundum prius esse videtur.
Multa foramina quom varieis sint reddita rebus,
Dissimili inter se natura prædita debent
Esse, et habere suam naturam quæque viasque.
Quippe etenim variei sensus animantibus insunt,
Quorum quisque suam proprie rem percipit in se.
Nam penetrare alio sonitus, alioque saporem
Cernimus e sucis, alio nidoris odores.
Præterea, manare aliud per saxa videtur,
Atque aliud lignis, aliud transire per aurum;
Argentoque foras aliud, vitroque meare;
Nam fluere hac species, illac calor ire videtur;
Atque aliis aliud citius transmittere eadem.
Scilicet id fieri cogit natura viarum,
Multimodis varians, ut paullo ostendimus ante,
Propter dissimilem naturam textaque rerum.

doctorum, metro suffultum euntium, de quo in hac cæsura haud temere timendum est. *W.*

979. *Ibidem*, in eodem cœno, in eadem spurcitie.

980. *Hoc etiam superest*, etc. His 17 vss. præmittit 4° in rebus cunctis varia esse spatiola seu foramina dissimilium figurarum. Unde nec eadem quibuslibet queunt apta esse. Quod variis confirmat exemplis, et quod antea demonstravit II, 382, 390, 683; et IV, 597 sqq., 646 et 676, etc. *F.*

982. *Reddita*; I, 204.

986. *Quorum quisque*, et unusquisque istorum sensuum proprium suum objectum proprio modo receptum in se percipit. *Cr.*

987. *Alio*. I. e. in alium locum, vel aliud genus foraminis. Nihil planius. Audacissime fecit Lambinus, Fabro laudatus, et patienter editoribus auditus, qui *alió* ter in *alia* mutaverit contra libros. *W.*

988. *E sucis*. Supple *effluentem*, vel *saporem e sucis*, ut *fulgorem ab auro*; II, 50. — *Sucus, nidor*; II, 683.

990. *Lignis*; per ligna.

992. *Nam fluere hac species*. Nam per vitrum simulacra transeunt, per aurum et argentum calor: quanquam ne Lucretius quidem negaverit, etiam per vitrum calorem permanare. *Lamb.* — Versus per parenthesin legendus.

993. *Eadem*. Bon. *eamdem*; male: nam dicit Lucretius, non esse tantummodo *diversa* diversis rebus foramina, sed per *eadem* quoque foramina diversas auras diversa celeritate transmitti. *W.*

995. *Paullo ante*; vs. 982 sq.

Digitized by Google

Quapropter, bene ubi hæc, confirmata atque locata,
Omnia constiterint, nobis præposta, parata;
Quod superest, facile hinc ratio reddetur, et omnis
Causa patefiet, quæ ferri pelliceat vim.
Principio, fluere e lapide hoc permulta necesse est
Semina, sive æstum, qui discutit aera plagis,
Inter qui lapidem ferrumque est quomque locatus.
Hoc ubi inanitur spatium, multusque vacefit
In medio locus; extemplo primordia ferri
In vacuum prolapsa cadunt conjuncta, fit utque
Annulus ipse sequatur, eatque ita corpore toto.
Nec res ulla magis, primoribus ex elementis
Indupedita suis, arcte connexa cohæret,
Quam validi ferri naturæ frigidus horror:
Quo minus est mirum, quod dicitur, ex elementis

997. *Quapropter, bene ubi*, etc. His 4 vss. concludit et monet, his præmissis rebus, bene intelligi posse, quo modo et qua ratione fiat, ut magnes trahat ferrum. Quod quidem jam explicaturus est. *Fay.*

998. *Præposta*, præposita, h. e. præmissa, vs. 966.

1000. *Patefiet*; v. Disq. v. ad vs. 966. — *Pelliceat.* Vulgo *pelliciat.* Manuscriptorum auctoritate devictus, tutius habui in contextu relinquere *perliceat*, ad secundæ conjugationis normam. Vetustæ glossæ: « *Pelliceo*, *es*, ἐπισύρομαι »; et vicissim in Græcis. Nec dissentit Sosipater Charisius, Institt. Gramm. lib. III initio: « *Pelliceo*, *ces*, *xi*, δελεάζω ». Huc refer *pellicui* præteritum, Livii in Laodamia, apud Priscian. lib. X, p. 877. *W.* — *Vim ferri*, quæ validum ferrum attrahit; V, 1285.

1001. *Principio, fluere*, etc. Jam aggreditur dicere causam, seu modum, quo magnes ferrum attrahit. *F.*

1002. *Semina, sive æstum.* Scilicet corpuscula quæ ex magnete semper effluunt, et, quasi ipse lapidis halitus, circa illum inania spatia efficiunt, in quæ ferrum attrahatur. Ed.

1003. *Inter qui*, etc. H. e. quicumque locatus est inter lapidem et ferrum. Sic vs. 832.

1006. *Conjuncta.* Ferri semina quædam, non quidem a reliquo ferri corpore soluta, in vacuum prorumpunt, atque inde fit ut totum annuli corpus sequatur. *Creech.* — *Fit utque*, et fit ut.

1009. *Indupedita.* Id est, cujus primordia certissime conjunguntur et implicantur.

1010. *Frigidus horror.* Id est, frigidum rigidumque ferrum. Wak. comparat Virg. G. I, 143; Æn. III, 29.

1011. *Quo minus*, etc. Ideoque minus est mirum si plures atomi de ferri corpore per vim illam magnetis attractæ et quasi exeuntes nequeant (secundum ea quæ modo docuimus) in vacuum exire,

Digitized by Google

Corpora si nequeunt, de ferro plura coorta,
In vacuum ferri, quin annulus ipse sequatur:
Quod facit; et sequitur, donec pervenit ad ipsum
Jam lapidem, cæcisque in eo compagibus hæsit.
Hoc fit idem cunctas in parteis; unde vacefit
Quomque locus, sive ex transvorso, sive superne,
Corpora continuo in vacuum vicina feruntur:
Quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipsa
Sponte sua sursum possunt consurgere in auras.
Huc accedit item, quare queat id magis esse:
Quod simul a fronte est annelli rarior aer
Factus, inanitusque locus magis ac vacuatus,
Continuo fit, uti, qui post est quomque locatus
Aer, a tergo quasi provehat atque propellat.

quin statim ob partium connexionem totus ipse annulus attrahatur. Sic locum intelligo ut *corpora ex elementis* dixerit Noster, sicut III, 263, *primordia principiorum*. Silent Wak. et Forb. qui locum sic restituere. Ed.

1014. *Quod facit*. Et illud quidem revera facit annulus; et tamdiu sequitur, donec, etc. Ed.

1015. *Cæcis compagibus*, vinculis, seu commissuris, quæ sub sensus nostros non cadunt.

1016. *Hoc fit idem*, etc. His 5 vss. quia ferrum tendit indiscriminatim, sursum, deorsum, transversum, et in quamcumque partem, prout ad magnetem apponitur, interea docet id fieri non posse, nisi ob inductum vacuum, in quod corpuscula ferri, alioquin deorsum solum prolabentia, ferantur indiscriminatim. *F.* — Hi versus ad explicationem modo propositam, quamvis id sentiat Gassendus, pertinere non existimo: ibi enim per semina e ferro in locum vacuum ab effluviis Magnetis factum exsilientia tota res agitur: in his autem versibus corpora ictibus in vacuum protruduntur: ideoque cum sequentibus rectius conjungi possunt. *Creech.*

1017. *Quomque*, etc. Undecumque vacuum locum reddat magnes, sive a latere, sive ex superno loco.

1018. *Vicina*. Oportet enim ferrum a magnete non longius amoveatur.

1019. *Aliunde*, aliorum corporum ictibus. — *Nec ipsa*, neque enim sponte sua sursum fertur ferrum, quum sit grave ac ponderosum. *F.*

1021. *Huc accedit item*, etc. His 12 vss. docet etiam adjuvari motum illum ferri ab aere, ob continuam ipsius agitationem. Et primum quidem ab aere exteriore, qui, quum semper urget, et quidem vehementius ex ea parte, qua copiosior est, non possit non impellere ferrum in quam partem est parcior seu inanior, utpote versus ipsum magnetem. *F.* — *Quare*. Rectius forsan hic cum Wak. scripsissemus *qua re*, ut magis pateat verborum vis: huc item accedit *res*, *qua id*, motus scilicet annuli ferrei ad lapidem magneticum, possit potius esse. Ed.

1022. *Quod simul*, etc. Quoniam si-

Digitized by Google

Semper enim circum positus res verberat aer;
Sed tali fit uti propellat tempore ferrum,
Parte quod ex una spatium vacat, et capit in se.
Hic tibi, quem memoro, per crebra foramina ferri
Parvas ad parteis subtiliter insinuatus,
Trudit et impellit: quasi naves velaque ventis,
Hæc quoque res adjumento motuque juvatur.
  Denique res omnes debent in corpore habere
Aera, quandoquidem raro sunt corpore, et aer
Omnibus est rebus circumdatus appositusque.
Hic igitur, penitus qui in ferro est abditus, aer
Sollicito motu semper jactatur, eoque
Verberat annellum, dubio procul; et ciet intus
Scilicet: atque eodem fertur, quo præcipitavit
Jam semel, et vacuam partem in conamina sumsit.

mul ac aer qui est *a fronte* annuli, i. e. annulum inter et lapidem, etc. *Cr.*

1026. *Semper enim*, etc. Quod docuit IV, 933 sqq.

1027. *Tali tempore.* Res quidem semper *verberat* aer, sed non semper *propellit;* tunc vero ipsum ferrum, rem gravissimam, valet promovere quia ex una parte vacuus patefit locus, qui ferrum in se recipiat. Ed.

1029. *Tibi.* Sic Haverc. restituit ex omnibus fere libris; vulgo *ubi*. Cf. II, 1038; III, 28 (not.); IV, 407; VI, 324, etc. *Forb.* —Vel junge *tibi memoro.*

1031. *Naves* commodius accipias pro recto casu singularis numeri: vide doctos viros ad Virg. Æn. XI, 522. *W.*—*Naves velaque.* Per solitam hendyadem pro *vela navis* hoc dictum est. *W.*

1032. *Adjumento juvatur.* Similes locutiones vidimus ad IV, 713, 1061; V, 59 et sæpius: quare non erat ut Lamb. et Bentl. hunc versum in suspicionem vocarent. *Forb.*

1033. *Denique res omnes*, etc. His 8 vss. docet etiam motum ferri adjuvari ab aere interiore, qui pari ratione, quum semper agitet res cunctas, impellit et movet ferrum ipsum, et præcipitat illud in eam partem, in quam jam fertur, et quæ jam facta est inanior. *F.*

1035. *Circumdatus.* Hinc Sophocles Elect. 86, γῆς ἰσόμοιρος ἀήρ. *Wak.*

1036. *Hic aer.* Sic melius jungas quam *hic*, in hac re.

1037. *Sollicito;* I, 344. — *Eoque*, suo illo motu.

1038. *Ciet*, movet, impellit.

1039. *Eodem*, in eamdem partem, vacuum videlicet spatium. — *Fertur;* aer an ferreus annulus? Creech. de aere dictum volebat: « fertur quo semel cœpit tendere et annulum movere ». Wak. corrigit *isque eodem*, ut de annulo intelligatur: quod equidem malim. Annulus enim, rarefacto per ipsam magnetis vim aere, jam semel ad lapidem ire sponte cœpit et vacuam partem sumpsit *in conamina*, id est, in quam pergere conaretur. Durum autem aliquid præ se fert

Digitized by Google

Fit quoque, ut a lapide hoc ferri natura recedat
Interdum, fugere atque sequi consueta vicissim.
Exsultare etiam Samothracia ferrea vidi;
Ac ramenta simul ferri furere intus ahenis
In scaphiis, lapis hic Magnes quom subditus esset:
Usque adeo fugere a saxo gestire videtur
Ære interposito; discordia tanta creatur!
Propterea, quia nimirum prius æstus ubi æris
Præcepit, ferrique vias possedit apertas;
Posterior lapidis venit æstus, et omnia plena
Invenit in ferro; neque habet qua tranet, ut ante:
Cogitur offensare igitur, pulsareque fluctu
Ferrea texta suo: quo pacto respuit ab se,
Atque per æs agitat, sine eo quod sæpe resorbet.
Illud in his rebus mirari mitte, quod æstus

ista oratio; quam ideo interpretes sollicitavere. Ed.

1041. *Fit quoque, ut a lapide*, etc. His 14 vss. docet interim cur ferrum, quod lapidem magnetem sequi consuevit, eum tamen fugiat ære interposito. *F.* — Vide in Disq. var. — *Ferri natura;* II, 400, eadem periphrasi usus est; cf. vs. 1061.

1043. *Samothracia ferrea.* I. e. annulos ferreos hoc nomine insignitos. Isidorus Origg. XIX, 32: «*Samothracius* annulus aureus est quidem, sed capitulo *ferreo:* a loco ita vocatus». Videas Harduinum, qui meminit Isidori, in notis ad Plinii locum, Nat. Hist. XXXIII, 6, (§ 7). *Wak.* — Conf. etiam Turnebi Advers. XX, 2, et Kirchmann. De annulis c. 3, p. 11 sqq. *Forb.*

1044. *Furere*, exsilire; cf. Virg. Æn. VII, 465.

1045. *In scaphiis.* Vasis, a forma scaphæ: forte de scaphiis horologicis in quibus styli ferrei extremitates horarum auctus notabat. De iis Martianus Capella. *Faber.*

1046. *Videtur.* Suppl. ferrum, e vs. 1044.

1047. *Discordia tanta* tunc inter ferrum et magnetem *creatur!*

1048. *Æstus præcepit;* ubi effluxus, copia corpusculorum (vs. 1002) intravit et implevit apertos ferri meatus.

1050. *Omnia plena*, ferri meatus ab æris æstu occupatos invenit.

1052. *Offensare*, crebro offendere, crebris offensionibus laborare. *Lamb.* — *Fluctu;* quem modo *æstum*, vs. 1050, vocavit.

1053. *Ferrea texta*, ferrum, quod arcte contextum est.

1054. *Quod.* Id est, *per æs agitat* id rei, vel ferrum, *quod*, *sine eo*, nimirum ære, *sæpe resorbet*, vel attrahit. Nihil planius: editores tamen de suo, reclamantibus scriptis, reposuere *quæ*. W.

1055. *Illud in his rebus*, etc. His 9 vss. quia quis non injuria percunctari poterat, cur magnes unum attrahat ferrum, non autem alias res, causatur Lucretius 1° rerum mixtarum quarumdam contumaciam, quæ pondere suo fretæ,

Digitized by Google

Non valet e lapide hoc alias impellere item res.
Pondere enim fretæ partim stant; quod genus, aurum:
Ac partim, raro quia sunt cum corpore, ut æstus
Pervolet intactus, nequeunt impellier usquam:
Lignea materies in quo genere esse videtur.
Inter utrasque igitur ferri natura locata,
Æris ubi accepit quædam corpuscula, tum fit,
Impellant ut eam Magnesia flumina saxi.
Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum aliena,
Ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur,
Quæ memorare queam inter se sing'lariter apta.
Saxa vides primum sola coolescere calce:
Glutine materies taurino jungitur una,
Ut vitio venæ tabularum sæpius hiscant,
Quam laxare queant compages taurea vincla.
Vitigenei latices in aquai fontibus audent

quale est aurum, reluctantur et detrectant æstum magnetis: 2° incusat raritatem corporum, ob quam pervia sunt advenienti æstui, nihilque invenit hic, quod impellat; ut fit in ligno. Ferrum vero medium sistit inter utraque corpora, rara et densa, concinneque adhæret magneti. Quod quidem non mirum esse ait, quum id etiam fieri jam ostensurus sit in aliis rebus. *F.*

1057. *Quod genus;* III, 222.

1063. *Magnesia flumina saxi.* Ita Wak. edidit, Bentleio suadente. *Flumina*, ut vs. 1052 *fluctu*, sunt effluvia, ἀπόῤῥοαι, *saxi Magnesii.* De hac autem inversione poetica cf. I, 10, 120, 475.

1064. *Nec tamen hæc*, etc. His 25 vss. monet Poeta non novum esse hoc genus naturalis coalitus in magnete, siquidem idem fit in multis aliis rebus. Scilicet quia rerum ejusmodi junctura optima est, et inter se mutuo conveniunt plena et concava, ut alia aliis respondeant, hamata hamatis, rotunda rotundis, et cetera bene conveniant. *F.* — *Hæc;* quæ modo de magnetis et ferri conjunctione docui. *Lamb.* — *Rerum aliena;* III, 832; VI, 69.

1066. *Sing'lariter.* Sic scribendum videtur ad metrum pro *singulariter*, unice, eximie. Conf. IV, 263, et mox vs. 1087.

1067. *Coolescere*, concrescere, conglutinari. Alii *coalescere*, forsan recte.

1068. *Glutine ... taurino.* Gluten quippe, quod Gallice dicimus *colle forte*, fit ex auribus et genitalibus tauri. Plin. N. H. XXVIII, 17 (71). — *Materies*, lignum, lignea tabula. — *Una*, simul.

1069. *Ut vitio.* Ita ut defectu ipsius ligni sæpius in media tabula rimæ et hiatus fiant, quam ipsius taurini glutinis vincula remittant *compages*, commissuras, conjunctiones.

1071. *Latices audent.* His audacioribus ad inanimatam rem a vitali ductis

Misceri, quom pix nequeat gravis, et leve olivom.
Purpureusque colos conchylii jungitur uno
Corpóre cum lanæ, dirimi qui non queat usquam;
Non, si Neptuni fluctu renovare operam des;
Non, mare si totum velit eluere omnibus undis.
Denique res auro aurum concòpulat una,
Ærique æs plumbo fit uti jungatur ab albo.
Cetera jam quam multa licet reperire? Quid ergo?
Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam,
Nec me tam multam hic operam consumere par est;
Sed breviter paucis præstat comprendere multa.
Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contra,
Ut cava conveniant pleneis hæc illius, olla
Hujusque; inter se junctura hæc optuma constat.
Est etiam, quasi ut annellis hamisque plicata,

translationibus abundat Noster : vide V, 391; IV, 823, et quæ diximus ib. ad vs. 246. Lambinus etiam bene laudat vs. 1191 hoc libro. *W.*

1072. *Leve olivom.* Neque enim subsidit oleum, sed supereminet humoribus omnibus. *Lamb.*

1073. *Purpureus colos.* Purpura, quæ fit ex sanguine conchyliorum. *F.*—*Conchylii;* de metro cf. ad vs. 674. — *Jungitur uno cum corpore.* Dictum est elegantissime pro « Ita penitissime cum lana consociatur, ut duo unum videantur corpus efficere ». Miror editores τὸ *mergitur* anteponentes contra plures ac meliores libros. Nec sane *mergitur una,* si bene sit Latinum, poetæ mentem dilucide satis exprimit. *Wak.*

1075. *Fluctu.* Quidam codices *fluctus det.* — Et sane sic animosior evadit locus; fortasse tamen varietate constructionis, qua gaudet opere summo Noster, magis adjuvatur exornaturque. *Wak.* — *Renovare,* revocare ad nativum colorem.

1077. *Denique res auro aurum.* Hiatus est, nec fit elisio in cæsura; quod tamen apud Nostrum vix alias occurrit. Hinc variæ doctorum conjecturæ.—*Res una;* nempe chrysocolla, de qua Plin. N. H. XXXIII, 29; Isidor. Origg. XVI, 14. *Wak.*

1078. *Plumbo ab albo.* Hoc est, ab stanno. Sic Cæsar in Comment. de bello Gall. lib. V, vocat stannum, plumbum album.

1079. *Quid ergo.* Quasi dicat : num me idcirco hoc loco oportet omnia proferre? *Lamb.*

1083. *Quorum ita,* etc. Res istæ, quarum texturæ ita mutuo respondent, ut hujus rei cava illius plenis (id est, hujus corporis cavitates solidis illius corporis et prominentibus corpusculis) et illius cava hujus plenis conveniant, res istæ, inquam, facillime et arctissime copulari possunt. *Creech.*

1085. *Junctura hæc.* Sic omnes libri; vulgo *horum*, ex interpretatione videlicet.

1086. *Est etiam,* etc. Fieri quoque

Digitized by Google

Inter se quædam possint cop'lata teneri :
Quod magis in lapide hoc fieri ferroque videtur.
Nunc, ratio quæ sit morbeis, aut unde repente
Mortiferam possit cladem conflare coorta
Morbida vis hominum generi pecudumque caterveis,
Expediam. Primum, multarum semina rerum
Esse supra docui, quæ sint vitalia nobis;
Et contra, quæ sint morbo mortique, necesse est
Multa volare; ea quom casu sunt forte coorta,
Et perturbarunt cœlum, fit morbidus aer.
Atque ea vis omnis morborum pestilitasque
Aut extrinsecus, ut nubes nebulæque superne
Per cœlum veniunt; aut ipsa sæpe coorta
De terra surgunt, ubi putorem humida nacta est,
Intempestivis pluviisque et solibus icta.
Nonne vides etiam cœli novitate et aquarum
Tentari, procul a patria queiquomque domoque
Adveniunt? ideo quia longe discrepitant res.

potest, ut quædam possint inter se compacta cohærescere, quasi quibusdam annulis hamisque implicata atque inflexa. *Lamb.* — *Annellis;* vs. 912.

1087. *Cop'lata;* id est, copulata; cf. vs. 1066.

1089. *Nunc, ratio quæ sit,* etc. Unica remanent irati numinis indicia, morbi epidemii et pestes; si vero nihil in his admirabile et divinum, actum erit de providentia. *Creech.* — His itaque 3 vss. prioribus proponit se dicturum de caussis morborum, qui lethiferam cladem inferunt et hominibus et pecudibus. *F.*

1092. *Primum, multarum,* etc. His 12 vss. subjicit repetendam esse morborum rationem ex ipsa aeris malefica natura. *F.*

1093. *Supra docui.* Nempe IV, 638, et V, 897.

1094. *Quæ sint morbo,* etc. H. e. quæ sint morbida et mortifera. *Lamb.*

1097. *Pestilitas.* Vox Lucretiana, quæ statim redit, vs. 1124 et 1131.

1098. *Extrinsecus.* Vulgaris est lectio quam cum Eichst. retinui. Neutiquam enim Wakef. mihi persuasit de veritate scripturæ *intrinsecus,* quam satis artificiose sic interpretatur : « id est, *ex ipso aere*, vs. 1096, qui subinde fit morbidus seminibus *extrinsecus* venientibus ». *Forb.*

1100. *Putorem.* Vide ad II, 872 sqq.

1102. *Nonne vides etiam,* etc. His 11 vss. confirmat diversam esse aeris et cœli rationem pro diversa regione. *F.*

1104. *Discrepitant res.* Eæ nimirum, quæ ad hanc soli versationem pertinent; *aer,* puta, *aquæ, soles, imbres, domi, cœlum.* Wak.

Digitized by Google

Nam quid Britanneis cœlum differre putamus,
Et quod in Ægypto est, qua mundi claudicat axis?
Quidve quod in Ponto est, differre, et Gadibus, atque
Usque ad nigra virum percocto secla calore?
Quæ quom quatuor, inter se divorsa, videmus
Quatuor a ventis et cœli partibus esse;
Tum color et facies hominum distare videntur
Largiter, et morbei generatim secla tenere.
Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.
Atthide tentantur gressus, oculeique in Achæis
Finibus: inde alieis alius locus est inimicus
Partibus ac membreis; varius concinnat id aer.
Proinde, ubi se cœlum, quod nobis forte venenum,

1105. *Britanneis* vel *Britannis*. Sic omnes libri quos Wakef. jure sequutus est, ut locus sic capiatur: « quid cœlum, *quod* Britannis *est* et *id* quod in Ægypto est, differre putamus? » Priores tamen editores versum conjecturis inanibus vexarunt. *Forb.* — Prima syllaba in hoc verbo producitur: sic nomina propria numeros sæpissime apud veteres mutant. Vide Disq. var.

1106. *Qua mundi claudicat axis*. H. e. qua parte axis, seu polus Arcticus, qui nobis (Italis) sublimis semper apparet, est depressus. Seu, qua parte mundus inclinatus est ad oram nobis ignotam; est autem pars hæc meridionalis. *Lamb.* — *Claudicat axis*, valde declinat a recto statu et deprimitur in horizontem. *Wak.*

1107. *Et Gadibus*. Quænam est differentia cœli, quod in Ponto est, *et* cœli, quod in Gadibus? *W.*

1108. *Usque ad nigra virum*. Hoc est, usque ad Mauritaniam, vel Æthiopiam, in quibus nigri sunt homines. *F.* — Cf. supra vs. 723.

1109. *Quæ ... quatuor*, etc. Nempe Britanniam, Ægyptum, Gades et Pontum. Britannia a septemtrione; Ægyptum a meridie; Gades ab occasu; Pontum ab ortu.

1112. *Morbei*. Morbi videntur generatim nationes istas infestas habere. *L.*

1113. *Est elephas*. His 5 vss. profert in exemplum certas regiones, quæ certis morbis obnoxiæ sint ex ipsa aeris natura. Sic in Ægypto generatur ille morbus, qui elephas dicitur, vulgo elephantiasis, a tumore et asperitate crurum, elephantos æmulantium. *F.* — De hoc morbo consulas Seren. Samon. V, vs. 133, qui voces ipsas Lucretii excepit, Isidor. Origg. IV, 8; Plin. Nat. Hist.; Cels. et alios, quos longum esset perscribere; sed in primis Aretæum. *W.*

1115. *Atthide tentantur gressus*. H. e. in Attica tentantur pedes; quia Athenienses podagra vulgo laborant. Conf. Virg. G. II, 94.

1117. *Concinnat;* IV, 1279.

1118. *Proinde, ubi se cœlum*. His 6 vss. concludit ex aeris inclementia oriri

Digitized by Google

Commovet, atque aer inimicus serpere cœpit;
Ut nebula ac nubes, paullatim repit, et omne,
Qua graditur, conturbat, et immutare coactat.
Fit quoque, ut in nostrum quom venit denique cœlum,
Corrumpat, reddatque sui simile, atque alienum.
Hæc igitur subito clades nova pestilitasque
Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas,
Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus;
Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso:
Et, quom spirantes mixtas hinc ducimus auras,
Olla quoque in corpus pariter sorbere necesse est.
Consimili ratione venit bubus quoque sæpe
Pestilitas; etiam pigreis balantibus ægros.
Nec refert, utrum nos in loca deveniamus

pestilitatem omnem. *F.*—*Venenum.* Sic Haverc. restituit e Lugd. 2, comparans IV, 639 et 642; quibus Wakef. addit hujus libri vs. 821, 828. Negari tamen nequit omnium reliquorum librorum scripturam *alienum* (unde vulg. edd. *alienum est*) et ipsam habere quo commendetur. *Forb.*

1119. *Serpere*, sensim promoveri, et per cœlum nostrum diffundi.

1120. *Ut nebula ac nubes.* Tunc velut nebula (v. 1098) pestilens ille aer sensim irrepit. — *Omne*, scil. cœlum.

1121. *Immutare;* absolute, de solemni more Lucretii. — *Coactat*, cogit. Vox Lucretio propria; redit vs. 1160.

1123. *Alienum.* Vel *diversa* ac dissentanea priori *natura*, vel incolis alienum et *inimicum*. *W.*

1124. *Hæc igitur clades*, etc. His 13 vss. scite Lucretius, semina illa pestilentiæ cadere ait, alia quidem in aquas; alia in fruges; alia in cibatus alios animalium. Hinc sæpe pestilentia æque vexat pecudes ipsas ac homines. Itaque unum agnoscit aera causam pestilentiæ.

1125. *Persidit*, penitissime et omnes per partes occupat. Par est efficacia vocis in Virg. Georg. III, 442. *W.*

1128. *Spirantes*, dum spiramus. Vulgo *spiranteis*, quarto casu, admodum perverse. — *Ducimus auras*, trahimus, sorbemus, imbibimus. *W.*

1129. *Olla;* noxia, quæ cum aere miscentur, corpuscula.

1131. *Pigreis*, tardis et sibimet auxiliari parum valentibus. *W.* — Vulgo editur *pecubus balantibus* e Lamb. conjectura, contra omnes libros. — Signate *balantibus*, propter frequentissimos hoc potissimum tempore ejulatus. Hoc non latuit Virgilium, in Georg. III, 554. *Wak.* — *Ægros.* Sic optime, ut *colos*, *honos*, *odos*, et similes antiquissimorum formulæ, Vind. Poor. Brit. 1, 3, Cant. Vulgo *ægror*. W.

1132. *Nec refert*, etc. Horum 5 vss. is est sensus, ut Poeta velit parem imminere nobis calamitatem, dum petimus cœlum nobis infensum, ac si cœlum seu aera corruptum nostra in corpora natura introducat, aut novum aliquid deferat

Digitized by Google

Nobis advorsa, et cœli mutemus amictum;
An cœlum nobis ultro natura coruptum
Deferat, aut aliquid, quod non consuevimus uti,
Quod nos adventu possit tentare recenti.
  Hæc ratio quondam morborum et mortifer æstus
Finibu' Cecropiis funestos reddidit agros,
Vastavitque vias; exhausit civibus urbem.
Nam penitus, veniens Ægypti finibus, ortus,

nobis inconsuetum, quod noceat nobis adventu suo. *F.*

1133. *Advorsa*, inimica, infesta. — *Cœli mutemus amictum.* H. e. cœlum seu aera mutemus, quo amicimur, dum nos ambit undique. *F.*

1134. *Ultro*, sine nostra opera et peregrinatione de loco in locum. *Wak.*— *Coruptum.* Ita Wak. scripsit cum Vat. Lambini et Brit. 3, cui proxime accedit fragm. Vind. *corumptum* exhibens; ceteri omnes *corruptum.* At quum quintum hexametri pedem amphimacer efficere non possit, Turnebus, Advers. XXII, 19, conjecit *cruentum*, fœdatum, inquinatum, quod omnes editt. vulg. occupavit, quia loci IV, 1033, et V, 1137, favere videntur. Sed, quum codices ipsi hoc suadeant, consultius videtur sumere, Lucretium, ut comicos haud raro, aphæresin alterius consonæ hic aliquando sibi indulsisse, quod eo magis licuit, quo sæpius antiquissimi Romani, omnino geminatis consonantibus rarius usi, voces, serius constanter cum duplici *r* scriptas, cum uno modo scripserunt, et illud *n* finale præpositionis *con* aliis etiam in verbis compositis omiserunt. Cf. Quint. Inst. Or. I, 7, 29, et Gellius II, 17. *Forb.*

1135. *Quod.* Sic Wakef. cum Brix. Ver. Ven. Ald. 1, haud dubie rectissime. Non aliter enim Lucretius, V, 1032, construit verbum *abuti*, ubi vide quæ annotavimus. *Forb.*

1136. *Tentare recenti;* quod recenter delatum insolita vi nos possit afficere. *Creech.*

1137. *Hæc ratio quondam*, etc. Celeberrimam hanc pestis illius, ineunte Peloponnesiaco bello Athenis grassatæ, narrationem expressit Noster e Thucydide II, 47-54. Vide etiam Plutarch. in Pericle c. 34, et conf. similes pestis descriptiones ap. Virg. G. III, 470-566; Ovid. Met. VII, 523-613; Lucan. VI, 80-105; Silium Ital. XIV, 580-617. *Forb.* — His 7 vss. prioribus docet pestem illam Atheniensem ex iis causis, quas dixit, advenisse. Peregrina autem fere semper est pestis; unde ait Atheniensibus contigisse ex Ægypto; Thucydides tamen longioribus terris advolasse scribit, nimirum ex Æthiopia, quæ est supra Ægyptum. *F.*—*Mortifer æstus*, affluxus corrupti aeris adveniens. Vel intellige *calidum* afflatum, quia pestis cœli æstu incandescit, ut innuit Virgil. G. III, 479. Et hunc sensum confirmat vs. 1140, quum ex Æthiopia malum advenerit. Cf. Claudian. de Raptu Pros. III, 237.

1138. *Funestos reddidit.* I. e. *funeribus*, sive cadaveribus, *replevit.* W. — Voces *agros* ac *vias* significant *colonias suburbanas; urbem* rursus, *Athenas* ipsas. *W.*

1140. *Penitus*, e remotissimis regionibus.—*Finibus.* Editores, *e finibus*, libris vetustis renuentibus.

Aera permensus multum, camposque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis; omnes
Inde catervatim morbo mortique dabantur.
  Principio, caput incensum fervore gerebant;
Et dupliceis oculos suffusa luce rubenteis.
Sudabant etiam fauces, intrinsecus atræ,
Sanguine; et ulceribus vocis via sæpta coibat:
Atque, animi interpres, manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu.
  Inde, ubi per fauces pectus complerat, et ipsum
Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægreis;
Omnia tum vero vitai claustra lababant.
  Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,

1141. *Camposque natanteis*, maria et lacus; vs. 405. — Et lectissimis verbis malum, longissime et pedetentim veniens, felicique cum solertia, Noster depinxit. *W.*

1142. *Populo Pandionis.* Fuit Pandion rex Athenarum. *F.* — Wak. edidit e conjectura *populum Pandionis omnem; Inde*, etc. constructionem verbi *incumbere* cum accusativo defendens locis Plaut. Cas. II, 4, 29, et Lucilii apud Nonium, IX, 19. Satis apte forsan legeretur *populo Pandionis omnis*, sc. mortifer æstus, sive morbus ipse; ut sensus sit »*omni vi et pondere suo* populo Atheniensium incubuit. Quo pacto certe tautologia evitaretur qua lectio recepta, *omnes ... catervatim*, vix potest liberari. *Forb.* — Equidem vulgatam unice amplector; nam præterquam quod Noster hic rem exaggeratis verbis augere voluit, dici etiam potest aliquando fieri, ut morbus aliquis pueros tantum, vel senes, aut pecudes solummodo, quamquam *per catervas*, auferat: hæc autem pestis *omnes* omnino *catervatim* abripit. Ed.

1044. *Principio caput*, etc. His 18 vss. varia ac præcipua indicat symptomata et signa, quæ observabantur in iis, qui peste illa laborabant. *F.* — *Gerebant*, habebant; III, 1062.

1145. *Suffusa luce rubenteis.* I. e. rubra luce suboriente, ac se spargente. Ita fere Q. Curtius IV, 10, 2: «Sanguinis colore suffuso». *W.*

1146. *Sudabant sanguine*, cruentæ erant, seu sanie manabant; cf. V, 1128.

1147. *Vocis via.* Sic Virg. Æn. VII, 534, *vocis iter;* coll. XI, 151.

1149. *Debilitata malis*, ulceribus languens, et læsa.

1151. *In cor.* Perspicue Lucretius hoc loco Græcos imitatus, *cor* pro stomacho posuit. Thucyd. ἐς τὴν καρδίαν. *Lamb.* — Sequebatur videlicet omnium intestinorum convulsio, atque inde excretiones cum torminibus. *Creech.*

1152. *Vitai claustra lababant.* Elegantior hac locutio, et translatio felicior, nusquam legitur. *W.*

1153. *Volvebat odorem;* IV, 677. — Hunc vs. et sequentem Creech. subjungendos censet versui 1149, quia sic, ordine apud Thucydidem melius servato, narratio ejus pressius declararetur, et omnia aptius convenirent. Sed quum fœ-

Digitized by Google

Rancida quo perolent projecta cadavera ritu:
Atque animi prorsum vires totius, et omne
Languebat corpus, leti jam limine in ipso;
Intolerabilibusque malis erat anxius angor
Assidue comes, et gemitu commixta querela;
Singultusque frequens noctem per sæpe diemque,
Corripere assidue nervos et membra coactans,
Dissolvebat eos, defessos ante fatigans.
  Nec nimio quoiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam fervescere partem;
Sed potius tepidum manibus proponere tactum,
Et simul, ulceribus quasi inustis, omne rubere
Corpus, ut est, per membra sacer quom diditur ignis.
Intima pars hominum vero flagrabat ad ossa;

dus ille odor eo potissimum oriretur, quod morbus intimas etiam corporis partes invaserat, ad *vitai claustra* autem, quod præcedit, inprimis *spiritus* pertineat, hi versus aptissimo loco sunt positi. A Thucydidis autem ordine Lucretius aliquoties recessit. *Forb.*

1154. *Rancida*, putrida, corrupta.— *Projecta*, abjecta, inhumata.

1156. *Leti limine;* sic Virg. in Culice, 223; cf. supra I, 1105.

1157. *Malis*, corporis doloribus perpetuo adjuncta erat tristis animi *anxietas.*—*Anxius angor;* III, 1006.

1159. *Noctem per sæpe.* Sic magis placet, quam de vulgari ratione; conjunctis nimirum vocibus, *persæpe :* et Lucretium sapit, sic solitum præpositionem de Græcorum consuetudine locare. *W.* — Cf. IV, 1023, etc.

1160. *Coactans corripere* (absolute), crebris convulsionibus contorquens; cf. vs. 1121.

1161. *Dissolvebat eos :* viribus utique propter artuum nervorumque relaxationem dissipatis. Enimvero mira verborum cumulatorum efficacia miserorum ærumnas incendit Noster, solita cum ubertate ac vigore phraseos, in quibus nemini secundus est. *W.*

1162. *Nec nimio quoiquam*, etc. His 15 vss. alia symptomata atque indicia notat Lucretius, quæ peste illa laborantibus accidebant. Inprimis autem ait extimas et extremas partes illorum nihil ad tactum fuisse calidas, sed tepidas tantum; non pallidas aut virides; sed subrubras, et pustulis parvis efflorescentes: internas autem ad ossa flagrasse. *F.* — *Tueri*, videre, vel sentire summas corporis alicujus partes nimio fervore incendi.

1163. *Corporis in summo*, in summitate, seu extremitate corporis; ad superficiem. Vel construe cum Lambino: summam corporis partem *in summo* sc. corpore; eodem sensu.

1166. *Sacer ignis* (vs. 661). Ejus generis, quod est subrubicundum, aut mixtum ex pallore et rubore; exasperatumque per pustulas continuas, quarum nulla altera major est, sed plurimæ perexiguæ: Celsus V, 28. *Creech.*

Digitized by Google

Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus, intus:
Nil adeo posses quoiquam leve tenueque membreis
Vortere in utilitatem: ad ventum et frigora semper,
In fluvios partim gelidos, ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.
Multei præcipites lympheis putealibus alte
Inciderunt, ipso venientes ore patente:
Insedabiliter sitis arida, corpora mersans,
Æquabat multum parveis humoribus imbrem.
  Nec requies erat ulla mali: defessa jacebant
Corpora; mussabat tacito Medicina timore;

1168. *Flagrabat stomacho.* Pulchra hæc est et ornata amplificatio, omnia vividius depingens, et mori Lucretiano perquam consentanea. Demiror Lambinum et Fabrum, pro spurio totum versum ejicere cupientes. *W.*

1169. *Posses*, ἂν ἐδύνασο, tutemet utique, si adfuisses. Editores, contra libros universos, *posset.* Wak.—*Membreis*, in membrorum commodum, ad tegendum corpus.

1170. *Vortere in utilitatem;* dare quo uterentur; ideo nullam vestem, quantumvis levem et commodam, pati poterant. Ed.—*Semper.* Bentl. proponebat *partim;* sed probabilitate destituitur hæc emendatio. Ordo est: Semper dabant membra ad ventum, partim in fluvios. *W.*

1171. *In fluvios dabant*, præcipitabant; Virg. G. IV, 528.

1173. *Multei;* opponitur τῷ *partim* vs. 1171. — *Lympheis.* Sic plurimi codd. Wak. vero et Eichst. e Lugd. 1, 2, Ver. recepere *nymphis.* — Sed mirus ille orationis splendor huic loco minime convenire videtur; et vox *nymphæ* librariis altera quidem erat notior. De utriusque discrimine vide Hand. ad Gronovii Diatr. I, p. 179. *Orell.*

1174. *Venientes*, ipso ore patente et inhiante insilientes.

1175. *Corpora mersans.* Faber divinavit *vexans;* sane conjeceram *versans.* Nihil tamen mutatum malim: nam *mersans* potens est vocabulum, et lepide tacito respectu morbosos, se puteis proluentes, contuetur. Confer Juvenal. X, 57; Horat. Epist. I, 1, 16. *W.*

1176. *Æquabat*, etc. Efficiebat ut quantumvis larga aquæ copia præ nimio ardore æstuantium corporum exigua videretur. *Faber.*

1177. *Nec requies erat ulla mali.* Generaliter hæc verba accepissem de indefessa pestis per urbem grassatione, non rursus de singulorum morbosorum inquietis vexationibus, nisi Thucydidem interpretem habuissemus: ...καὶ ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν, καὶ ἡ ἀγρυπνία, ἐπέκειτο διὰ παντός: quæ similiter continuantur, ac series orationis Lucretianæ. *W.* — *Defessa jacebant Corpora.* I. e. homines moribundi prosternebantur, morbi doloribus exhausti. *W.*

1178. *Mussabat.* Nonius: « *Mussare* est depressa voce loqui quod celari vis ». — *Tacito Medicina timore.* Incomparabilis est prosopopœia; quam adæquavere pauci, superavit nemo. *W.*

Digitized by Google

Quippe patentia quom totiens, ardentia morbis,
Lumina vorsarent oculorum, expertia somno :
Multaque præterea mortis tum signa dabantur.
Perturbata animi mens in mœrore metuque;
Triste supercilium; furiosus voltus, et acer;
Sollicitæ porro plenæque sonoribus aures;
Creber spiritus, aut ingens, raroque coortus;
Sudorisque madens per collum splendidus humos :
Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore,
Salsaque, per fauceis raucas vix edita tussi.

1179. *Quippe patentia*, etc. Mussabat præ metu medicina; præsertim quum videret tot miseros perpetuis insomniis laborare; quod quidem futuræ mortis indicium erat. Sed alia quoque mortis indicia dabantur. Ed.

1180. *Expertia somno;* II, 1092.

1181. *Multaque præterea*, etc. His 14 vss. memorat plura alia mortis signa, quæ contingebant iis, qui peste hac tenebantur : quæ desumit poeta ex Hippocrate in Prognost. Neque enim sunt apud Thucydidem. *F.*

1182. *Animi mens;* III, 615; IV, 760.

1184. *Sollicitæ.* Aures sonoribus, ut mentes curis, plenæ *sollicitæ* dicuntur. *Creech.*

1185. *Ingens.* Insolentior locutio pro *multus*. Wak.—Immo *ingens* opponitur τῷ *creber*, et explicatur per verba *raroque coortus*. Est igitur gravis et profunda et infrequens anhelatio, vel, ut ait Virg. G. III, 505, quem tamen Wak. citat, «attractus ab alto spiritus». Ed.

1186. *Sudorisque madens*, etc. Sudores frigidi per caput et collum sunt letales, inquit Hippocrates in Prognost. *Lamb.* — *Splendidus*, albus.—Ἔννοιαν hoc modo Virgilius extulit ad Georg. III, 564 : «immundus olentia sudor Membra sequebatur, etc.» Verum enim Lucretius ornatior est et elegantior : et epitheton illud *splendidus* ad *oculos spectantis* luculenter provocat. *W.* — *Humos;* cf. ad vs. 1131.

1187. *Tenuia sputa*, etc. Sputum flavum, aut rufum, aut quod multam tussim præbeat, et minutum, neque admodum concretum, deterius est, inquit Hippocrates ibid. *Lamb.* — *Croci contacta colore.* Id est, crocei coloris : ex contactu enim coloris alicujus, contrahitur color. *Lamb.* — Sic Wakef. cum plurimis optimis codd. cui lectioni præter locos Celsi II, 24, et Virgilii G. III, 403, a Wakef. allatos, favet Lucretius ipse, II, 853, coll. I, 937; IV, 9, 13, 22. Vulgo *contincta*, quod jam Bentl. damnavit. *Forb.*

1188. *Raucas.* Wak. correxit *rauca tusse.* — At quamquam concedo, epitheton raucitatis ad tussim et ad fauces plane eodem modo quadrare, idem tamen contendo, illam vocem multo facilius hoc prædicato carere, quam alteram, quæ, quum per se sit consentaneum, sputum tussi non nisi per fauces evomi posse, si *rauca* cum *tussi* conjungeretur, prorsus superfluum esset et languidum additamentum. Contra si legimus *per fauces raucas*, his verbis ipsa continetur causa, cur *vix* tantum sputum edi potuerit. *Forb.*

Digitized by Google

In manibus vero nervei trahere, et tremere artus;
A pedibusque minutatim succedere frigus
Non dubitabat: item, ad supremum denique tempus,
Compressæ nares, nasi primoris acumen
Tenue; cavatei oculei; cava tempora; frigida pellis
Duraque; in ore jacens rictum; frons tenta minebat:
Nec nimio rigida post artus morte jacebant;
Octavoque fere candenti lumine solis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum si quis, ut est, vitarat funera leti,

1189. *Trahere et tremere.* Editores, spreta librorum veterum sanctitate, ex ingenio rescripsere *trahier, temere;* nescientes quoque scilicet, Lucretium verbis absolute positis abundare. Redeas ad I, 398. *W.*

1191. *Non dubitabat;* vide not. ad vs. 1071. — *Ad supremum tempus,* ὑφ' ὥρας ἐσχάτης· i. e. sub instantissimi pericli tempore, vel mortis appropinquantis hora. *W.*

1192. *Nares, nasi.* Duæ voces idem valent, nisi quod τὸ *nares* æque de *hominibus* ac *brutis* adhiberi videatur, *nasus* autem ad *homines* potissimum referri. Ceterum, lucem Lucretio commodabit Celsi locus, De med. II, 6: « *Ad ultimum* vero jam ventum esse testantur *nares acutæ,* collapsa tempora, *oculi concavi,* frigidæ languidæque aures, et imis partibus leniter versæ; *cutis circa frontem dura et intenta;* color aut niger, aut perpallidus, etc. » *W.*

1194. *In ore jacens rictum.* Sic ob codd. auctoritatem locus mihi constituendus videbatur, quem tamen paullo insolentius scriptum esse non nego. *Rictum* autem, a *ringo* derivatum (cf. V, 1063), est hiatus oris, ob æstum internum et dolores aperti et distorti; quod quum *premendo* quasi *in ore* seu vultu *jacere* dicitur, vix offendere potest recordantem, alibi etiam, v. c. II, 318 et 518, verbum *jacere* pro simplici *esse,* vel *positum esse* a nostro adhiberi. Quantum vero valeat hujus rei commemoratio ad fœditatem et tristitiam imaginis augendam, vel me non monente, quisque facile intelligit. *Forb.* — Vide Disq. var. — *Minebat.* I. e. eminebat, quia *cava tempora* erant; v. ad vs. 568.

1195. *Nec nimio post,* nec multo post; nam octavo fere aut nono morbi die moriebantur. — *Artus.* Sic Wakef. e plurimis libris; Lamb. *strati,* quod vulg. editt. servaverant. — *Rigida morte jacebant.* I. e. inutiles fiebant et ignavæ, geluque mortis rigescentes, eæ membrorum commissuræ, quæ solebant esse mobilissimæ, et hominibus vel præcipua agilitatis causa. *W.*

1196. *Octavo.* Facilitas metri videtur hanc varietatem vocis *Octavo,* quod miror, poetæ peperisse; nam sic aliter rem exposuit historicus: διεφθείροντο οἱ πλεῖστοι ἐνναταῖοι καὶ ἑβδομαῖοι ὑπὸ τοῦ ἐντὸς καύματος. *W.*

1197. *Reddebant.* Pariter Virgil. G. III, 496. *Reddunt* autem, redonant, remittunt in illum æthera, unde primum, spiritum haurientes, vitam suam arcessiverint. *W.*

1198. *Ut est;* ut est aliquis qui effugit; vel, ut verum est, aliquos effugisse.

Digitized by Google

Visceribus tetris, et nigra proluvie alvi;
Posterius tamen hunc tabes letumque manebat:
Aut etiam multus capitis cum sæpe dolore
Corruptus sanguis expletis naribus ibat;
Huc hominis totæ vires corpusque fluebat.
Profluvium porro qui tetri sanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus et artus
Ibat, et in parteis genitaleis corporis ipsas:
Et graviter partim metuentes limina leti
Vivebant, ferro privatei parte virili;
Et manibus sine nonnullei pedibusque manebant
In vita tamen; et perdebant lumina partim:
Usque adeo mortis metus heis incusserat acer!
Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsei.
Multaque humi quom inhumata jacerent corpora supra

Lamb. — *Vitarat funera leti;* non statim elatus fuerat morte properata.

1199. *Visceribus tetris;* quia, ut ait Thucyd., morbus descendisset in alvum, et ulcera tetra ei ingenerata fuissent, simulque profluvium alvi immoderatum accessisset. — *Nigra;* vs. 1204.

1200. *Tabes letumque.* I. e. *letum ex tabe;* adeo ut, si mortem properatam effugerent, tabescerent saltem atque macie consumerentur exinaniti (ut cum Orosio loquar, similem materiam agitante, in Hist. III, 4); corporibus paullatim defluentibus et amissis. *W.*

1202. *Expletis.* De suo nobis editores commenti sunt *plenis ex:* indoctissime. Nam, si de metro vererentur, nec vim hujusce cæsuræ satis tenebant, nec veterum poetarum consuetudinem callebant, posteriorem syllabam in *sanguis* sæpius porrigentium, quam similiter terminatam in quavis alia demum dictione: si timerent rursus de constructione, Virgilius meliora docuisse poterat in parallelo loco, Georg. III, 507, « *it naribus* ater *Sanguis* ». *W.*

1203. *Huc,* ista via, *vires corpusque,* id est, vires corporis effluebant; vide not. ad I, 810.

1205. *Exierat,* aufugerat, vitaverat; sic vs. 1216, et V, 1329.

1207. *Et graviter partim.* Et vehementer mortem timentes, partim ut vitam servarent, genitalia sibi abscindi passi erant; pars manus aut pedes, pars oculos amiserant. Ed.

1209. *Manibus sine;* cf. vs. 1159.

1211. *Incusserat.* Id est, se incusserat, vel incussus erat, absolute positum, ut apud nostrum sæpissime; v. c. supra vs. 595. Sic autem Hav. e plurimis libris: vulgo *incesserat,* ex Lambini conjectura. *Forb.*

1213. *Neque se,* etc. Ita ut se quoque ipsi non cognoscerent.—Inquirit causam ejus rei Camerarius Problem. 7, Part. IV, Facis Crit. p. 11.

1214. *Multaque humi,* etc. His 10

Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem;
Aut, ubi gustarat, languebat morte propinqua.
  Nec tamen omnino temere ollis solibus ulla
Comparebat avis, nec noxia secla ferarum
Exibant sylvis; languebant pleraque morbo,
Et moriebantur : cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus ægre :
Extorquebat enim vitam vis morbida membreis.
  Incomitata rapi certabant funera vasta.
Nec ratio remedii communis certa dabatur :
Nam, quod alî dederat vitaleis aeris auras

vss. notat quanta fuerit putredo illius pestilentiæ; siquidem aves et feræ, sed canes præsertim, qui ex cadaveribus degustassent, subito morerentur. *F.* — *Supra.* Heinsius, Advers. p. 510, emendat *sæpta;* sed malim equidem τὸ *supra* intelligere fungi officio cognati sui *super,* quamvis aliud exemplum non sit ad manum, quam lectionem arbitrariam cum membranarum unanimi scriptura leviter commutare. *W.* — Id est, *superjacerent* corporibus; ut intelligamus verbum compositum esse divisum. *L.*

1215. *Alituum genus atque ferarum.* Similia his multi narravere, quos apponere longum esset, et proposito alienum. Vide modo Nicand. Ther. 406; Jul. Obs. De prodigg. cap. LXV, et ibi Schefferum; Ovid. Met. VII, 545-552; Stat. Theb. I, 624, et XII, 565. *W.*

1216. *Exiret,* evitaret; vs. 1205.

1218. *Ollis solibus,* illis diebus, illo tempore; ut apud poetas Latinos haud raro.

1219. *Comparebat avis.* Vel ipsa morbo laborans scilicet, vel carnibus etiam pestiferis devoratis consumpta. *W.* —*Noxia secla ferarum,* θηρίων τὰ σαρκοφάγα; quæ lectio, a Wak. recepta, mihi quidem unice vera videtur. Si vero *noctibus* (vulg. lect.) vera scriptura fuisset, quis librarius eam correxisset? inprimis quum *solibus* præcesserit, in quibus verbis librarii haud dubie pulchram antithesin invenissent, ut vere invenerunt Lamb. et Haverc. *Forb.* — Orell. *tristia,* quod nititur auctoritate Macrobii.

1221. *Cum primis;* I, 131. — *Fida canum vis;* IV, 683; coll. V, 862.

1222. *Ægre,* valde reluctata, et cum laboriosissimo anhelitu, propter morbi violentiam; uti statim declaratur. *W.*— Vulgo *ægram,* sed contra meliores libros.

1224. *Rapi certabant.* His signatis vocibus inverecunda vespillonum festinantium ob funerum multitudinem clarissime depingitur; propinquis interea et amicis, acriore cura domitis, ritus supremos non peragentibus. *W.* — *Funera vasta.* Nove dictum videtur pro *funera multa:* vide nos ad V, 1289. *Wak.*

1225. *Remedii;* vide not. ad vs. 674.

1226. *Alî* sive *alii,* lectio est omnium librorum. Vulgo cum Macrobio legitur *alis;* quod quum « orationis concinnitas valde commendet » (cf. vs. 1228), Nobbius servavit. *Forb.* — *Vitaleis aeris au-*

Digitized by Google

Volvere in ore licere, et cœli templa tueri,
Hoc alieis erat exitio, letumque parabat.
Illud in his rebus miserandum et magnoperè unum
Ærumnabile erat, quod, ubi se quisque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
Deficiens animo, mœsto cum corde jacebat,
Funera respectans, animam et mittebat ibidem.
Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex aliis alios avidi contagia morbi,
Lanigeras tamquam pecudes, et bucera secla:
Idque vel in primis cumulabat funere funus.

ras. Redi sis V, 225, i. e. uno verbo, *ætheris auras*, quibus vescimur mortales; vide Virg. Æn. I, 546. *W*.

1227. *Volvere in ore licere*. Quod dederat ut liceret animam e cœlo ducere, et spirare, etc. — *Et cœli templa tueri*. Phrasin Homeream exornavit, quam Lambinus apposuit, Odyss. X, 498: ὁρῷν φάος ἠελίοιο. *W*.

1228. *Hoc erat exitio*; Virg. Georg. III, 511.

1229. *Et magnopere unum*. Sic plurimi libri, et omnes editores post Lambinum præter Wak. qui Poor. Cant. et veterum edd. auctoritate copulam *et* delevit, ut sensus sit: « Eam ærumnam inter omnes, quæ morbum comitarentur, maxima miseratione dignam putavisses; » quod probare nequeo. *Forb*.

1231. *Morti damnatus*. De hac constructione verbi *damnare* cum tertio casu conf. Ruddim. Inst. Gr. II, p. 166, not. 39. *Forb*. — *Ut esset*; pro pleno *ut si*; vide vs. 152, 760.

1232. *Cum corde*; cf. ad I, 288. Wak. autem, ne constructio labasceret, ut ipse ait, reposuit *quom*, et in versu sequente copulam *et* omisit, recte a Forb. desertus. Ed.—*Jacebat*, decumbebat, jam non se movere valebat, mortem exspectans, et quasi proximam respiciens? Ed.

1233. *Animam et mittebat*. Sic edidimus cum omnibus, ut videtur, Lambini codd. Junt. et Ald. 2, quos etiam vulg. editt. Eichst. et Nobbius sequuti sunt. Wak. e Lugd. 1, Cant. et Vind. recepit *animam immittebat*, quod satis mire sic interpretatur: « vitam in hac mœstitia ponebat, et in perpetua funeris appropinquantis cogitatione ». Mihi potius hæc scriptura merus error librariorum videtur. Præterea vero et sensu lectio a nobis recepta magis commendatur, qui hic est: « quisque, ubi primum morbo se implicitum sensit, statim desperans, utpote qui certæ morti jam destinatus esset, collapsus atque sic, nullo auxilio dato acceptove, in ipso illo loco, quo primum se stravit, mortuus est ». *Forb*.

1234. *Quippe etenim*, etc. Quippe etenim contagia morbi avidi non cessabant alios ex aliis *apisci*, i. e. adipisci et corripere. Thucyd.: ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, « alter ab alterius curatione morbum contrahentes », ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον, « tamquam pecudes moriebantur ». *L*.

1236. *Bucera secla*; V, 864.

Digitized by Google

Nam, queiquomque suos fugitabant visere ad ægros,
Vitai nimium cupidos mortisque timenteis
Pœnibat paullo post turpi morte malaque,
Desertos, opis experteis, Incuria mactans.
Quei fuerant autem præsto, contagibus ibant
Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandaque lassorum vox, mixta voce querelæ:
Optumus hoc leti genus ergo quisque subibat.
  Inque aliis alium, populum sepelire suorum
Certantes, lacrumis lassei luctuque redibant.
Inde, bonam partem, in lectum mœrore dabantur:

1238. *Visere ad*; cf. II, 359. — Sic reposuerat Lambinus, provocans ad Terent. Hec. I, 2, 114; II, 1, 40; Plaut. Capt. IV, 2, 113, et alios. Variis modis in proclivi est hunc versum tentare, et docti tentaverunt: sed nihil vulgatis facilius est, aut quod scripturis codicum minus discrepet; ne dicam, diserto testimonio saltem membranarum Ω esse acquiescendum. *W.*

1239. *Cupidos.* Sic omnes, omne genus, libri; sed ex arbitrio tamen editores reposuere *cupidi*, ignoratæ constructionis jure postulandi. Sensus est: « Incuria, miseras in victimas officio popæ fungens, puniibat *eos*, nimium cupidos vitæ, quicumque fugitabant ad ægros visere ». Et locus est egregio artificio elaboratus, et singulari sublimitate; translationem continuans, quam superius ad vs. 1236, ingressus est poeta. *Wak.*

1240. *Pœnibat*, pro *punibat*, puniebat; I, 30.

1241. *Mactans.* I. e. immolans; ἱερεύουσα, σφαγιάζουσα. Verbum *sacrificale*; adeoque *Incuriæ*, personam *sacerdotis* gerenti, pulchre convenit. *W.*

1242. *Quei fuerant præsto*, qui ad curandos peste correptos accesserant. *F.* — *Contagibus ibant.* I. e. *abibant*, peribant; eleganter et erudite. Vide ad III, 525. *W.*

1243. *Quem obire.* I. e. quem *laborem* tum cogebat subire pudor. *Lamb.* — Verissime: aliter enim τὸ *obire*, sic sine substantivo positum, potuisset solummodo, *mori*; ut alibi sæpe. *W.*

1244. *Lassorum*, ægrorum, languentium blandæ preces.

1246. *Inque aliis alium*, etc. Locum sic vere Pius interpretatus est: « Et, certatim satagentes multitudinem suorum, alterum post alterum, sepeliendo, domum repedabant; lugendo defessi ac lacrymando ». *Populum* igitur capias oportet pro *copiam quamvis* absolute, vel *multitudinem*: de qua dictionis potestate, consulenda sunt omnino, quæ doctissime collata sunt Berneccero Gronovioque, ad Justin. X, 1, 6. *Wak.* — Licet vero etiam cum Creechio et Knebelio verba sic conjungere: Alium *populum*, id est, multitudinem, suorum post alium inter alios jam humatos sepelire certantes, etc. *Forb.*

1248. *Bonam partem*; III, 64, et mox vs. 1258. — *In lectum.* Poor. Ald. 1, 2, Bon. *in letum*, quod immerito Wak. præferendum censet. Lucretius

Digitized by Google

Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus,
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.
  Præterea jam pastor et armentarius omnis,
Et robustus item curvi moderator aratri,
Languebat; penitusque casa contrusa jacebant
Corpora, paupertate et morbo dedita morti.
Exanimis pueris super exanimata parentum
Corpora nonnumquam posses retroque videre
Matribus et patribus natos super edere vitam.
  Nec minumam partem ex agris mœros is in urbem
Confluxit; languens quem contulit agricolarum
Copia, conveniens ex omni morbida parte.
Omnia condebant loca tectaque; quo magis æstus

enim, ut satis apparet ex sequentibus, non vult dicere, luctu et mœrore omnes statim mortuos, sed morbo tantum correptos esse. *Forb.*

1249. *Nec poterat quisquam.* Hoc dicit noster, neminem fuisse, quin, si minus ipse foret mortuus, vel ægrotaret, vel quempiam ex consanguineis et propinquis ægrotantem, mortuumve, comploraret. *W.*

1250. *Tentaret.* I. e. aggrederetur. Redi sis V, 347. Sic alibi Lucretius, et alii. Si malis, efficaciorem sensum poteris dictioni assignare, *percelleret* utique; de quo nos ad I, 13. *W.* — *Tempore tali*, in tanta calamitate.

1251. *Præterea jam pastor*, etc. Postquam Poeta tragicam urbis Athenarum conditionem ob oculos posuit, his 20 vss. inducit modo in scenam armentarios, pastores, et colonos, qui sævissima peste saucii, cunctarum rerum egeni, consilii præsertim inopes, manus dabant, angustaque casa conclusi, catervatim moriebantur, fame lueque confecti. *F.* — *Armentarius;* Virg. Georg. III, 344.

1252. *Et robustus item*, etc. V, 931.

1253. *Casa contrusa*, in casis conjecta, coarctata. Creech. sensu nimis quæsito : « homines *rure abditi*, et casas incolentes ».

1255. *Exanimis pueris super.* Anastrophe, super exanimis pueris; ut mox vs. 1257, *patribus super*, cf. 1159.

1257. *Edere vitam;* ut Ovid. Fast. VI, 745, et Epist. IX, 62, ubi videas Burmannum. *W.*

1258. *Minumam partem;* vs. 1248. — *Mœros is.* Forb. maluit legere *mœror*, quæ est codd. scriptura, ut per licentiam ultima syllaba producatur. Nos tamen Wak. sequi maluimus, præsertim quum vs. 1131, nihil tamen poscente metro, *ægros*, non *ægror* scriptum fuerit. Ed.

1259. *Languens*, scil. morbo, ut plene dixit vs. 1220.

1260. *Parte.* Sic Wak. ex omnibus libris; vulgo *parti.*

1261. *Condebant.* Wak. qui majorem distinctionem post *copia*, comma vero post *parte* posuit, verba *copia agr. cond. loca tectaque* per inversionem poeticam dicta putat pro *loca condebant copiam agricol.;* quod durius videtur. Melius

Digitized by Google

Confertos ita acervatim Mors accumulabat.
  Multa siti prostrata viam per, proque voluta
Corpora, silanos ad aquarum strata, jacebant,
Interclusa anima nimia ab dulcedine aquarum:
Multaque per populi passim loca promta viasque
Languida semianimo cum corpore membra videres,
Horrida pædore, et pannis cooperta, perire
Corporis illuvie: pellis super ossibus una,
Visceribus tetris prope jam sordique sepulta.
  Omnia denique sancta Deum delubra replerat
Corporibus Mors exanimis, onerataque passim
Cuncta cadaveribus cœlestum templa manebant;

Eichst. post *parte* punctum servavit, ut *loca tectaque* subjectum efficiant sequentis sententiæ, in qua pronomen *eam* cogitatione supplendum est. *Forb.* — Orationis tamen cursus, si recte sentio, postulare videtur, ut intelligas: « ii enim omnia loca cooperiebant et replebant »; potiusquam: « omnia loca hanc copiam continebant ». Atque, ni fallor, illo sensu major copia significatur. Ed.

1262. *Confertos ita;* eoque magis tam densos hominum fluctus et undantem multitudinem mors in acervos et cumulum congerebat. Hæc est codicum omnium lectio (vide Disq. var.); quæ quum facile explicari possit, nolui viros doctos auscultare, alios aliter suadentes. Apprime autem comparant Livium, III, 6. Ed.

1263. *Viam per;* vs. 1255.—*Proque voluta;* et provoluta: *provolvere* autem est palam et in loco publico, vel porrotenus volvere. *Lamb.*

1264. *Silanos,* fontes salientes, qui aquam ex personis quas Tullios, Marsyas, *Silanos,* etc. dixere, ejaculantur. *Gesner.* — De his *Silanis* Orellius conferri jubet Visconti Mus. Pio-Clem. I, p. 217, 219 ed. Mediol.

1265. *Interclusa anima,* etc. Intercluso et exstincto spiritu præ nimia aquarum cupiditate.

1266. *Per populi p. loca,* etc. H. e. in promptu et aperto posita et jacentia *membra*, homines, per loca publica, per publicas vias.

1267. *Cum corpore;* vs. 1232; vulgo *tum;* minus bene.

1268. *Horrida pædore.* I. e. scabra, aspera, ob superficiem sordibus obductam. *W.* — *Pannis cooperta;* nam pauperrimi rustici sese in urbem receperant. *Cr.*

1270. *Visceribus.* Editores male feriati, atque de suo rursus nobis ingerunt illud *Ulceribus* (cf. vs. 1199). Nimirum, *Visceribus sordique sepulta* exquisitissima est et efficacissima locutio poetica, pro « pelle visceribus inustis consolidatisque obruta et disperdita ». *Wak.* — *Sordi.* De hac forma, alias non occurrente, vide Ruddim. Inst. Gr. I, p. 130, not. 85, et Schneid. Gr. Lat. II, p. 231. *Forb.*

1272. *Onerataque.* Convenerant videlicet ibi, vel ut incubarent solo pro recipienda sanitate, vel quia alibi tam patens locus non esset. *Hav.*

Hospitibus loca quæ complerant æditueutes.
Nec jam religio Divom, neque numina, magni
Pendebantur; enim præsens dolor exsuperabat.
Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,
Quo pius hic populus semper consuerat humari:
Perturbatus enim totus repedabat, et unus
Quisque suum pro re consortem mœstus humabat.
Multaque res subita et paupertas horrida suasit;

1274. *Hospitibus loca*, etc. Quæ loca æedituentes, i. e. æditui seu æditimi, complerant hospitibus, i. e. rusticis et agricolis. Gell. XII, 10 profert hunc locum. *Lamb.*

1276. *Enim.* In hoc versu interpungendo plurimos editores sequutus sum. Lambinus tamen, Wak. et Nobbius sic distinguunt: *Pendebantur enim : præsens*, etc. *Enim* vero interdum sententiam incipere constat. Orellius laudat Oudend. ad Apul. Met. IV, 69, p. 255, ubi plures viros doctos hac de re disserentes reperies commemoratos, quibus adde Gronovios ad Liv. XXXIV, 32, et Cic. ad Att. IV, 12. *Forb.*

1277. *Mos sepulturæ.* Morem illum, quo Athenienses olim in sepeliendis corporibus utebantur, exposuit Nardius; cujus Animadversionem in fine hujus libri exscribere operæ pretium duximus. Ed.

1278. *Pius.* Erant scilicet δεισιδαιμονέστεροι, et superstitionibus, omne genus, scrupulosius addicti, Athenienses: quo nomine S. Paulus eos merito taxavit in Actt. Apostt. XVII, 22: quem locum nos illustravimus in Silv. Crit. V, p. 109. Summa nimirum necesse est fuerit illius calamitatis acerbitas, quæ propensissimas religiones vel negligendas esse, vel profanandas etiam, effecerit. *W.*

1279. *Totus;* scil. populus. — *Repedabat.* Id est, discursitabat, ultro citroque *pedes* versabat: hinc autem tam latam notionem vox illa et aliæ plures consimili forma tacite complectuntur, quia necesse est, ut ille, qui *retro* pedem moveat, prius *porro* tulerit. *W.* — Nobbius tamen vulgarium editionum *trepidabat* defendit. — *Repedare* est enim ἀναποδίζειν, seu pedem referre, id est, reverti. Quod dubium est, an sic de metu vel anxietate non dicatur: de terrore crediderim; nam qui repente terretur, pedem referre solet. Sed hoc loco populus continuo metu teneri, et quid faciat, sibi parum consulere, sive in summa anxietate huc illuc cursitare, hoc est, *perturbatus trepidare* dicitur. *Repedare* autem verbum, a sequioribus scriptoribus rursus frequentari solitum (vide Gœrenz. ad Cic. De legg. III, 8), a librario, gnaro prisci sermonis, ejus Lucretio tribuendi studioso, margini adscriptum in codices migrare facillime potuit. *Nobb.*

1280. *Pro re*, pro viribus, pro opibus, prout quisque poterat. — *Consortem*, amicum, socium.

1281. *Multaque res subita*, etc. Et multa male suasit ista calamitas quæ inopinantes et imparatos oppresserat. Cic. ad Famil. X, 16, 2: « in *rebus* tam *subitis* tamque angustis ». Alii aliter legunt. Vide Disq. var. — *Paupertas horrida*, tristis, horrenda; vel omnium egens ideoque sordida, scabra, ut vs. 1268.

Digitized by Google

Namque suos consanguineos aliena rogorum
Insuper exstructa ingenti clamore locabant,
Subdebantque faceis; multo cum sanguine sæpe
Rixantes potius, quam corpora desererentur.

1282. *Namque suos consanguineos*, etc. Hujus loci sententia hæc est : Nam suos consanguineos locabant cum ingenti clamore « super aliena rogorum exstructa » : i. e. super eos rogos exstructos, qui erant alieni, i. e. non sui. *Exstructa rogorum* autem sic dictum, ut illa « sæpta domorum », I, 490. *Lamb.*

1285. *Rixantes potius*, etc. Cum his committas Ovid. Met. VII, 609; Senec. Œd. 64, gemellos locos. *W.* — Malum istud quod Lucretius tam diserte post Thucydidem depinxit, non semel ex illo tempore in Europæ gentes debacchatum est. Hinc multi recentiorum eamdem rem tractavere; sed nobis satis erit quosdam e nostratibus in exemplum afferre. Cf. igitur (præter Barthélemy, *Voyage du jeune Anacharsis*, Introduct. part. II, sect. 3), Delille, *les trois Règnes*, lib. II; Millevoye, *Belzunce ou la peste de Marseille*, et *la mort de Rotrou;* Barthélemy et Méry, *Napoléon en Égypte*, lib. VII; de Lamartine, *Jocelyn*, 9ᵉ *époque*, t. II, p. 222 sqq. Ceterum nostra quoque ætas non terribilem minus pestem (*le choléra*), ex Oriente pariter *penitus venientem*, et per omnes populos *catervatim* funera circumferentem tulit et exhorruit, quum ipsa etiam *mussaret tacito medicina timore*. Ed.

Digitized by Google

IN LIBRUM SEXTUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

1. *Frugiparos*, Wak. restituit e Lugd. 1, 2 codd. præstantissimis. Vulgo *frugiferos*, ut reliqui libri. *Forb.*

6. *Omnia veridico qui quondam.* Quum haberet hoc Epicurus, quod se unum verum vidisse, maximis erroribus animos hominum liberasse gloriaretur, ceteros cæcos fuisse diceret; tum Epicurei unum Epicurum laudabant, ceteros contemnebant. Sed hanc Epicuri arrogantiam, ceteramque ejus inscitiam atque inscientiam multis verbis, iisque aculeatissimis, exagitat Cleomedes lib. II Κυκλικ. θεωρ. *Lamb.*

7. *Et exstincti.* Brit. 3 *et exstinctu,* Brit. 1 *inexstincta;* quare Wak. legendum censet *in exstinctu*, id est, in obitu, vel post mortem : aut *inexstincti*, viventis post exstinctionem etiam, propter famam inventorum. Neutra mutatione opus videtur. *Forb.*

10. *Omnia jam.* Hunc versum sequenti postposuere, vivorum audacissimi, Lucretiani editores, reclamantibus exemplis universis. Ordinem doctiorem, et ποιητικώτερον, similiter alibi invertere boni viri non erubuere : redi ad II, 5. *Wak.*

11. *Et per quæ.* Retinui cum Eichst. et Orell. vulgarem lectionem quam Wak. e Ver. et Ven. mutavit in *pro quo*, dubius tamen annon fortasse melior sit Bodl. Vind. Poor. lectio *et pro qua*, id est, cujus viæ respectu. *Forb.* — Versum delet Lambinus, quoniam *Vitam tutam consistere* nullo modo dici potest. Vix tamen a me impetrare possum quin credam Lucretium scripsisse *consistere* : ista enim vox Epicuro propria, qui ἡδονὴν καταστηματικὴν τοῦ σώματος, et non solum ἡδονὴν ἐν τῇ κινήσει agnovit. Vide Epicuri Epist. ad Pythoclem. *Creech.* — *Consistere* a veteri scriptore nove usurpatum est, pro constituere et reddere, ut et Terent. Phorm. I, 4 : « Quam insistam viam? » pro, quam instituam viam? scribit et Livius lib. I ab Urbe cond. *subsistere feras* pro excipere et sustinere. *Consistere* igitur dixit, ut si Græce καταστῆσαι dixisset. Hæc Turnebus, cui adsentior. *Hav.* — Versum suspectum habet Orell. et uncis includit.

Digitized by Google

12. *Divitiis*. Sic omnes fere libri, quos cum vulgatis edd. sequutus sum. Wak. e solis Ver. Ven. *divitias* : sed *homines effluunt divitias* profecto non est latinum. *Forb.*

13. *Excellere*. Wak. et Eichst. e 3 codd. *extollere;* sed *divitiæ* neminem extollunt bona natorum fama, juxta Wakef. lectionem. Minus etiam *extollere* convenit lect. *divitiis,* quum significationem verbi medii habere nequeat. *Orell.*

15 sq. *Atque animi ingratis,* etc. Lamb. ex duobus his versibus, qui in eamdem vocem exeunt, facinore admodum audaci hunc unum fecit : «atque animum infestis cogi servire querelis»; quem omnes vulg. edd. propagarunt. *Forb.*

19. *Collata*. Ita codd., edd. vett.; quod quum probabili explicatione defendi possit, Bentleii tmesin *con læta* (id est, læta convenirent) recipere ausus non sum cum Wak. et Eichst. *Orell.* — Non enim tam perdite, opinor, tmeses amavit Lucretius, ut et binas uno versu usurpare, et præpositionem *con,* plus unica interjecta voce, a verbo suo separare unquam in animum suum induxerit. Recte alii, quos inter annotator noster marginalis, ad quæstionem illam a Fabro motam, locum ita construunt : Et quæcumque commoda foris collata venirent. *Preig.*

25. *Cupedinis*. Wak. ex uno cod. Lactantii (cum quo tamen Lugd. 2, collatt. Heinsii, varr. lectt. Juntinæ *torpedinis* præbentes, conspirant) edidit *turpedinis*.

30. *Quod flueret naturali*. Quum in cod. Vaticano, Bertiniano, et Memmiano, scriptum reperissem, «Quod flueret naturali, varieque volaret» : ego *naturæ vi* reposui, in ceteris codices manuscr. sequutus. Vulgati habent, «Quod flueret naturali viro, atque veniret». *Lamb.*— Sed ad Lucretii mentem aditum tentemus; ratio fortasse conatum nostrum adjutabit. Sic igitur proponit et partitur poeta : «Quidquid mali est in rebus mortalibus, id omne vel a casu est, vel a natura profluit; et, quantacumque malorum, cladium, calamitatumque agmina percenseas, ea nusquam referenda fuerint, quam ad illa duo capita. Nam præter casum et naturam, quo confugies alio? quid erit tertium?» Deus, inquies; sed nihil ad Epicurum : Epicuri Deus, ut ingeniose bis terve a Tertulliano dictum fuit, *pæne nemo est.* Hinc itaque jam intelligis clarissimi Lambini emendationem stare haudquaquam posse. Dein, quod perquam foret vitiosum, in hoc ipso versu diceret Lucretius, quod in sequenti tantum dici debuit, «Seu casu, seu vi, quod sic natura parasset». Sed cur ea mala, quæ naturalia sint, vi fieri dicit? Nimirum lex naturæ, necessitas naturæ, fœdera naturæ, vis est, quam eluctari,

Digitized by Google

quamque eludere non possis; itaque scribit, « vi, quod sic natura parasset »; quia nempe ita res nostræ a natura comparatæ fuerunt, ut multa humani generis conditioni annexa incommoda sint, etc. Legendum autem arbitror, « Quod flueret permananter », vel *permutatim*. — Hæc quidem acute Faber, si opus foret isto acumine. E quonam codice *permananter*, vel *permutatim* effingi potest? igitur deleatur iste versus, et sane abesse potest. *Creech.* — Sensum planum, perspicuum, et quod caput rei est, Lucretio dignum suppeditabit, nisi vehementer fallor, id quod in Var. Lect. Is. Vossio acceptum referri videmus: « Quod fuerit fortunai ». Scribo, et distinguo: « Quod flueret fortunai varieque volaret Seu casu, seu vi, quod sic natura parasset ». Ut sit sensus: malum, quod seu casu, seu vi fortunæ flueret, varieque volaret, et inter mortales passim vagaretur, etc. *Preig.*

43. *Et quoniam docui*, etc. In hoc loco quam maxime offendimus. Non enim repetitiones tantum, huic loco larga manu adspersæ, quarum duas, vss. 56-66, et vss. 87-91 conspicuas, mox tractabimus; tertiam vero vs. 35-41 contentam (qui etiam II, 54-60, et III, 87-93 leguntur), fortasse non minori jure rejecerimus: in omni hoc exordio maximas turbas excitatas esse produnt, sed alia etiam restant, quæ supicionem illam probabilem reddere videantur. Sic inprimis vss. 47-49 et 92-95, qui in utroque loco, quo nunc leguntur, nimis abrupte et intempestive inseruntur, olim arcte conjunctos fuisse censeo; quod, vel ipso sensu et argumento eorum monstrante, si sumitur, inde etiam duci potest fons corruptionis, quam vs. 48, ab omnibus conclamato, ita videmus illatam, ut, cunctis libris monstra lectionum exhibentibus, conjecturis tantum locum sanari posse omnes viri docti censerent; quarum tamen quæ hactenus propositæ sunt, vix cuiquam comprobentur, licet ego quoque meliorem nunc quidem non in promtu habeam. Porro plane alieno loco leguntur vss. 43-46, quorum verba extrema: « quæ restant percipe porro » aperte indicant, auctorem jam in ipsis philosophiæ placitis exponendis perrecturum esse. Sed omissis etiam vss. 47-49, de quibus supra dictum, versu 50, qui nulla prorsus ratione cum proxime antecedentibus cohæret, rursus ad universam illam observationem de superstitiosa religione auctor deflectit, in qua, repetitione undecim versuum inserta, pergit usque ad vs. 79. Tum demum vss. 82 et 83 denuo ad ipsam expositionem philosophicam se accingens canit: « Multa tamen restant et sunt ornanda politis Versibus, et ratio cœli speciesque tenenda, etc. » quos tamen, priusquam ipsa rei tractatio vs. 96 incipit, vss. 87-91 tertia sequitur repetitio, cui adnectitur denique Calliopes illa invocatio, quam plane inepto loco positam esse supra jam diximus. Quis, quæso, hæc omnia considerans, de summa hujus totius loci confusione et corruptione amplius dubitabit? Jam vero licet difficile sit expromere, quæ

Digitized by Google

prima et vera hujus loci forma fuerit et ratio, omissis tamen omnibus illis versibus ex aliis locis repetitis, hoc fortasse statuere possimus, Lucretium, ut l. V, 50 sqq. fecerat, sic hic etiam ab Epicuri laude (v. 1-34) ad suum vestigia ejus sequendi consilium transiisse Musamque invocasse, ut sibi reliquam ad finem usque viam præmonstrans, victoris corona æternam gloriam et laudem conciliet; cujus corruptæ et ex parte deperditæ sententiæ fragmenta in vss. 47-49 et 92-95 quærenda fuerint; tum vero, prægressis fortasse quibusdam versibus transitu inservientibus de studio suo animos a superstitione liberandi (conf. IV, 7 sqq.), posuisse vss. 50-55, alio quodam initio prioribus nexos, quos deinde vss. 69-86 et 96 cum sequentibus exciperent. Ne tamen aliquis miretur, in hac loci ordinandi ratione versus quoque 43-46 a me omissos esse, de his etiam quædam sunt dicenda. Fateor enim, me non perspicere, ubinam hi versus, quos nunc quidem loco non apto positos esse supra demonstravi, commode inserantur, quum ultimis eorum verbis: « quæ restant percipe porro », non satis convenire videantur, quæ vs. 82 denuo dicuntur : « Multa tamen restant, etc. » Sed præter importunum locum, in oratione quoque horum versuum inveniuntur, quæ suspicionem aliquam movere possint. Verba enim *Quæcumque fiunt, pleraque dissolvi*, quum proprie notiones habeant sibi opposítas, non optime dici, quisque, puto, concedet. Sed ne vera quidem est sententia, pleraque tantum in cœlo dissolvi, quum Epicuri philosophia omnia omnino non in cœlo solum, sed in universo dissolvi debere doceat, ut primordiis solutis nova semper corpora exoriantur, quare e. g. V, 322 diserte de cœlo dicitur: «Totum nativum mortali corpore constat». Sed ne quid dissimulasse videar, Wakefieldus hanc sententiam alia interpretatione juvare studuit, paullo artificiosius sic explicans hunc locum : « *pleraque*, non *omnia* (minus ambigue fortasse dixisset : non *integra*); quum semina, vel principia, quamvis omnigenos cœtus experiantur, et omnimodas mutationes subeant, nullis plagis, nulla rerum vicissitudine, dissolvi queant »; quam etiamsi sumere velimus, tamen, quum primo adspectu altera illa explicatio cuique in mentem veniat, haud minima remanet ambiguitas, quam Lucretius alias summopere studet evitare, ut vel sic intellecta verba illa parum Lucretiana videantur. Ceterum his versibus nihil inesse, quod non ex aliis Lucretii locis interpolator decerpere potuerit, e l. V, vs. 322 cum V, 61 et 66 collato, V, 1436; I, 1013, 1098; II, 1001, aliisque permultis locis, ubi « mundi, cœli, orci templa » commemorantur, satis manifestum est. Quæ quum ita sint, an suspicionem meam de omni loco, ut periculum verecunde factum, non tanquam sententiam certo et indubitate propositam probare possint, alii videant. *Forb.*

45. *Fierique.* Editores ita de libitu, contra libros omnes, distichum

Digitized by Google

corrumpunt: « Et, quæcunque in eo fiunt, *fientque*, necesse *Esse ea* dissolvi ». *Wak.*

48. *Ventosum*, etc. Plerique libri versum sic exhibent, *Ventorum exirtant placentur omnia rursum :* unde conjecturis area patuit. Ingeniose, ut mihi videtur, Jo. Auratus pro *ventorum* (quod in omnibus libris apparet) *ventosum* fecit, collato Horat. Epist. I, 2, 177: « ventoso gloria curru ». Ita enim posses *ventosum insignem currum* jungere; nam duplex epitheton noster aliquando protulit; I, 258; II, 43; vel *ventosum* ad ipsum poetam refer. Lambinus, qui tres versus suppositos putat, corrigit *Vincendi exhortata est spes;* unde vulgatum postea *Vincendi spes hortata est.* Vossius ad Catull. p. 191, *ventorum exhortat pellacia, et omnia*, etc. Wak. autem edidit *Ventorum excierat pacator* (id est, Epicurus), *et omnia rursum, Quæ furerent, sunt*, etc. Forbiger denique *Vectorem exhortant plaudendo ut obvia cursu, quæ fuerint, sint*, etc. Orell. vero omnia hoc loco tam misere luxata judicavit, ut satius duxerit manum abstinere. Malui tamen in audaciæ crimen incurrere, dum meas conjecturas, quæcumque sint, doctioribus proponerem. Lectio, quam in textum admisi, simplicior quidem visa est; sed non magis placet, quam ceteræ. *Exhortas* quidem caret exemplo, sed Priscian. VIII, p. 797, testis est antiquos dixisse *horto, as;* quam verbi formam editores quidam tribuunt Plaut. Amph. III, 4, 10, et Asin. III, 1, 9: apud alios quoque passiva significatione occurrit. *Male esse* autem Horat. dixit Od. II, 10, 17. Poterat etiam legi, « conscendere currum Ventosum aurigam placuit tibi, ut omina rursum, etc. » id est, ita ut mala omina, res mali ominis ob difficultatem, in gratiam verterentur. Vel ex his omnibus alia quælibet concinnanda est lectio; sed quis Lucretianam inveniet? Ed.

52. *Efficiunt.* Sic vetusta Pii exemplaria, et vulg. edd. Wak. *Et faciunt.*

56. *Quorum operum causas.* Locus e duobus aliis repetitus et prorsus superfluus, qui non copiosa eget demonstratione. Versus enim 56 et 57 longe aptiori loco legebantur jam I, 154, 155 (et infra VI, 90, 91 iterum repetuntur, de quo loco postea sermo erit), vss. 58-66 vero sine ulla mutatione affuerunt jam l. V, vs. 83-91, ita ut solus vs. 66 tanquam clausula satis languida nec ullo modo necessaria a seriori manu addita videatur. Sensum autem quod attinet, quis non videt jejunam illam tautologiam vss. 56 et 57, qui, quum nihil plane amplius contineant, quam quod versibus prægressis dictum erat, ab homine parum sane ingenioso ex altero illo loco huc tracti videntur, ut quasi interpretamento priorum versuum lectoribus omnia minima velut præmansa in os ingereret. Simul vero cum his versibus cadunt et sequentes, qui, licet ab hoc loco non alieni, prorsus tamen superflui sunt censendi: quare quum

Digitized by Google

l. V iisdem plane verbis jam lecti sint, et hic, omnibus his omissis atque vs. 68 statim versui 55 subjuncto, omnia bene cohæreant nec aliquid desideretur, hos etiam versus ab eadem manu, quæ vss. 56 et 57 ex altero loco addidit, iteratos esse censeo. Versum autem 67 facillimo negotio a seriori interpolatore proprio Marte addi potuisse, quis neget? inprimis quum quæ in eo Lucretiana videantur, omnia e pluribus aliis locis depromta esse possint. Conf. inprimis I, 333, « Nec sinet *errantem* dubitare »; III, 754; « falsa *fertur ratione* »; IV, 447, « qua *ratione feruntur* »; V, 23, « longius ... *a* vera *ratione ferere* »; V, 1004, « *ratio cæca* jacebat ». *Forb.*

64. *Miserei.* Sic plurimi libri; Wak. tamen e quibusdam edidit *miseris.*

70. *Delibata.* Quum in aliquot libris manuscr. reperissem scriptum *deliberata,* ego *delibrata* reposui: quod interpretor deminuta, et violata, et quasi detrita. Ne *delibata* quidem improbo, ut sit tralatio a vino libato et delibato: quod libando deminutum esse intelligitur. *Lamb.* — An *delibrata* legi debeat certent Lambinus et Gifanius, dum neutra vox ferri potest. Lege autem *deirata,* valde irata, istamque emendationem illi qui sequuntur versus confirmant. *Creech.* — Illa ipsa Numina, quæ tu vano metu tibi ipsi irata fingis, delibata quasi illorum majestate. Recte enim præter alios explicat Turn. Adv. II, 12, per contaminata, diminuta, violata, non ea integritate, qua sunt, et placida pace: adducitque Ciceronis in Rhetoricis ad Herennium locum: « ille nulla voce delibans insitam virtutem ». *Hav.*

76. *Simulacra feruntur in mentes.* Retinuimus cum Forb. post Orellium vulgarem lectionem. — *Simulacra fuerunt:* i. e. nec valebis tranquilla mente ea simulacra contemplari, quæ primitus ad veras deorum figuras sunt expressa: vide V, 1168-1174. Viri docti non intellexerunt locum; et inde arripuerunt avidissime lectionem (Brix.) *feruntur,* haud dubie mala fraude importatam, quamvis nonnihil faveat depravatio V. ed. nempe *ferunt,* elapso *u.* In his autem versibus Lucretius de populari potius opinione loquitur, quam sua, et Epicureorum persuasionibus. *Wak.* — Sed *feruntur* satis defenditur et more Lucretii IV, 177, 240, 328, etc. et subjuncto *in menteis,* in quo misere se torquet Wakef. *Orell.*

83. *Et ratio superum cœlique.* Sic restitui, sequutus auctoritatem librorum manuscr. Atque ut magis credas vulgatam scripturam, *ratio cœli speciesque tenenda,* esse corruptam, Memmianus sic habet, *ratio, cœlique tenenda;* ex qua scriptura apparet omissam esse a librario vocem *superum:* deinde, quum perspicue versus claudicaret, inculcatum esse

Digitized by Google

nomen *species:* per *supera* autem μετέωρα significat. Jam Epicurus harum omnium rerum causas naturales esse docebat, ne, si Deos in eis rebus administrandis occupatos esse fateretur, eadem opera beatitudinem eis adimeret : simulque nos metu Deorum, quorum providentia mundus gubernaretur, conturbaremur : et ita vitam sollicitam, et anxiam, et turbulentam, minimeque tranquillam coleremus. In quo ille magnopere fallebatur. *Lamb.*

87-91. *Unde volans ignis*, etc. Locus non solum prorsus superfluus, sed absonus etiam et e duobus aliis locis est compositus, quum vss. 87-89 infra rursus legantur vss. 383-385 ; vss. 90 vero et 91 (quos alio etiam hujus libri loco temere repetitos esse modo vidimus) jam I, 154, 155 affuerint. Absonum vero hunc locum dixi, quod, quum auctor in præcedentibus capita disputationis jam instituendæ paucis tantum verbis indicet, quæ de fulmine ejusque metu adduntur, paullo longiora et ampliora mihi videntur, quam quæ hujus loci rationi apte conveniant. Certe si hic jam Lucretius hos versus posuisset, non infra eos rursus nobis recoxisset, in quo tamen loco quam apti sint et necessarii quisque videt. Quæ omnia efficiunt, ut Lucretium hunc locum vs. 86 apte et graviter finiisse, versus autem repetitos a seriori interpolatore additos putem. *Forb.*

88. *Partem.* Wak. cum Lugd. 1, Poor. Brit. 3 *partim*, ad antiquiorem orthographiam, ut dicit; quam tamen formam e tam paucis libris restituere non ausim. *Forb.*

95. *Insigni* Wak. rectissime restituit ex omnibus libris, comparans Virg. Æn. I, 625 ; vulgo *insignem* ad editorum arbitrium haud dubie ob locum I, 928, sive IV, 4. *Forb.*

105. *Aut bruto.* Reposui *abrupto*, sequutus et codices MSS et nonnullos vulg. in his Aldinos antiquiores, et Parisienses, et Basilienses. *Abrupto pondere* autem sic dictum, ut illud Virg. Æn. III, 199, « abrupti nubibus ignes »; et ipse Lucretius lib. II, 214. *Lamb.* — *Nam aut cadere abrupto deberent.* Ita in veteribus nostris. *Gif.* — Uterque igitur in eo lapsi sunt, quod dici posse *pondus abruptum* existimavere; et tamen non potest. Nam exempla quidem quæ proferri possint, ita aliena sunt, nil ut ad confirmationem illius lectionis facere possint. Deinde nec ratio quoque unquam patiatur, ut dicamus, « nubes pressæ abrupto pondere »; si enim abruptum esset pondus (quando nos ad eum modum loqui jubent), tum nubes non premerentur. Insuper non convenit τὸ *abruptum* cum allato lapidis exemplo, qui hoc loco proponitur cadens suopte motu, sine omni vi externa, sine impulsu. *Faber.*

Digitized by Google

109. *Theatris.* Pius affirmat in quibusdam codd. inveniri *magnis intenta trachelis;* quæ lectio mirificam habet commendationem, quum plane incredibile sit, librarium quemdam vulgari lectioni hoc verbum substituisse, quod in Latinorum scriptis tam rarum et incognitum est, quam aptum et elegans in nostro loco, cui solus Macrobius lucem afferre potest. Hic enim Grammaticus, Saturn. V, 21, varia poculorum genera et nomina describens, de carchesiis in nostris quidem codd. hæc scribit: « Asclepiades autem ... carchesia a navali re existimat dicta. Ait enim, navalis veli partem inferiorem πτέρναν vocari; at circa mediam ferme partem τράχηλον dici; summam vero partem carchesium nominari, et inde diffundi in utrumque veli latus ea, quæ cornua vocantur ». Sed huic loco vitium inesse mihi non dubium videtur, quum et forma et nomen poculi, quod καρχήσιον dicitur, sicut omnis hujus loci ratio cum Athenæi XI, 7, 49 comparati, aperte indicet, hic non de veli, sed de mali partibus sermonem esse; quare verissima mihi videtur conjectura: *navalis mali* pro *navalis veli*, Zeunio etiam probata. Quod si verum est, nostro in loco *trachelis* illud, ut difficilius et insolentius, etiam verius et antiquius habeo, in primis quum constet, Lucretium verba græca sæpius in suam rem convertisse. At vero si hæc statuimus, patet, etiam versum sequentem magnas passum esse mutationes, ita tamen ut vera et antiqua Lucretii verba prorsus interirent, qui vix scribere potuerit: Carbasus, trachelis (i. e. malo) intenta, inter malos trabesque jactata. Sed si omnino serior interpolator verbum *trachelis,* utpote obscurum et insolitum, removendum, ideoque omnem locum paullo immutandum esse censebat, profecto maxime in promtu erat hæc mutatio, quæ ad singula verba ex alio Lucretii loco sumi poterat, siquidem lib. IV, vs. 73 seqq. hæc legimus: « magnis intenta theatris ... Per malos vulgata trabesque, trementia fluctant »; ex quo tamen loco si fortasse erunt qui nostrum etiam defendant, his nihil aliud opponere possum, quam miram illam lectionem, cujus originem, nisi a Lucretio ipso scripta fuisset, equidem non divinare valeo. *Forb.*

114. *Chartasve.* Wak. Eichst. Nobb. *chartasque* cum Poor. Brit. 3, Cant. Ver. Ven. Ald. 1, Bon. Nos antiquiores et meliores libros audiendos duximus. *Forbiger.*

118. *Corpora tractim.* Fabri est emendatio, quam, quum ex parte certe annuant Lugd. 1, 2, *tractim* præbentes, Wakef. recepit, procul dubio rectissime. Ceteri libri omnes *corpore tractum.* Vulg. editt. *corpori' tractum. Forb.*

120. *Exierunt.* Sic Lugd. 1, 2, Brit. 2, quos recte Wakef. Eichst. sequuntur. Ceteri libri *exierit,* quod vulgares edd. receperunt. *Forb.*

Digitized by Google

131. *Pariter sonitum*. Wak. ex Isidoro rescribit *magnum sonitum*, et conj. proponit *dat per vim sonitum*. Nos codd. sequi maluimus.

133. *Ut sonitus faciant*. Vulgo, libris omnibus reclamantibus, *cur*.

147. *Magno clamore trucidet*. Vulgares editt. ante *magno* inserunt *ut*, quod Wak. consensu librorum omnium suadente, primus omisit, recte simul restituens indicativum *trucidat*. *Forb.*

159. *Mixtei*. Wak. cum Bodl. Ver. Ven. Ald. 1, Bon. *mixta;* provocans ad plures locos a se ad III, 643 allatos. Sed plane assentior Nobbio, nullum horum locorum nostro plane similem esse, in quo orationis æqualitas et elegantia *mixtei* necessario postulet. *Forb.*

172. *Et simili*, etc. Ita Poor. Cant. Ver. Ven. Ald. 1, Bon. quibus cum Eichst. auscultandum duxi. Vulgo *e*. Contra vulg. editt. *et* inserunt post *causa*, ne uno quidem libro addicente. *Forb.*

184. *Oculorum ad limina nostra*. Vulgo *oculos ad lumina nostros*, hoc ordine : Quam lumina, quæ ad oculos nostros perveniunt.

187. *Nec*. Ita, præter Lambini, ut videtur, codices, Vind. Ald. 1, 2, Bon. Junt. quos vulg. editt. sequuntur. Wakef. cum reliquis libris *ne*. *Forb.* — *Inferne*. Non est quod quemquam moveat ultima syllaba correpta : est enim brevis. Et ita de *superne* sentiendum : ut IV, 440 : « et recta superne guberna ». Verumtamen non dissimulabo, in quibusdam libb. legi *inferna :* quam lectionem si probabimus, paullo aliter hunc locum explicabimus. *Lamb.*

218. *Et sonitis*. Ita Wak. rectissime, ut videtur, edidit e Cant. Vulgo *et sonitu*.

220. *Ictus et inusta vapore*. Retinui cum Eichst. vulgatam lectionem ab Ald. 1, 2 et Bon. diserte exhibitam; a quibus reliqui libri non magnopere differunt. Wak. e conjectura superflua, *ictu subinusta vaporis* edidit. *Forb.*

223. *Sæpe*. Vossii est conjectura admodum probabilis, quam Wak. et Forb. recepere. Vulgo *per se*.

225. *Hunc tibi subtilem*, etc. Locus vulgo sic editur et distinguitur : « subtilem cum primis (præsertim) ignibus ignem c. nat. minutis, mobilibusque corp. » Wak. autem restituit *motibus atque* e Lugd. 1, 2, Poor. Brit. 1, 2, 3, Cant.

Digitized by Google

228. *Validum fulmen* Wak. in contextum revocavit ex optimis libris. Vulgo *valide*. — Quæri potest, quamobrem tanta vis insit in fulmine, tantaque mobilitas. Primum ventus est : ventus autem mobilis est. Deinde ventus est incensus : ignea autem omnia mobilia sunt : deinde e nubibus magno impetu exprimitur : at quæ exprimuntur, qua erumpunt, celerrime et validissime evolant, ut quæ e tormentis missa ferri videmus : quod et Lucretius posterius testatur, vs. 327 sqq. Motus autem calorem auget. Ita fit, ut ignis fulmineus sit et subtilissimus, et celerrimus, et validissimus : saxa discutiat, aut penetret : æs, et aurum, et similia liquefaciat : solo denique contactu, atque adeo afflatu, animantes interimat, et similia auditu mira faciat. *Lamb.*

231. *Curat item*. Conjunctionem *ut* quam post *item*, libris omnibus invitis, vulg. editt. intruserunt, Wak. primus omisit. *Forb.*

233. *Lateramina vàsi*. Quum animadverterem, libros omnes MSS habere *lateramina :* vulg. autem *latera omnia :* diu multumque dubitavi, utram lectionem probarem : ad extremum, lectionem veterem sequi malui, idque tutius esse judicavi. Accessit, quo facilius hanc scripturam probarem, quod vasa vinaria, quum sint fere rotunda, latera non habent : *lateramina* autem, i. e. lateres, habent, quum sint fictilia, et ex terra constent. *Vasi* autem, quod in superioribus duabus editionibus prætermiseram, quia nullo in codice repereram, in hac editione tandem reposui, Capellæ (de Anal. III, initio) auctoritatem sequutus. Nam libri omnes et vulg. et MSS habent *vasis*. *Lamb.* — Et sic edidere Wak. Forb. aliique.

237. *Cellens*. Restitui *pollens*, a quinque libris manuscriptis admonitus, in quorum tribus scriptum est *tollens*, in duobus *tellens :* nisi quis dicat, legi posse *cellens*, pro excellens ; ut sit simplex pro composito : quod minus probo. Vulgata lectio autem, *candens*, subdititia et adulterina est. *Lamb.* — *Cellens* Wak. recepit e Lugd. 2, eumque viri docti sequuti sunt.

241. *Avellere tigna*. Sic reposui, sequutus scripturæ veteris non obscura vestigia. Nam libri vulg. habent *ligna*. *Lamb.* — Hanc autem lectionem recepit Wak. sed Lambini emendationem sequuntur Eichst. et Forb. et alias quoque sic Noster loquutus est.

242. *Demoliri*. Sic Lugd. 2, Ald. 1, 2, Bon. Junt. quos Bentleio etiam suadente, cum vulg. editt. et Eichst. sequutus sum. Reliqui libri *commoliri*, quod Wak. edendum curavit, etsi e vs. 255 huc translatum videatur. *Forb.*

Digitized by Google

244. *Possint*. Wak. e Poor. Bodl. Brit. 1, 3, Cant. et vett. edd. recepit *possunt;* quem indicativum quomodo locus commode admittat, non video. *Forb.*

246. *Gignier e*. Multi codices *gigni e*. Wak. e conjectura edidit *gigni de*.

257. *Demissum*. Ita Wak. cum Ald. 1, 2, Bon. Junt.; ceteri libri *dimissum*, ut vulgo editur. — *Flumen;* veteres omnes *fulmen*, sed vitiose. *Wak.*

266. *Nec tanto possent venientes opprimere imbri*. Sequutus olim fueram codices vulg. qui sic habent, « Nec tanto possent hæc terras opprimere imbri ». Et tamen antiquam scripturam lectori indicaram : unde quosdam suspicari scripseram, legendum *viventeis*, i. e. homines, seu animantes : vulgatam autem illam sic declarabam : et hæc, videlicet fulmina, non possent, etc. Nunc vero antiquam sic leviter immuto, « Nec tanti possent venientes opprimere imbres, Flumina, etc. » ad *opprimere* autem subintelligo nos, seu animantes. Licet etiam sic legere, non ita longe ab antiqua scriptura. « Nec tanto possent viventeis opprimere imbri », ut subintelligamus nubila : et *viventeis* sit accusandi casus, et significet animantes. *Lamb.* — Wak. omnium fere librorum lectionem *venientes* in contextum revocavit; recte.

281. *Vis venti*. Wak. e conjectura edidit *gravius ventosus, et ignis*, quod improbat Forbiger.

296. *A culmine*. Lectio haud dubie verissima a Wak. partim e codd. partim ex ingenio restituta. Libri enim fere omnes *culmine* præbent. Vulgo *fulmine*. *Forb.*

324. *Ac*. Ita Wak. e conj. pro *At* omnium librorum lectione; vulgo *Et*. — *Pergunt tibi* lectio est non minus e Wakefieldi ingenio profecta, sed satis elegans et speciosa, quum Brix. Ver. Ven. Ald. 1, Bon. præbeant *pergunt ubi*. Junt. et Ald. 2 hic etiam, ut sæpissime, vulgatæ *pergunt sic* primi fontes videntur. *Forb.*

346. *Forsitan*. Ita Wak. ex omnibus fere libris restituit; vulgo *forsan et*.

347. *Incendunt* Wak. revocavit e Poor. a quo reliqui libri miro consensu *incedunt*. Vulgo *intendunt*.

349. *Liquidas*. Ita Lugd. 1, quem cum Wak. sequor, vulgo *liquidis*. — *Transviat* Wak. restituit e pluribus libris. Ald. 2 sola *transvolat*, quæ nihilominus, in *travolat* mutata, vulgaris lectio facta est. *Forb.*

Digitized by Google

357. *Apta.* Sic legendum esse jam Creech. et Bentl. statuerunt; eamque lectionem demum Wak. in contextum recepit, quem cum Eichst. sequutus sum, licet omnes libri *alta* exhibeant. *Forb.*

370. *Sese* Wak. recepit e Lugd. 1 et Brit 1 pro vulgari *se res,* quod certe omnes editt. vett. habent. *Forb.*

389. *Ignem* Wak. restituit ex omnibus libris præter Junt. et Ald. 2, quæ solæ vulgatam exhibent *ignes. Forb.* — *Quo quoique* vel *cuique.* Sic Poor. Cant. Junt. Ald. 2; e quibus in omnes editt. seriores transiit. Ald. 1 et Bon. *quo inducit.*—*Voluntas.* Vulgo *voluptas*, contra libros scriptos haud dubie. *Wak.*

393. *Nulla sibi turpi conscius in re.* Edidimus hunc versum, ut a Wak. ex omnibus omnino libris restitutus est. Vulgares tamen editt. hunc versum nobis propinant e Lambini fabrica profectum : « Et potius nullæ sibi turpis consciu' rei ». *Forb.*

397. *Tum brachia consuescunt.* Sic Wak. restituit ex omnibus libris. Vulgo e Lamb. arbitrio, *An con brachia suefaciunt*, etc. ut intelligatur, esse tmesin, pro : consuefaciunt brachia.

423. *Facile est.* Sic omnes libri, præter unum Cant. in quo haud dubie per librarii negligentiam vocula *est* non comparet. Wak. tamen hac varietate firmat conjecturam *facul*, quam in contextum adeo recepit. *Forb.*

424. Πρηστῆρας; *Graiei*, etc. Græcis dicitur Πρηστὴρ, quasi inflammans, aut tumefaciens, aut fervefaciens. Quod ut intelligas, distinguendum tibi est cum Aristotele lib. III Met. et Plinio II, 48, s. 50, inter ecnephiam, prestera, typhonem, et fulmen. Quum enim hæc omnia, tonitru, fulgura, ecnephias, prester, typho, et fulmen nihil aliud sint, quam flatus seu venti, distinguendum est inter isthæc. Itaque si ventus tenuior sit, ac minutatim sparsimque diffundatur ac diffletur, edit tonitrua et fulgura. Si densior, crebrior, et minus tenuis fuerit, gignit procellam, quæ Græcis dicitur Ἐκνεφίας, hoc est, sine pluviis, ut ait Plin. II, 48, s. 50. Si vero ventus e nube erumpens inciderit in ventos alios erumpentes ex aliis nubibus, sine igne, fit aut vortex, aut turbo, quod Græcis dicitur τυφών : vortex quidem, si fragorem edat; turbo vero si nullus fiat fragor, sed quidam tantum stridor. Sin autem ventus, ubi e nubibus erupit, arserit, accensusque fuerit, fit prester, qui Græcis dicitur πρηστὴρ, quasi « comburens contacta pariter et proterens », inquit Plinius citato loco. Si ventus non, posteaquam e nube erupit, ignem concipiat; sed, quum primum nube exprimitur, ardeat, fit fulmen quod

Digitized by Google

Græcis dicitur Κεραυνός. Si denique ventus ille non potest frangere nubem, sed eam deprimit deorsum in terram aut in mare, tunc fit columna. *Forb.*

428. *Incita.* Sic Poor. Brit. 1, Cant. Ald. 1, 2, Bon. Junt. quos omnes editores sequuti sunt, et jure quidem : nam *lacita* ceterorum librorum mera corruptio videtur; quod quum Wak. dicit fortasse pro *lacessitus*, id est, percussus, accipi posse, hoc artificiosius censeo, quam probabilius. *Forb.*

454. *Compressa.* Sic Wak. ex omnibus libris nobis cognitis, præter unum, restituit. Lamb. tamen e quibusdam libris, ut confirmat, edidit *comprensa*, quod in omnes vulg. editt. transiit. *Forb.*

460. *Quoique*, Wakefieldi est conjectura e Lugd. 1, 2, Bodl. Brit. 1, 3, Brix. Ver. Ven. lectione *quoque* eruta. Vulgo *quæque*. *Forb.*

466. *Et condensa atque arcta apparere, et simul ipso.* Hunc versum edidimus ut a Wak. ex omnibus fere libris integritati restitutus est. Vulgo editur satis audacter : « Condensa ac stipata simul cernantur, et udo ». *Forb.*

475. *Ratio consanguinea est.* Sic Hav. reposuit e Vossii conjectura, quem recte Wak. sequutus est. Vulg. editt. *cum sanguine abest.* Lamb. hunc versum, aut spurium censet, ut jam Avancius, aut post vs. 405 collocandum; alii post 523 positum volunt. Utrumque temere. *Forb.*

488. *Immemorabile* lectio est omnium fere librorum, quam cum vulg. editt. et Eichst. retinui. Wak. hic etiam, ut IV, 193, e Brit. 1, et Cant. recepit *innumerabile*, quod e vs. 485 huc translatum videtur. *Forb.*

501. *Corpus cum sanguine.* Lamb. et Bentl. maluissent *sanguis cum corpore;* quod planius utique fuisset, sed minus poeticum. *Forb.*

505. *Mare ventei;* sic Wak. ex omnibus libris restituit, Junt. et Ald. 2 exceptis, quæ vulgarem verborum ordinem *venti mare* exhibent. *Forb.*

509. *Tum se dimittere.* Wakefieldi est conjectura, quam cum Eichst. prætuli ceteris hujus viri divinationibus qui præter hanc tres alias locum sanandi proponit rationes, ut scilicet legamus *humecti mittere* (id est, humidi vel humoris) quam ipse in contextu sequutus est, aut *humentia mittere*, aut denique *tum ventrim mittere*, id est, tumorem suum, quæ omnium minime placet. Libri veteres hæc habent : Ver. Ven. *tumenti*, receptæ lectioni quam simillime; Brit. 3 *humenti;* Cant. *vim venti;* ceteri omnes *vi venti*, quod vulgo editur, sed e versu sequente sumtum videtur. *Forb.*

Digitized by Google

511. *Coacta* Wak. restituit e Poor. Brit. 1, 3, et cunctis editt. vett. vulgo *coorta*. *Forb.*

512. *Urguens*, etc. Ita Wak. restituit, partim codd. partim ingenio parens. Vulgo *Urguet, et c. Forb.*

524. *Hic* Wak. Bentleio jubente, e Vind. Poor. Brit. 1, Cant. et omnibus vett. edd. revocavit; vulgo *hinc*.

526. *Color arqui.* Quod ad iridis colores spectat, duo potissimum quæruntur, numerus et causa. Quod ad numerum pertinet, Aristoteles tres tantum colores discernit, puniceum, seu croceum aut rubeum, ut quibusdam placet; viridem; et purpureum, seu violaceum aut cœruleum. Unde iridem vocat tricolorem. Ptolemæus autem vocat eam septicolorem, ob intervenientes medios colores minus præcipuos inter tres illos primarios. Alii vocant eam multicolorem, quasi vix illius infiniti colores distingui queant; unde Virg. Æ. IV, 701 : « Mille trahit varios adverso sole colores ». Quatuor autem præcipui tantum colores observantur : 1° puniceus, 2° flavus, 3° viridis, 4° purpureus. Qui quidem colores ordinem mutant pro diversa iride. Duplex enim distinguitur iris, primaria, et secundaria. Primaria dicitur ea, quæ sola plerumque apparet, et in qua puniceus color est extimus, seu supremus, flavus succedens, viridis tertius, et purpureus intimus seu infimus. Secundaria vero vocatur ea, quæ nunquam sola, sed aliquando superior ampliorque apparet, quam primaria; habetque eosdem colores, sed ut debiliores, ita plane inversos. Videlicet in ea purpureus color extimus est, sequens viridis, tertius flavus, et intimus puniceus. Jam vero quod ad causam colorum iridis pertinet, consentiunt omnes duplicem tantum agnosci, solem, et nubem aquosam ex adverso sitam : verum eodem modo rem non explicant. Metrodorus apud Plutarch. Plac. III, 3, putat ruborem iridis oriri a solis radiis, cœruleum a nube. Cui suffragatur Seneca, adjiciens ceteros colores esse hujus utriusque mixturam. Aristoteles Meteor. III, vult nubem esse velut speculum, a quo solis radius varie reflexus varios reddit colores : puniceum quidem, quod reflectatur ex ea nubis parte, quæ vicinior est : viridem, quod reflectatur ex ea nubis parte, quæ remotior : purpureum denique, quod vix reflectatur, ob majorem adhuc nubis remotionem. Flavum autem colorem non distinguit a puniceo, nisi quod ob viciniam viridis veluti albescit. Scaliger, quia putat nubem constare ex quatuor elementorum particulis, ideo vult supremas nubis partes lucem solis excipientes rutilare, tanquam igneas : sequentes flavescere, tanquam aereas; tertias virescere, tanquam terreas : quod ad iridis formam spectat, ea rotunda quidem est; sed cur rotunda sit, longius esset hic referre diversas auctorum opiniones de hac re. Consule P. Gassend. in lib. X Laert. Animadv. de Meteorolog. pag. 1123. *Fay.*

529. *Nix.* Nix fit, quum tenuis aqua, e nubibus fusa, sensim decidens concrescit non longe a terra, sed longe a nubibus, e quibus effusa est, ita ut, propter magnum intervallum, guttæ rotunditatem suam conservare non potuerint, sed distractæ jam, ac divulsæ, ad locum, ubi frigore concreverunt, pervenerint. *Lamb.* — *Grando.* Grando fit, quum guttæ, e nubibus effluentes, statim ut ex illis exstiterunt, frigore concrescunt: guttæ autem omnes rotundæ sunt natura, quod sensus docet, ac judicat. Ita fit, ut guttæ illæ, quæ natura rotundæ sunt, ante quam longius a nubibus recedunt, frigore, quod ibi est acerrimum et intentissimum propter antiperistasin, concretæ, fiant id quod dicuntur, ex aqua grandines. Ex quo nives fiunt hieme maxime: at grandines vere atque auctumno. *Lamb.* — *Gelidæque pruinæ.* Pruina ros est congelatus, et frigore concretus. Itaque ros fit æstate maxime, interdum etiam vere, et in locis tepidis et calidis: pruina vero, quam πάχνην nominant Græci, hieme, et in locis frigidis. *Lamb.*

531. *Aventeis.* Sic Wak. restituit; vulgo *euntes* sine libris.

537. *Ut supera, ventosis.* Vulg. editt. sic habent, *ut supera est, ventis atque undique,* etc. Sed quum *est* in omnibus libris desit, *atque* vero pariter non legatur in Lugd. 1, 2, Vind. Brit. 1, 3, Cant. Brix. Ver. Ven. Wakefieldus his libris obtemperans e conj. edidit *ventosis* pro *ventis*, quem cum Eichst. sequutus sum. *Forb.*

541. *Submersaque saxa.* Vossius ad Catullum p. 269, legit e codd. *submerso capte,* i. e. capite. *Creech.* — Et recte quidem Vossius, clare id evincentibus MSS optimis, qui vestigia non modo lectionis hujus monstrant, sed tantum non ipsam ponunt. Ennius quoque in *capitibus* similiter literam *i* elidi voluit versu apud Nonium et Gell. Sed et Lucretius in prioribus jam *saxa* illa commemoravit versu 539; quæ *derupta* vocavit, non quod ut *submersa volvantur* tanquam effracta et avulsa ab aliis saxis, seu a se invicem, verum quod sint hiantia, aspera, confragosa, atque adeo in medio sui derupta. At illud *submerso capte* seu *capite*, terram denotat inversam, et in se quasi subsidentem ita, ut quod extra ostendat intus similiter comprehendat, in quo utique argumento versatur poeta, et quod sibi probandum proponit (cf. vs. 536), ut ita similis sibi ipsi sit et exserto et submerso (ut poetice loquitur) capite. *Hav.* — Wak. qui retinet hanc lectionem, sed portentosam explicationem recte judicat, de *submersis fluminum fontibus* interpretatur. Quum vero Poor. Cant. Ald. 1, 2, Bon. Junt. vulgarem lectionem *submersaque saxa tueantur*, eam Forb. et Eichst. merito, opinor, revocaverunt. Ed.

548. *Plaustris* scripsimus cum omnibus libris MSS et edd. vett. vulgatisque. Wak. ad Prisc. I, 9, § 52, et vocem *plostellum* provocans, *plostris*

Digitized by Google

edidit. Recte tamen Schneid. Gr. Lat. I, p. 59 sq. docuisse videtur, utramque pronuntiationem et aurea ætate simul adhibitam, illam vero usitatiorem fuisse. *Forb.*

550. *Nec minus exsultant*, etc. Sequutus eram initio codices Florent. Lugdun. Venetos, Basilienses, in quibus sic legitur, *exsultant ubi currus cumque equitum vi.* Memmianus autem manuscr. *Nec minus exultantes dupuiscumque vim;* ex quibus scripturis vitiatis, et corruptis, nunc hanc elicio : « Nec minus exsultant, ubi currus, fortis equum vis, etc. » ut sit hic ordo verborum hæcque sententia : nec minus exsultant (tecta subint.) ubi « fortis equum vis », hoc est fortes equi, succutit (succutiunt) utrimque ferratos orbes rotarum currus; *currus* enim est patrii casus. *Lamb.* — Proxime ad optimorum codd. lectionem accedes si scribas, « Nec minus exsultant, ubi currus cunque et equom vis, etc. » i. e. ubicumque currus et vis equorum currum trahentium succutit, etc. *Hav.* — Versus corruptissimus quem Wak. e conjectura edidit, ut nos cum eo repræsentavimus. Eichst. in contextum recepit conj. *exsultant æstu, quum fortis equum vis.* Nos meliores codd. exspectare, quam tot pericula incerta novis augere maluimus. *Forb.*

552. *Fit quoque ubi magnas in aquæ.* Libri corrupti sunt, in quibus ita legitur, « Fit quoque, ubi in magnas aquæ ». Venetos antiq. et Parisiens. et Vicetinos excipio : in quibus est, « Fit quoque, ubi magnas in aquas, etc. » quam lectionem non damno; sed illam magis probo.

553. *Gleba vetustate*, etc. Facit huc quod legi in Relationibus Groenlandicis p. 45 anni 1676. Historia autem Latine (nam Belgice liber scriptus est) ita sese habet : « Quum itaque per 19 dies immota navi coarctati inter glaciem sedissent concretam, nocte inter 31 Aug. et 1 Septemb. cœlo claro et sereno, quieta tempestate, nullo audito sonitu, subito magnus motus et jactatio subtus glaciem fit aquarum, ita ut tres illæ naves magno impetu propulsæ huc illuc, rupta glacie atque discedente, mediis veherentur aquis, etc. Hanc subitam atque inexspectatam aquæ jactationem, gubernatores nautæque inde factam judicabant; quod (sive naturali de causa, sive Dei pro servandis illis singulari providentia) alicubi vastum fragmentum montis ex glacie concreti deruptum, in aquas fuerit propulsum, atque hinc easdem tanto motu succussas fuisse naves atque jactatas ». *Hav.*

554. *Ut jactetur aquæ fluctu.* Sic Wak. restituit ex omnibus libris; vulgo *aqua, et fluctu..... vacillet,* e Lambini correctione.

555. *Ut vas in terra*, etc. Sic Ald. 1, 2, Bon. Junt. haud dubie rectissime. Wak. edidit *interea;* sed omnino lectum velit *inter nos*, im-

probante Forbigero. Vossius ad Catullum p. 331, *Ut vas inferii.* Vinum autem *inferium* est vinum novum. Quam emendationem arripit Preig. sed aliter explicat. Frustra.

568. *Ventei, vis nulla.* Ita Wak. restituit ingenio ductus. Vulgo *venti, non ulla;* et in versu sequente *euntem*, ex arbitrio editorum.

579. *Aut ipsa tellure.* Sic legendum; vulgo *a tellure*, sine libris.

586. *Quas urbes.* Lamb. quem alii vulgo sequuti sunt, exclamationem hic vidit; id est, quot et quantas urbes! Male vero ob seqq. versus. Ed.

603. *Et tamen.* Prisci codd. Pii, et Brit. 3, *attamen;* quod editoribus perperam placuit, contra reliqua exemplaria. *Wak.*

608. *Nunc ratio reddunda.* Hic versus comparet non nisi in Junt. et Ald. 2; quare mihi non a Lucretio, sed a Marullo profectus videtur; quod saltem uncinis additis indicare volui. Wak. qui censet, « tale quiddam tenori et integritati carminis omnino necessarium esse », de versus integritate non dubitasse videtur. *Forb.*

610. *Quo sit tantus.* Wakef. ex omnibus libris restituit pro vulgari *tantu' fuat*, quod e Lambini ingenio fluxit. *Forb.*

630. *In orbe.* Sic Cant. Ald. 1, Bon. quas cum vulg. editt. sequutus sum: ceteri libri *orbis*, unde Wak. edidit *orbi*, nescio an rectius. *Forb.*

640. *Nunc ratio quæ sit.* Quoniam meteora, terræ motus, et quædam maris phænomena sibi videtur satis explicasse, reliqua admiranda, quæ aliquam de Diis et providentia opinionem facerent, aggreditur: et primum de Ætnæ ignibus disputat, quos, licet interdum erumpentes Siciliam vastarent, non adeo debemus admirari, ut naturæ vires superare inconsiderate putaremus; dicat aliquis ingens hoc esse incendium, et vires illius plane admirandas; nempe quia non vidit majus; sed in aliis rebus præcipites et inconsiderati perinde fallimur. Nihil est quod magnum dici potest, nihil quod debemus admirari, si universum infinitum contemplemur; nam ex illo subito potest confluere immensa seminum ignis, sive venti copia, quæ semina in Ætna seu alio quolibet monte collecta vim impetumque sumant, terræ motus efficiant, erumpant demum, longe lateque flammam spargant et favillam. Hujusmodi autem eruptiones sunt veluti morbi et convulsiones hujus mundi, atque ut morborum semina in hominem (nam sæpe febricitat, dolet dentes, etc.) ex hoc mundo, ita ex universo in hunc mundum derivari possunt: nam si comparationem instituas, ut homo ad mundum, ita mundus ad universum. *Creech.*

Digitized by Google

642. *Dia de clade.* Vs. corruptissimus, qui conjectandi latum aperuit campum. Plurimi codd. exhibent *enim media Grecia*. Poor. Junt. *media de glande coorta*. Ald. 1, Bon. *media quæ clade*. Ald. 2 denique *media de clade*, quæ vulgaris lectio mansit. Wak. e conj. edidit *mediocri clade*, quod quem sensum idoneum præbeat, non video. Melius Bentl. *Enceladi de clade coorta;* Knebelii censor Halensis, an. 1823, ch. 240, proponit, *diro Cyclope coorta*, coll. Lucil. in Ætna vs. 29, vel etiam *Typhonis* (sive *Typhœi*) *clade coorta*. Fabri conjecturam recepimus licet a librorum vestigiis paullulum recedat. *Forb.* — Corruptus est locus propter reduplicationem litteræ *m* ἐν τῷ *enim;* unde per socordiam exscriptoris factum est *enim mdia*, et mox *enim media*, quod nullum sensum habet; namque scripserat aliter Lucr. *neque enim dia de clade*, etc. *Dia tempestas* est tempestas θεόπεμπτος, ut loquitur Diodor., seu θεήλατος; quasi diceret Lucr. : quæramus nunc quid causæ sit quamobrem olim flammarum tempestas totam Siciliam pervastarit; neque enim putandum est Deos tantam vim incendii in insulam importasse. Quippe nemini, qui veterum philosophorum sectas perspectas habeat, ignotum est, existimasse Lucretium et ceteros Epicuri sectatores, non oriri isthæc ἐκ θεομηνίας, et ultrice Deorum providentia, quam impugnabant, sed ea omnia causis naturalibus niti. *Faber.* — Verissimam Fabri, cujus corroboratio exstat in Notis Pseudonymi Goralli ad Ætnam Severi versu 193, esse emendationem ex scriptura codd. depravatorum evinci posse puto; quum enim inter alios MSS Lugd. Bat. quoque habeant *media Græcia de coorta*, vix dubito, quin descriptor aliquis *Dia* inveniens, id relicta lacuna (ut solebant), non expresserit in ipso versu, sed ad oram notaverit Græcum ibi occurrere vocabulum; unde postea nata sit ineptissima lectio *Græcia de*. Ad veræ lectionis confirmationem miror non occurrisse alicui interpretum vel Lucretii vel ipsius Severi hosce ejus in Ætna versus vs. 29 : « Principio ne quem capiat fallacia vatum, Sedes esse Dei, etc. » *Hav.*

648. *In rebus.* Editiones hodiernæ *in* omittunt, contra librorum vett. fidem. *Wak.*

649. *Despiciundum.* Sic plures et meliores libri; vulgo *dispiciendum. Wak.*

653. *Nec tota pars*, etc. Vulgo e Lambini correctione: « Et quota pars homo sit terrai totius unus ». Quid enim ad rem facit quod et homo admodum parvula ac multesima demum pars terræ sit. Acute et ingeniose ὁ πάνυ Is. Vossius: « Nec tota pars, homo terrai quota totius unus » ; ut hæc instituatur comparatio, hic sit sensus: Et quam ne tota quidem pars universi sit cœlum, quota unus homo totius terræ. Id enim voluisse virum eruditissimum opinor, et res ipsa postulat. *Preig.*

Digitized by Google

669. *Obturgescit.* Sic habent omnes lib. et vulg. et manuscr. quos quidem viderim. Sed Avancius Veronensis legebat *Obbrutescit*, i. e. obstupescit : quo verbo usus est lib. III, 544 : « An contracta suis e partibus obbrutescat ». *Lamb.*

675. *Fluvius, qui visus*, etc. Lambinus e conjectura edidit *fluvius, qui non est* (scil. maximus), *maximus eii 'st*, etc. Salmasius proponit, *fluvius quis visus*, id est, fluvius aliquis visus est ei maximus, qui majorem non vidit. Is. Vossius, *fluvius quivis ut maximus eii 'st*, probante Preig. qui tamen dat *quivis est maximus eii.* — Omnia hæc acuta et eleganter inventa ; verum ego is sum, qui difficillime a MSS probatiorum fide descisco, si aptus inde sensus erui possit, qui hic aptissimus et simplicissimus est : *Fluvius*, *qui visus*, est is qui primus, ante alios visus est : omnes enim hi versus de visu (primo, ut ante visos alios) agunt, et ita inf. vs. 678, *quæ vidit quisque*, pariter posita sunt, pro : quæ primum vel prima quisque vidit. *Hav.* — *Qui visus :* ne uno quidem fluvio, sub hac conditione viso, quicumque demum sit, excepto. *Wak.*

691. *Vortitque*, sive *Vertitque.* Non habeo equidem, quod afferam, hac emendatione Vossii probabilius, Oudendorpio quoque non improbata, ad Jul. Obs. sect. CXII, lectoribus meis consulendo. Vulgo legitur, *Funditque;* sed absque librorum MSS, ut videtur, suffragiis. *Wak.*

699. *Et penetrare mari*, etc. Sequutus olim lectionem vulgatam, « Et penetrare mare, et penitus se cogier arcto » : ad eam hæc annotaram, eamque sic declararam : et fatendum est, mare hac, nempe per has speluncas, penetrare et penitus in angustum cogi a seipso coarctato : sed non dissimulabo, in aliquot libr. manuscr. ita scriptum esse, « Et penetrare mari penitus res cogit aperto » : quibuscum consentiunt codd. Parisienses ; et Veneti antiq. Hanc igitur scripturam antiquam, quam olim lectori proposui, et indicavi, nunc in contextum restituo. Dicam tamen, quod sentio, neque hic versus, neque is, qui reperitur in libris vulg., lucernam olet Lucretianam : et eo detracto, nihil de sententia decedet. *Lamb.*

700. *Flammam.* Sic Forbiger ex optimis libris, et idem voluisse videtur in not. Wak. quamquam in textu *flammas* servaverit.

702. *Vortice enim.* Vulgo legitur *ventigeni*, quam Turnebi conjecturam amplexus Lambinus vel legendum *in summâ*, id est, ad summam, ὅλως; vel *in summo*, in summo monte, interpretandum censet. — « Ego quum reperiam *vertigeni*, *ventigeni* legendum suspicor : hucque adducor, quia fauces illas Ætnæ certo scio auras et ventos effundere : et

Digitized by Google

poetæ atris speluncis ventos inclusos fingunt : quia inde eorum materia emanat, qua mons Ætna exuberat, igne venas sulphuris et bituminis in fumum animalem tenuante atque mutante.. Suspicatus et aliquando sum *vertice enim* legi non inconcinne posse ». Hæc Turnebus, cujus posterior conjectura mihi præferenda videtur priori, eo quod in vestigiis MSS appareat, et sensus postulet; nam *verticem,* quod in Lugd. Bat. est, natum est ex *vertice m;* pro quo conjuncte prius fuerat scriptum *verticeenim*, literarum vero *e* altera propter concursum similium inter se neglecta peperit lectionem *verticem* et *vertice item,* quæ inde ab aliis formata fuit. At sensus Lucretii postulat *vertice enim,* quod ita confirmo: in superioribus vim furentis aeris descripsit, qui fundat, differat, et extrudat ignem, favillam, atque saxa mirandi ponderis, quæ ejectari non possunt nisi per fauces sive crateras; vim itaque auget si in summo montis vertice crateres isti sint, per quos omnia hæc tam alte efflata et sublata evomantur; nam, inquit, in summo vertice sunt crateres, etc. et frustra cum Fabro *item* præferas, quum non novam afferat rationem poeta, sed concludat isto *enim* illam quam multis superius adstruxerat. *Hav.*

711. *Verum aliquid genere esse ex hoc, quod contigit ei.* Sequutus eram initio cod. aliquot vulgatos qui habent, « Verum esse ex genere hoc aliquid, quod contio credat » : idemque indicaram ingenioso lectori scripturam, quæ reperitur in quatuor manuscr. cum quibus consentiunt vulg. Veneti antiq. et Parisiens. « Verum aliquid genere esse ex hoc, quod contio dicat » : hanc igitur nunc sequor. *Lamb.* — Omnino vera Vossii emendatio est : quæ harum vocum, inane nescio quid sonantium, loco reponit : *quod contigit eji.* Ceterum, dum huic intenti versiculo, in eoque sanando toti sunt viri docti, in sequenti, *habemus,* pro *avemus*, irrepsisse, non animadverterunt. Lambini certe requiras diligentiam, qui de eodem hoc verbo alias haud male meritus est. Lego itaque, « Verum aliquid genere esse ex hoc, quod contigit eji, Scimus, et in multis hoc rebus dicere avemus ». Ut sit sensus : scimus, ac lubenter dicere solemus, id quod ei contigit, hujusmodi quid, aut ex hoc genere saltem esse. *Preig.* — Wak. e conj. edidit *quod consciu' dicet*, improbante Forb. Optimi codd. sic variant *concio* vel *contio ite, itel, ires, contioito,* etc. Unde ipse quoque conjeceram legendum *quo concidit ictu*, id est, scimus ictum quo cecidit esse aliquid, etc. Et *ictus* bene, opinor, congruere cum omnibus mortis generibus ibi memoratis. Ed.

713. *In æstatem.* Lambinus *in æstati*, pro *æstate.* — Imo repone *in æstatem,* clarissime totidem literis ita scribentibus MSS Lugd. Bat. nimirum, ut Terentius Eun. II, 2, 29 : « esse in tantum honorem »; ut Curtius III, 5 : « Darium fore in Ciliciam » ; ut sepulturam roganti Au-

Digitized by Google

gustus in Vita sua apud Sueton. cap. XIII, « eam in volucrum fore potestatem »; ita et Lucretius de Nilo dixit eum *in æstatem* crescere. *Hav.*

715. *Is rigat Ægyptum medium per sæpe calorem.* Hic versus mihi, quidquid obloquatur Wakefieldus, a Bentleio recte spurius videtur declaratus. Maximam enim huic versui tautologiam, quum, solo adverbio *sæpe* excepto, nihil aliud contineat, quam quod vs. 712 multo elegantius dictum est, nemo non videt, in qua vereor, ne Wakefieldus temere inveniat Lucretii ubertatem, quæ profecto non in languidam garrulitatem abire debet. Quod autem hoc versu additum est vocabulum *sæpe*, id ipsum ut Bentleium, sic et me quam maxime offendit. Lucretius enim omnino de causa inundationis Nilo effectæ loquuturus, utrum sæpe tantum an quotannis flumen super ripas effundatur, in omni loco plane non curat, quare illud *sæpe*, quo priorem sententiam universalem restringeret, non suo loco videtur; certe si hoc voluisset Lucretius, interdum etiam non exundare Nilum, in sequentibus, inprimis ubi alteram causam inde a vs. 724 affert, paucis certe verbis indicasset, hac ipsa in re situm esse, quod inundatio illa non quovis anno locum habeat. Quare potius hunc versum antiquitus jam additum puto ab homine, qui partim verbis *campisque redundat* accuratiori interpretatione opus esse putaret, partim doctrinam suam, quæ Nilum interdum alveum non excessisse sciret, ostendere vellet. *Forb.*

717. *Qui Etesiæ esse.* In hoc versu edendo cum Wak. sequutus sum Cant. Junt. et Ald. 2, a quorum scriptura non magnopere differt lectio *qui Etesii esse*, quam a Vossio in margine exempli sui positam Preig. comprobat; qui recte censet supervacaneam metri curam ansam dedisse versum corrigendi. Vulgo legitur *quo Etesia flabra feruntur* e Lambini conjectura. *Forb.*

719. *Cogentes sursus.* Quidam libri habent, *cogentes rursus replent:* quod fortasse probabilius est, ut *rursus* cohæreat cum verbo *replent.* Ego tamen alteram, ut tolerabilem et receptam, sequutus sum. *Lamb.*

723. *Percocto sæcla calore.* Sic legitur etiam infra vs. 1108. Lamb. *Percoctaque sæcla calore,* pro omnium fere librorum lectione, *percocto sæcla colore.*—Neque tamen damnare tam subito ausim illam lectionem quæ et hic et inferius vs. 1108, a MSS Lugd. Bat.ᵐ etiam confirmatur. Legerim itaque lubens cum hac distinctione: « Inter nigra virum percocto sæcla colore », ut dicat nigra ille sæcla virorum esse *colore percocto,* tanquam δίβαφα ut Græci vocabant quæ bis et penitius tincta atque percocta erant; colore itaque nigro indelebili poeta hosce ait esse mortales. *Hav.* — Sic etiam Wak. qui tamen vs. 1108 *calore* ex omnibus libris fide dignis edidit. Vix autem credibile mihi videtur Lucretium

Digitized by Google

orationem in simillimo versu ita variasse, præsertim quum docta sit et exquisita locutio. Quare Forbigerum libenter sequutus sum *calore* edentem, licet hic non nisi a cod. Vatic. Lambini et Ald. 1 exhibeatur. Ed.

729. *Et proclivus.* Sic habent tres lib. manuscr. et aliquot vulg. *Lamb.* — Sic Lugd. Brit. 1, 3, quos cum vulg. editt. et Eichst. sequutus sum. *Forb.* — Wak. *proclivis.*

737. *Descendere ningueis.* Sic legendum esse, non *decedere*, res ipsa loquitur. *Lamb.* — Servius *effundere* legit ad Virg. Æn. IV, 250. Quæ lectio si vera est, *effundere*, ut plura talia ap. Lucret., positum est pro *effundere sese* vel *effundi;* sed vulgata lectio satis commoda est. De præcedenti autem versu et Æthiopum montibus egit etiam G. Canterus IV, 8 Nov. Lectionum suarum. *Hav.*

741. *Nomine.* Sic Wak. restituit e Poor. Brit. 3, Cant. Brix. Ver. Ven. comparans Virg. Æn. XI, 542. Vulgo *vocantur, nomen id*, etc. *Forb.*

744. *Remigiom oblitæ.* Vulgo *remigii.* Vide in Disq. var. ad V, 1004.

748. *Hic locus est Cumas*, etc. Ad hunc versum, quem sic olim edideram, « Qualis apud Cumas lacus est, montemque Vesevum », hæc annotaveram, quæ sequuntur : Quum hic versus in cod. Vaticano ita legatur : « Is lacus est Cumas ap. et Visui per montis » : in Tett. autem et Faern. « et Visus per montis » : in Memmiano porro, « ecris vi per montes »; in vulgatis autem partim « Cumas apud ejus sub pede montis », partim « Etruscos per monteis », partim « etrisui per montis » : perspicuum sit autem, Lucretium instituisse disputationem non de uno certo averno, sed de omnibus, et de genere ipso avernorum : in hac sententia sum, a qua deduci non possum, neque hunc versum, neque eum qui deinceps sequitur, esse Lucretianos, sed ab aliquo inepto inculcatos, et fortasse ex aliqua annotatiuncula ad oram libri adscripta natos. Quid enim ineptius, atque adeo absurdius, quam, posteaquam de toto genere avernorum mentionem fecit, ut dixi, hos versus subjungere, « Is lacus est Cumas, etc. » quibus ostendat, se de uno averno loquutum esse? vel igitur non sunt Lucretiani (quod verius esse puto), vel principium versus ita est emendandum, quemadmodum excudendum curavi : « Qualis apud Cumas lacus est, montemque Vesevum », ut intelligamus Lucretium avernorum genere explicato, singularis averni, ejusque noti exemplum proponere voluisse. Quum hæc aliquot annis ante quam Adr. Turnebus Adversariorum libros edidisset, scripsissem et divulgassem; is ex antiqua scriptura, quam reperiri dixi in cod. Memmiano, conjecit legendum esse, « Is lacus est Cumas apud ocris vipera montis ». Nunc igitur hanc Turnebi conjecturam paullum im-

Digitized by Google

mutatam sequor, ut proxime ad scripturæ veteris sententiam accedentem : propter eam rationem autem, quam initio exposui, sic eam immuto, « Qualis apud Cumas est ocris, etc. » non enim loquitur de uno certo averno, sed de genere avernorum ; *ocrim* autem (ut docet Festus) montem confragosum vocabant. *Viperam* porro montis Ætnæ dicit avernum, quasi pestilentem et exitiosum, ut interpretatur Turnebus. *Lamb.* — De duobus hisce versibus multa interpretes. Omnium commenta refutavit Faber, et ipse tandem legit « Ut locus est Cumas apud Euboico sub Monte ». Nam Cumas in Campania coloniam esse Euboicam plurimi testantur; et qui a Lucretio mons Euboicus dicitur, is a Virgilio, qui perpetuo Lucretii vestigia pressit, Euboica rupes dicitur Æn. VI, 42. Gassendus, « Qualis apud Cumas Miseni sub pede montis » : ut lectiones variæ conciliari possint tum inter se, tum cum Virgilio, qui, Æn. VI, 234, mentione facta Miseni, Averni descriptionem subjicit. *Creech.* — Salmasius in Epistola ad Jo. Frid. Gronov. « Is locus est Cumas apud, acri sulpore montes », quam Hav. commemorat Vossii nomine adscripto ; nos vero cum Wakef. et Eichst. recepimus, utpote quum sensui, tum codd. vestigiis convenientissimam. *Forb.*

749. *Oppletei.* Turneb. et Lamb. male conjecerunt *Pompeii*, ut nimirum oppidum illud celeberrimum intelligatur ex incendio Vesuvii cineribus obrutum. *Forb.*

755. *Pervigilii causa*, etc. Fabula talis est : Coronis, quæ postea in avem cornicem versa est, quum Erichthonium in cista inclusum, cistam aperientibus Pandroso, Herse, Aglauro vidisset, rem ad Palladem detulit. Propterea e comitatu Palladis ejecta est : avis postea a Neptuno facta, ne tum quidem iras Palladis oblita, templum ejus fugere, quasi iratæ, fingitur. Ovid. Met. II, 563. Sed hanc eamdem pluribus verbis persequutus est Antigonus is, qui collegit historias admirabiles. *Lamb.* — Si legamus *Pervigili cura*, i. e. summo studio, accurate, assidua cura ; conjungemus cum verbo *vitant*, ut sit *vitant pervigili cura.* Sin, ut in plerisque libris legitur, *Pervigilii causa ;* hujus scripturæ rationem non erit facile explicare, nisi quis dicat, iratam Coronidi fuisse Minervam pervigilii causa, id est, quia pervigilaverit, ut Erichthonium in ea cista inclusum videret. *Lamb.* — Fabula Corones notissima est ; sed non illud pervigilium ; credibile itaque sit Lucretium alios sequutum esse auctores, quam qui ad nos pervenere. *Faber.*

757. *Locus esse, videri, Quadrupedes quoque quo.* Sic habent omnes libri et MSS et vulg. quos quidem viderim, præter Florentinos : in quibus ita impressum est, *Locus esse volantes*, etc. quarum lectionum neutra mihi admodum placet, nisi dicamus, hanc receptam, quam sequutus sum, sic explicari posse : In Syria etiam fertur esse locus, et videri, quo etiam

Digitized by Google

quadrupedes simul ac, etc. ut *esse*, *videri* sit ἀσύνδετον· vel sic : In Syria fertur locus esse, i. e. licere, videri, etc. quamquam esset duriusculum. Mollior esset fortasse scriptura, si ita legeretur: « In Syria quoque fertur ita locum esse *videre* »; vel sic receptam scripturam interpretare: fertur locus esse in Syria, *videri*, i. e. ut videatur, seu ad videndum, ὥστε ἰδέσθαι. Omnino locus est perplexus et impeditus. Ego sic putabam hunc locum emendandum : « locus esse, volucrès, Et quo quadrupedes simul ac, etc. » *Lamb.* — Faber audacissime : « In Syria quoque fertur item spelunca videri Quadrupedum quo sæcla simul vestigia prima Intulerint, etc. » Creech. suspicatur legendum « locus esse, vigentes Quadrupedes quoque, etc. » — Sola forsan distinctione locus juvari poterit, si ita interpungas : « In Syria quoque fertur item locus esse, videri Quadrupedes, etc. » i. e. ubi videri possunt quadrupedes (avibus tanto robustiores) e vestigio perire, et ut (quod subintelligi debet) ipsa vis cogat eos gravi casu procidere, tanquam, etc. *Fertur esse* dixit, ut MSS legunt inf. vs. 848: « Esse apud Hammonis, etc. fertur ». *Hav.*—Wakef. conjicit « *locus iste* videri ».

763. *Posita his*, vel *iis*. Sic videmur haud infeliciter restituisse locum ex ingenio : nam *is* et *his* confundi solent, et statim intelliges, quam probabile sit *postais*, vel *postaiis*, in corruptelas membranarum esse abitura. Vulgo, sed absque codicibus, ad hunc modum versus ordinari solet : « Janua ne his Orci potius regionibus esse Credatur pôsta, hinc, etc. » *Wak.*

765. *Inferne*. Sic legendum, non *inferna*. *Inferne* autem, i. e. ex inferis, seu, ex locis infernis. *Lamb.*

769. *Nam nunc re de ipsa*. Libri omnes, de quibus certius constat, mancum et corruptum versum referunt. Nos in lectione recepta omnia librorum vestigia conjungere studuimus. *Forb.*

792. *Ubi acri nidore offendit*, etc. Retinui cum Eichst. vulgatam lectionem, quam Wak., quum omnes libri, excepto Brit. 3, *acris* vel *acreis* præbeant pro *acri* satis audacter sic mutavit : « ubi *acris nidor suffundit* nares *tam cogit* ibeidem ». *Forb.*

794. *Concidere, ut pronos*, etc. In hoc versu prorsus sequutus sum Junt. et Ald. 2, quarum lectiones Wakef. recepit. Conjecit autem Anonymus in marg. cod. Memm. « Concidere ut *spumas* qui *morbo* mittere suevit ». Lambin. qui tamen versum utpote spurium deleri mavult : « Quin gravidis hic nidor abortum immittere suevit ». Gifan. « Dejicere ut privos qui morbus sæpe suevit »; quam lectionem, *privos* modo in *pronos* mutato, Creech. et post eum Hav. recepit. Hav. denique satis mire

Digitized by Google

conjicit: « cum cinere ut prunas κονιορτὸς mittere suevit ». Quæ divinationes omnes non egent copiosa refutatione. *Forb.*

800. *Si calidis;* vulgo *si in calidis* contra libros. — *Lavabris.* Sic Lugd. 1, 2, quos Hav. Wak. Eichst. recte sequuti videntur. Vulgo *lavacris. Forb.*

801. *Et flueris.* Wak. edidit *fueris*, languida tautologia quum jam præcesserit *cunctere.* — Vix dubium est scilicet, quin antiquissimum præteritum verbi *fluo* fuerit *flui,* non *fluxi;* unde constitui possit locus, cum nulla pæne scriptarum lectionum mutatione, et expeditissima constructione : « Calidis etiam *quom te relevabis* Plenior *effflueris* solio »; i. e. « ita perfunderis aquis, ut a membris passim effluant ». Et doctum est τὸ *calidis :* satius est tamen receptis stari, nisi quod illud *flueris* forsitan sit sincerum. *Wak.*

805. *At quum membra domus,* etc. Lambinus edidit: « At quum membra hominis percepit fervida febris Tum fit, etc. » Sensus autem quam bonus? Febri correptis odorem vini pro plaga esse? Quis hoc dixit? quid deinde ad rem facit? Sane Vossianus codex : « At quum membra domus percepit fervida fervis Tum fit, etc. » Sic igitur scribe : « At quum membra domus percepit fervida mustum ». Agit de halitibus et odoribus cerebrum afficientibus : et inter eos refert ferventis in apotheca plena musti vim : quam notum est ab homine sustineri non posse, sed velut apoplexia ictos concidere et pro mortuis exportari, qui nescii intraverint, aut diutius ibi manserint. *Membra domus* ex suis nonnullis MSS et Florentino notat et Lambinus, ex Paris. et Ven. *membra domans.* Significat non illam tantum apothecam aut cellam, in qua fervit aut situm est plenis vasis fervens mustum, impleri et occupari gravissimo spiritu, sed et vicinas ædium partes, in quas penetrare potest. Et est veteris elegantiæ. Cicero ad Quintum fratrem, III, 1 : « nec habere poterat adjuncta cubicula et ejusmodi membra ». Plinius lib. II, epist. 17: « dormitorium membrum ». *Mustum percipit membra domus fervida,* hypallage, mustum ipsum fervidum percipit membra domus : aut *fervida,* jam fervore illius infesta et gravia. *Gron.* Obs. III, 5.—*Nerveis* Wak. conj. admodum probabiliter, quum omnes libri fere habeant *servis.*

811. *Exspiret.* Sic Wak. edidit e quinque MSS. Vulgo *exspirat.*

817. *Exæstuat.* Sic Vind. Poor. Brit. 1, 3; vulgo *exæstuet.* Locus autem sic solet constitui contra universos, ut arbitror, libros veteres : « cohibet vis magna? necesse est Hos igitur tellus omneis *exæstuet* æstus; *Exspiret*que foras, etc. » Minus, ni fallor, eleganter; has saltem venustates vere ac salubriter æstimanti. *W.* — Non tamen mihi, fateor,

Digitized by Google

difficultas omnis ita sublata videtur. Male enim sic procedit oratio : « Nonne vides quam *soleant*, et quam necesse *est?* » Forsan igitur alio modo interpungendum : « Nonne vides ... quam soleant? Et quam ... necesse est! » Ed.

845. *Fit quoque* Wakef. in contextum revocavit ex omnibus libris; vulgo *Hoc fit* ex arbitrio editorum. *Forb.*

849. *Esse apud Hammonis fanum.* In quibusdam libris, *Est;* quod recepit Forbiger, quia illud *esse* correctio videtur difficilioris lectionis. — Quod si in omnibus puteis non sit divina virtus, at præsens est in fonte apud Jovis Hammonis fanum, de quo Curtius IV, 7: « Hammonis nemus, etc. » At hoc quoque frustra dictum; quamvis enim isti errant, qui causam referunt ad solem subter terras positum, et per totius telluris crassæ corpus calefacientem istas aquas, dici tamen potest quod terra frigore nocturno compressa veluti elidat, sive exprimat, transmittatque in aquam ignis semina, unde et aqua incalescat: calore vero diurno laxata eadem semina veluti resorbeat, unde multum ex nocturno calore decrescit. Præterea, ista aqua, quæ ex ignis seminibus propter aerem tempore nocturno frigidum repressis efficitur calida, evadat deinceps frigida diurno tempore, radiis solis ita aquam pervadentibus, et rarefacientibus, ut liberum iis seminibus exitum in aerem faciant: quippe radii solis ita glaciem dissolvunt, ut dimittantur leves stipulæ, et ejusmodi alia quæ constricta tenebantur; vss. 5. *Creech.*

853. *Terram.* Wakef. sic restituit e Vind. fr. Vind. Poor. Brit. 1, 3; vulgo *terras.*

863. *Rara tenet.* Hunc etiam locum valde εὐστόχως (nisi me animus fallit) restitui. Nam quum ex libris alii haberent *Parva tenet*, ut Parisienses; alii *Pura*, ut Veneti recentiores, et Florent. et Basil. alii *Par tenet*, ut cod. Memmianus; alii *Para tenet*, ut Vatic. et Bertin. mihique ex hac varietate scripturæ mendi suspicio esset injecta, et jam antea hujus loci sententia non satis explicata videretur; ex antiqua scriptura *Para tenet*, feci *Rara tenet;* cujus sententia est in promptu. Hoc enim dicit, eam terram, quæ hunc fontem circumplectitur, esse rariorem cetera terra, multaque ignis semina in se continere : atque hæc ignis semina idcirco aquæ corpori esse vicina. Itaque nocturno frigore hanc terram compressam et contractam, quæ alioqui sua natura rara est, ignis semina in se inclusa in fontem exprimere, quibus fons concalescat. *Lamb.*—Et vulgo ponunt *hunc* post *circum*, contra libros. *W.*

869. *Laticis.* Sic habent libri omnes, quos quidem viderim : sed Beda legit hoc loco, « Quæ calidum faciunt aquæ tactum, etc. » docens

Digitized by Google

vocalem, alioqui brevem, quæ litera *q* juncta cum vocali *u*, et deinceps qualibet alia vocali exciperetur, produci licere, ut hic a Lucretio producitur. At ignoscant mihi Bedæ manes, non est ita: sed vox *aquæ*, quæ natura sua dissyllaba est, per διαίρεσιν trium fit syllabarum, ita ut *aqüæ* sit anapæstus: quemadmodum *relliqüo* supra lib. I, et lib. IV *relliqüas*, facta sunt quatuor syllabarum. Sed quid si dicamus, *laticis* scriptum esse a Lucretio, et *aquæ* natum esse ex annotatione? Judicet igitur lector. *Lamb.* — *Vaporem.* Sic Wakef. ex omnibus fere libris; vulgo *saporem*, id est, aquam ad gustatum calidam.

870. *Obortis.* Brit. 3, Cant. Brix. Junt. Ald. 2, *obortus*, quod Wak. fortasse verum censet; cf. vs. 587. *Forb.*

876. *In lucem.* Vulgo *in luci.* — At ego omnibus conjecturis probam MSS et Macrobii VI, 4, præfero lectionem. Vide quæ supra ad vs. 713. *Hav.*

879. *Nodosque relaxat.* Sic legitur etiam apud Prisc. et ita habent omnes fere libb. vulg. præter Ald. antiq. in quib. legitur *novosque relaxat*, et ita scriptum est in membrana Vaticana: in duobus aliis libris MSS *venasque*, quibuscum consentiunt libri Florentini: in Memmiano, *nubosque*: quæ scripturæ omnes sine dubio sunt corruptæ, nisi forte probanda sit scriptura, *venasque relaxat. Lamb.*

881. *Flammam.* Editores *flammas*, omnibus libris adversantibus. *Wak.*

891. *Indu mari Aradio.* Vulgo *endo mari spirat fons.* Creech. putat veram scripturam fuisse *quod genus Aradius spirat fons.* — Plus æquo doctissimus Creechius favisse videtur verbo isti, *spirat*, quo utique, post indicatam a Clariss. Is. Vossio veram lectionem, carere possumus. Omnino voces, *endo mari*, retinendæ sunt; ne tamen de mari universo, aut de quibusvis maris regionibus loqui videatur, addendum non *Aradius*, ut ad fontem hoc adjectivum, sed *Aradio*, ut ad mare, de quo sermo est, referatur, hoc modo: « Quod genus endo mari Aradio fons dulcis aquai » sc. est, reperitur, etc. *Aradium* autem *mare* potuit appellare fretum illud, quod *Aradium* scopulum, seu insulam a continente disterminat, et a Strabone (XVI, p. 754) describitur, qui videndus omnino est. Suppeditavit hanc emendationem, præclaram sane atque pulcherrimam, Is. Vossio lemma, quod ad hunc locum ita annotator noster expressit: De fonte Aradi in mare. *Preig.* — Strabo etiam lib. VI, p. 172, similem fontem Gadibus in Herculis templo commemorat ex Polybio, deficientem mari exundante, affluentem vero, ubi mare defluxerit. Ad utrumque locum Casauboni notæ debent consuli. *Aradium* vero fontem nomine designatum a Lucretio fuisse apparet ex sequenti-

Digitized by Google

bus, qui non nominantur. *Hav.* —Wak. autem edidit *est Arodio,* ut depravatæ scripturæ vestigia melius exprimerentur.

898. *In tedai corpore.* Ita cum Wakef. et Eichst. edidimus e Vossii conjectura ob vs. 882, et librorum vestigia, admodum probabili. Vulgata *quum tedai corpori* a Lambino conficta. *Forb.*

901. *Nocturna ad lumina linum.* Omnes libri vulgati habent *linum,* præter Parisienses : in quibus impressum est *lychnum :* quæ scriptura reperitur et in codice Memmiano : reperitur et in libris Basiliensibus ad marginem adscripta : in Tettiano autem et Faern. manuscr. *licnum :* ex qua scriptura legendum aliquando putavi *lignum. Lamb.* — Vulgo *lychnum.*

907. *Quod superest, agere incipiam.* Nunc disserere incipit de lapidis ejus, quem et Magnetem, et Heraclium, et Sideritin appellant, natura. Magnes autem appellatus est vel ab inventore, quod a Nicandro traditum est, ut auctor est Plinius; vel a Magnesia terra, in qua primum inventus est; quam sententiam sequitur noster Lucretius. Gerit hic lapis ferri impoliti similitudinem, et in metallis ferrariis plerumque invenitur: non tamen in omnibus, immo ne in multis quidem, sed in valde paucis. Quum sit autem hujus lapidis hæc natura, ut ferrum attrahat; multi philosophi rationem quæsiverunt. Thales (ut scribit Aristot. lib. I de anima) eo putavit Magnetem anima quadam esse præditum, quod vim movendi et alliciendi ferri haberet. Plato in Timæo ait vim inesse in Magnete non attrahendi ferri, sed propellendi aeris : inesse et in ferro, sed imbecilliorem, ita, ne spatium inane relinquatur, ferrum, propulso a Magnete aere, continuo in locum ab aere vacuum succedere : quæ ratio congrueret cum ratione Lucretii, nisi de inani Plato et Epicurus inter se discreparent. Clemens Alexandrinus Magnetem vim ferri attrahendi habere putat propter cognationem quamdam, quæ sit ei cum ferro. Nonnulli Magnetem ferrum attrahere dicunt, tanquam cibum. Sed hoc est præterea in Magnete mirabile : quod interdiu quidem hanc ferri trahendi vim habet, noctu vero, aut imbecillam, aut potius nullam. *Lamb.* — Præclara disputatio de Magnete. Hujus autem idem est, quod et reliquarum disputationum consilium, quod nemo olim observavit. Nam hic lapis Herculi attribuitur, et vim suam illius numini acceptam referre creditur : jam fontes suos amisit Jupiter, et quid filio parcat Lucretius, qui patri non pepercit? *Creech.*

908. *Ut ferrum ducere possit.* De quo præter alios consuli possunt Prosper Aquitan. De promiss. et prædict. Dei parte III, Prom. 38, ubi agit de quadriga ferrea Alexandriæ in templo Serapidis suspensa et quasi in aere pendente. Tertull. adv. Hermog. c. 44, qui lapidi huic

Digitized by Google

Dei in materia operationem adsimilabat. Theodoret. Gr. Aff. Cur. Serm. V, p. 69, qui cum eodem divinarum Scripturarum vim comparat. Ferrum denique sursum attrahere monuit et Nazianz. in Præcept. ad Virg. vs. 779. *Hav.*

928. *Per auras.* Sic Wak. ex omnibus libris; vulgo *per aures*, e vana Lambini conjectura. *Forb.*

936. *Sonare.* Editores nequissimi, contra libros veteres universos, *sonorem. Wak.*

942. *Nisi corpus mixtum in inani.* Ita Wak. explevit plurimorum codicum scripturam « mixtum inani ». Vulgo « mixtum corpus inani ».

947. *Diditur.* Sic Hav. et Wak. cum omnibus libris, rectissime. Cf. II, 1136; IV, 956. Vulgo *diditus*, ex Lamb. arbitrio. *Forb.*

955. *Denique.* Sic, ni fallor, omnia prisca exemplaria; editores *undique. W.* — Lambinus aliquando legebat : « qua circum corpus lorica coercet, morbida vis, etc. » Id est, penetrare suevit vis morbida ferrum ea parte, qua parte lorica corpus undique circum coercet : i. e. morbus etiam loricatum tentat et corripit ; neque lorica, quæ totum hominis corpus tegit et circumdat, arcere vim et causam morbi externam potest, quo minus in corpus penetret. In iterata editione legit, « qua circum corii lorica », i. e. qua parte circulum et ambitum corii, quod loricæ supponitur, et subjicitur, coercet. Gifanius, « Coli circum » : coli autem circus, sive circulus, est pectus, venter et latera ; vel potius *colobi circum :* nam *colobium* ambiebat pectus, cui *colobio* inducebatur insuper lorica. Salmas. Ep. LII ita constituit : « ... suevit. Denique, qua circum cœli lorica coercet, Morbida vis quacumque extrinsecus insinuatur ». Postremo inquit, quacumque, qua circum cœli lorica coercet, id est, sub cœli tegmine, vel, ut alibi, qua nos cœli ambit amictus, morbida vis corporibus insinuatur.

956. *Morbida visque simul quum.* Sic Wakef. restituit ex omnibus libris; vulgo enim *vis quæcumque* legitur, ex arbitrio Lambini, cui dubito an credi possit, in duobus codd. sic reperiri. *Forb.*

957. *Et tempestatem*, etc. Distichon ab editoribus vexatum sic restituit Wak. Vulgo : « Et tempestates ... coortæ, E cœlo emotæ terraque repente facessunt », ut Lambinus locum constituit.

959. *Nisi raro.* Sic Wak. cum omnibus fere libris ; vulgo *non.*

966. *Liquefit.* Alii *liquescit.* Sed *liquefit*, media syllaba producta, offendere non potest; conf. Ovid. Met. VII, 161, et ex Pont. I, 2, 57. Sic *patefecit* supra IV, 346.

Digitized by Google

972. *Effluat.* Vulgo contra omnes libros *diffluat.*

973. *Frondent estu.* Vulgo «At nihil est homini fronde hac quod amarius exstet». Vulgati autem aliquot hoc modo: «Qua nihil est homini quod amarum frondeat æque».—*Estu:* sic optime Σ, reliqui omnes, *exstet;* sed cassa cum constructione, ac nullis machinis expedienda. *Estu* vero ut *comestu:* neque audiam equidem in hac re grammaticastrorum gregem; tu videas Diomed. p. 358, Priscian. p. 892, minus consentientes. *Wak.*

990. *Atque aliud lignis.* Vulgo *per ligna* ex editorum arbitrio.

1001. *Principio fluere*, etc. Duobus modis vim Magneticam exposuit Epicurus; mirum vero alterum prætermisisse Lucretium, nisi forte ille excidit e textu, ac potissimum quum versus sequantur, quibus non male cohæret; quumque ea, quæ Lucretius magno apparatu præmittit, videantur esse illi, quam superstiti accommodatiora. Si plura requiras, vid. Gassendi tom. II, p. 125, ubi multa invenies quæ Epicuri doctrinam illustrant. *Creech.*

1004. *Vacefit.* Quidam vet. codex, *vacescit.* At vero *vacuefit* et hic et inferius vs. 1016, esse scribendum pluribus exemplis docuit Carrion Ant. Lect. I, 18. *Hav.* — Sed nec Carrion, nec alius quilibet, in tali re contra vetustos et emendatos libros audiendus est. *Wak.*

1006. *In vacuum.* Retinui cum Eichst. vulgatam lectionem quam Wak. ex uno Cant. in *vanum* mutavit. *Forb.*

1011. *Quod dicitur.* Editores, longe longeque audacia antecellentes, lectore non monito, sic versum corruperunt, omnibus interea vetustis libris reclamantibus: «Quo minus est mirum, quod paullo diximus ante». *Wak.*

1021. *Huc accedit item*, etc. Post hunc versum in vulg. editt. insertus legitur versus 1032, quem Wak. e Lugd. 1, 2, in veram stationem reduxit. Ceteri codd. et vett. editt. vulgatam rationem juvant. *Forb.*

1030. *Parvas ad parteis. Pronas* habent omnes, quos quidem viderim, vulgati codd.; nonnulli MSS *pravas*, plane mendose: Memmian. autem, *parvas:* alii, *primas:* ex quibus quidam faciunt *privas*, intimas. *Lamb.*

1031. *Naves.* Sic rescripsimus ex ingenio, ut loci stet constructio. Fragm. Vind. Poor. Brit. 1, Cant. *navem;* vulgo *navim.* Vind. *avem:* voces omnes post *quasi* desunt in Brit. 3. *Wak.* — *Ventis.* Sic Wak. e Vind. Poor. Cant. Vulgo *ventus.*

Digitized by Google

1040. *Vacuam partem in conamina.* Versum sic restituit Wak. Vulgo ex Lambini arbitrio *et quamquam in partem :* cujus nota est : « I. e. et in quamcumque partem conatum eundi sumpsit. Sic autem restitui tum lectionis varietate commotus, tum vulgata lectione offensus. Nam alii habent *vacuam in partem*, alii *partem in vacuam*, alii *parte in vacue*, alii *parte in cacue*, plane mendose ».

1041. *Fit quoque ut a lapide.* Adnotat Gassendus, videri Lucretio perspectum fuisse id experimentum, quo Magnes ferrum interdum manifeste repellit, videturve repellere : scilicet, deprehensum est esse in Magnete duas quasdam oppositas partes (polos jam vulgo dicimus, alterum boreum, alterum austrinum) quarum uni si admoveatur unum ferreæ acus extremum, trahatur ab illa, et si idem extremum postea admoveatur alteri, ab illa refugiat, repellique appareat; quum et aliunde oppositum ab ista trahatur, ab illa refugiat. At nimis sibi indulget vir ille magnus, nihil enim in his versibus proponitur de fuga ferri, quod per sequentia exempla non satis declaretur. Sæpe autem vidit Lucretius minutos annulos, et ramenta ferri in vase æneo posita subsultare, quum Magnes vas istud æneum subtus contingeret; et persuasus causam esse in corpore æris interposito (quum interposito tamen vitreo, ligneo, lapideo, quovis alio, haud secus contingat), ita causam exinde reddit, quod emissis quoque ex ære in frustula et ramenta ferri corpusculis, spatiola ferri iis sic compleantur, ut accedentia deinceps corpuscula Magnetica per æs trajecta, ubi ea occupata comperiunt, subagitent, et quo possunt nisu propellant. *Creech.*

1063. *Magnesia flumina saxi.* Mire hic locus depravatus est in omnibus libris. Nam manuscripti quidem habent partim *Magnesia flumine saxa*, partim *Magnesia flumina saxa*, partim *Magnetis semina faxit.* Vulgati partim cum aliquibus ex manuscriptis consentiunt, partim habent *Magnesia flumine saxa.* Ego probabilem scripturam (*Magnesi semina saxi*) reposui : licet et legere, *Magnesii flumina saxi;* ut *flumina* intelligamus primordia a magnete fluentia. *Lamb.*

1077. *Denique res auro aurum*, etc. Ut hunc versum cum Eichst. edidimus, legitur in Lugd. 1, 2, Poor. et Cant. a quibus Vind. Fragm. Vind. Brit. 1, Brix. Ver. Ven. in eo tantum recedunt, quod pro *concopulat* exhibent simplex verbum *copulat.* Vulgo editur *res auro argentum,* quod Lamb. in tribus codicibus, Vatic. Tett. Faern. dicit invenisse. Wak. vero, quem hiatus in recepta lectione temere offendit, e conj. edidit : « Denique et auro res aurum concopulat una ». *Forb.*

1096. *Morbidus aer.* Virgilium ordinem, quem Lucretius quoque tenet, esse sequutum, docet Servius ad Georg. III, 480, 481, scribens :

Digitized by Google

« Hanc autem pestilentiam ordine quo diximus plenissime Lucretius est exsequutus. Primo aerem, inde aquam, post pabula esse corrupta ». *Hav.*

1098. *Aut extrinsecus, ut nubes.* Morbus (inquit) aut extrinsecus oritur, verbi gratia, ex terris longinquis ac remotis, ventis insalubribus, qui per loca morbosa spirantes, cœlum nostrum, unde animam ducimus, corrumpunt : aut ex iis terris, in quibus commoramur. Sed videtur hæc partitio valde angusta et jejuna esse. Quid enim dicemus de iis morbis qui nascuntur ex copia, luxu, et cruditate? ex intemperantia? ex cibis insalubribus? ex immoderatis animorum affectibus? ex animi ægritudine ac mærore? *Lamb.* — At Lucretius hic de pestibus et morborum contagiis loquitur. Ed.

1104. *Discrepitant res.* Ita Wak. cum Lugd. 1, 2, Vind. fr. Vind. Poor. Cant. Junt. et Ald. 2. Vulgo tamen *discrepat aer,* ut solæ Ald. 1 et Bon., haud dubie ex Avancii conjectura. Receptam lect. et Bentleius probat, provocans ad II, 1018. *Forb.*

1105. *Nam quid Britannis.* Docti quidam, in his Petrus Paschalius, historicus Regius, amicus meus, hoc loco legendum censent *Britannum cœlum,* quo modo edendum curavi. Sententia porro hujus loci hæc est: Quid, aut quantum putamus differre *cœlum Britannum,* i. e. Britannicum, a cœlo Ægyptio? quid cœlum, quod est in Ponto Euxino, et ad illam orbis terrarum partem, a cœlo Gaditano? sumsit Lucretius, quatuor orbis terrarum loca maxime nota et insignia, quæ temporibus illis maxime inter se distare putabantur : duo a Septemtrionibus ad Austrum, Britanniam, et Ægyptum : quæ est distantia latitudinis : duo ab ortu solis ad occasum, Pontum et Gades, quæ distantia est longitudinis. Sed videtur legendum, « Nam quid Britanno cœlo differre putamus Id quod in Ægypto, etc. *Lamb.* — Ego scribendum putem : *Nam quid Brittanidis cœlum.* Græci enim illas omnes insulas Βρεττανίδας vocabant, ut ex Dione, et excerptis ἐθνικῶν Stephani constat. Ita autem Brittanidem pro Britannia dixerit Lucretius, ut in hoc ipso libro Atthidem pro Attica. *Faber.*

1107. *Et Gadibus.* Ita Wak. cum Vind. fr. Vind. Poor. Brit. 1, 3, Cant. Brix. Ver. Ven. Junt. Vulgo *a Gadibus,* ut Ald. 1 et Bon. cui tamen lectioni Bentl. quoque calculum suum addidit. *Forb.*

1136. *Mortifer æstus.* Sic habent omnes libri vulg. sed tres manuscr. *mortifer æ,* ex quo legendum videtur, *mortifer aer.* Verumtamen nihil sum mutare ausus; satis est mihi hoc indicasse lectori. *Lamb.* — Hav. recepit *Mortifer aer;* Wak. versus 1127 memor, e suo ingenio edidit *mortifera vis;* utrumque sine causa. *Forb.*

Digitized by Google

1138. *Finibu' Cecropiis.* Sic cum vulg. editt. edendum duxi, licet hæc lectio Lambini modo de suis codd. testimonio nitatur (nisi forte accedat Poor. quem Wak. tacet). Nam Lugd. 1, 2, fragm. Vind. Brit. 1, Bon. Junt. Ald. 2 *finibus in Cecropis* exhibent; Vind. Cant. *finibus in Cecropiis*, quod Wak. accepit. Nunquam vero meliores Romanorum poetæ primam syllabam nominis Cecropis corripuerunt; cf. Schneider. Gr. Lat. I, p. 601: librarii autem, hoc nescientes, sed in neglecta positione offendentes, præpositionem inseruisse potius quam inventam ejecisse putandi sunt. *Forb.*

1145. *Rubenteis.* V. ed. et scripti mei, *rubentes;* ut constructio sit: « rubentes etiam quoad duplices oculos », cum casu recto participii. *W.* — Sed in ejusmodi rebus codicum nulla auctoritas, et vulgaris ratio aperte præstat. *Forb.*

1167. *Pars hominum.* Sic plurimi, ut videtur, codd. Et Lucretius etiam vss. 1144, 1151, 1161, 1172, etc. in numero multitudinis loquitur. — *Flagrabat.* Sic hoc et sequente versu omnes libri. Creech. tamen et aliæ vulg. edd. *flagravit* bis ediderunt. *Forb.*

1177. *Defessa.* Sic codd. et edd. omnes: unus Eichst. *defecta.* Sed in talibus standum est a codicibus. *Orell.*

1179. *Totiens, ardentia morbis.* Vulgo hic versus, cujus emendationem Wakefieldo debemus, ex audacissimo editorum arbitrio sic legitur: « quum totas ardentia nocteis ». *Forb.*

1194. *In ore jacens rictum.* Annotavit hanc lectionem Heinsius nescio ex quo libro, cum qua eadem videtur Nonii, et antiquorum Pii codd. scriptura, *in ore jacens rictu;* nec valde recedunt. Junt. Ald. 2, *in ore jacens rectum;* Poor. *in ore jacet rectum;* alii aliter circa hanc lectionem errant. Vulg. antea e Lamb. correctione *inhorrebat rictum.* Hav. edidit *in ore patens rictum.* Wak. *pellis... inhorrebat tactum;* qui tamen lect. *in ore jacens rictum* non admodum repellit, licet suam præponat. — *Fons tenta minebat.* Sic esse leg., evincunt verba illa Celsi: « cutis circa frontem dura et acuta »; et Hippocr.: δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον, σκληρόν τε, καὶ παρατεταμένον, καὶ καρφαλέον ἐόν· i. e. « pellis fronti circumjecta, dura, et tenta, et sicca ». *Lamb.*—Multi libri *tecta;* male.—Forsan etiam legi potest *minabat:* ut enim veteres minito, ita forsan mino: nisi alicui placeat *manebat,* i. e. erat. Rutgersius denique, « Inhorrescens rictum, frons tenta minabat ». *Creech.* — Lege *meabat,* i. e. abibat, minor quasi fiebat et peribat. *Meare* hic dixit, ut *ire* III, 525; VI, 564 et 569, atque nares quoque et nasi acumen tenuiora et pressiora modo occurrebant. *Hav.* — Wak. quoque edidit *meabat,* quæ lectio est omnium fere libro-

Digitized by Google

rum. — At vero ut concedamus *meare* hoc sensu adhiberi posse, quod equidem nego, hæc ipsa tabescendi et evanescendi notio non quadrat ad frontem rigidam et tentam: quod bene intellexit Meister, qui observat, hanc lectionem, si retinenda sit, non nisi de tentigine continua per omnes frontis partes procurrente intelligi posse. *Forb.*

1199. *Visceribus* Wak. restituit ex omnibus libris; vulgo *ulceribus* e vana Lambini mutatione. *Forb.* — Orell. tamen reduxit *ulceribus.*

1236. *Lanigeras tanquam pecudes*, etc. Auscultavi Bentleio, recte ad suam stationem reducenti hunc versum, qui in vulgaribus editionibus poni solet post vs. 1240; sed in P. V. ed. L. M. O. Ω. sequitur vs. 1243. Vir doctissimus provocat, ut par est, ad Thucydidis verba, (ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα, ἔθνησκον), quæ transpositionem extra fines controversiæ locant; et ad Plutarchum (in Pericle, c. 34) tom. I, p. 171, B, simili rerum ordine gaudentem. *W.*

1251. *Jam.* Wak. sine causa conjicit *quoque*, provocans ad IV, 893; V, 1045.

1253. *Languebat.* Sic Wak. e Vind. Cant. Brix. Ver. Ven. Vulgo *languebant.* — *Casa.* Sic idem Wak. et seriores cum omnibus libris. Antea legebatur *casis* ex editorum arbitrio. *Forb.*

1258. *Nec minimam partem.* Ego quod ad hanc priorem versus partem attinet, reposui, *Nec minimum partim*, etc. quod autem ad posteriorem, quæ sic legitur in vulgatis, *Ex ægris mæroris in urbem*, etc. in manuscriptis vero, *Ex agris ægroris in urbem*, etc. ego libros manuscr. sequutus sum, quamvis ne hanc quidem lectionem admodum probem. Non celabo lectorem tamen Simeonis Bosii, amici mei, sententiam, quæ talis est: nihil hic est mutandum, nisi quod ex voce una *ægroris*, duæ sunt faciendæ, ut sic legatur: « Nec minimam partem ex agris ægror is in urbem Confluxit, etc.» Sic Bosius: a quo difficile est, in re tam aperta, dissentire. *Lamb.*

1261. *Condebant.* Sic Wak. ex omnibus libris restituit. Vulgo *complebant*, e Lamb. conjectura. — *Æstu.* Forb. edidit *æstus.* — Sola Junt. *æstu* suppeditat, quam tamen lectionem ab Hav. Eichst. et Orell. receptam ob vs. sequentem non spernendam duxi. Bodl. *æstum*; ceteri omnes *æstus*, quod Wakef. et Nobb. receperunt. Vulgares edd. « quo mage eos tum » e superflua Lambini conjectura. *Forb.*

1262. *Confertos ita.* Sic omnes libri, præter Ver. Ven., *conferto situ*; et Ald. 1, Bon. *infertos ita* præbentes; nec video cur ab ista lectione, vulgaribus jam edd. probata, recedamus, quum lectione *æstu* in priori

Digitized by Google

versu assumpta, optimum hunc sensum habeat: « Rustici, undique ex agris affluentes, omnia loca complebant, ut sic in unum locum congregatos et conglobatos mors æstu inde exorto, utpote contagionem latius et facilius propagante, per acervos mactaret ». Hav. cum vulgatis quibusdam edd. *confectos ita*, sed sine libris scriptis. Wak. quem Nobb. sequitur, edidit *æstûs conferto situ*, quam tamen scripturam admodum obscuram et implicitam accuratius explicare ipsi non placuit *Forb.*

1264. *Strata.* Sic omnes libri. MSS et edd. præter Wak. qui e conjectura edidit *structa.*

1265. *Aquarum.* Vulgo *aquai*, ex arbitrio editorum.

1278. *Quo pius.* Wak. ex optimis libris sic edidit pro vulgato *ut prius.*

1281. *Res subita.* Sic cum codd. meus C. ex interiore latinitate. Vulgo *vis subita et;* sed quum *vis* absit a codd. aliq. edd. vett. videtur esse ex arbitrario supplemento pro longe rectiore C. nostro. Quum *et* exciderit e codd. Lugd. Wak. de conjectura dedit *vi subita paupertas*, quod rectam constructionem haud admittit. *Orell.*

Digitized by Google

ANIMADVERSIO

JOANNIS NARDII

DE FUNERIBUS ATHENIENSIUM.

Adsunt Athenienses, unde humanitas [1], doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur, « Et recreaverunt vitam [2], legesque rogarunt », Lucretio auctore : quibus tamen nil antiquius, aut religiosius fuisse videtur, quam justa mortuis persolvere, iis præsertim qui fortiter pro patria pugnando cecidissent. Quapropter gravissime olim in transgressores animadverterunt [3], « decemque imperatores suos, et quidem a pulcherrima victoria venientes, capitali judicio exceptos necarunt, quod militum corpora, licet sævitia maris interpellante, sepulturæ mandare non potuissent, sed in fluctus necessitate adacti projecissent ». Cautior Chabrias Atheniensis [4], maritimarum copiarum dux, profligatis ad Naxon, inque fugam versis Lacedæmoniis, totus fuit in legendis suorum, qui ceciderant, cadaveribus, metuens populi superstitionem : quum tamen, nisi cunctatus, facile universam hostium classem delevisset. Et Nicias, egregius Atheniensium imperator, jussit universum exercitum subsistere, ut duos tantum peremtos milites sepulturæ mandaret. Majus est, quod refert Isocrates de Adrasto Argi rege [5]; hic enim, ab expeditione

1. Cic. orat. pro Flacco.
2. Lucret. lib. VI.
3. Xenoph. lib. 2. Rerum Græcarum; Valerius Maximus lib. IX, cap. 8.
4. Diod. Sic. Bibl. lib. XV.
5. In Panegyr. et alibi.

Digitized by Google

adversus Thebanos infortunatus, quum eos, qui in Thebano bello mortui erant, recipere non posset, Athenienses, Theseumque rogavit, ut communi infortunio opitularetur, nec despiceret eos, qui, in bello desiderati, funere et pompa caruere, nec veterem consuetudinem, patriasque violandas indicans. Verum neque spe sua frustrati fuere. Suscepto namque bello pro his, qui mortem oppetierant adversus Thebanos, impugnarunt illos, coegeruntque, ut defunctos vita justo funeri sepulturæque redderent. Minus me movet Cimonis pietas, qui, ut Miltiadem parentem humaret, ipse vincula paterna induit.

Hanc vero pietatem non in eos tantum erogabant, qui proprio sanguine publicæ securitati litaverant, verum et in contribules, nulliusque pretii homines, quorum propinquos cogere poterat Demarchus, vel cum populo tandem ille pacisci de sumtu funeris, ita ut eadem die efferretur, secus vero graviter mulctabatur. Celebrant Pisistratum historiæ, referente Eustathio[1], quod comites semper habuerit duos tresve gerulos pecuniarum, quas aliena in funera impenderet. Sustollitur necnon Cimonis pietas in complures pauperes mortuos[2], qui unde efferrentur quum non reliquissent, suo sumtu extulit, ossaque Thesei insuper[3], magno studio conquisita, reportavit tandem Athenas.

Neque præterea ignorare fas est insigne pietatis officium[4], quod jubebat Attica lex, si quando insepultum hominis ignoti cadaver forte occurrisset; terram namque injicere saltem debebat viator in os defuncti[5], illudque ter manu plena, pro sepultura, cujus præstandæ tunc non erat facultas. Deinde ita receptus hic mos et veluti necessarius[6], ut requireretur etiam a properante : quod nisi fecisset, vide-

1. In comm. Iliad. ad calcem.
2. Æmil. Prob.
3. Plutarch. in Vita.
4. Demosthenes advers. Macartat.
5. Ælian. l. V Var. Hist. Phocylides, Moschus, Sophocles, Acron.
6. Horat. Od. 28, lib. I; Quintil. Decl. 5.

Digitized by Google

batur esse exsecrabilis [1]. Non glebam vero jaciebant in mortuos [2], sed χοῦν, h. e. terram solutam : quod quidem officium dicebant ἐπιβάλλειν γῆν [3] seu χόνιν παλύνειν [4], veriti, forsan, gravem defuncto futuram, si solida atque compacta. Hæc de pietate Atheniensium in defunctos.

De funebribus vero illorum ritibus illustriora quædam tantum seligam, veritus lectoris tædium atque suspicionem in re obscurissima. Quapropter duces sequar melioris notæ auctores, ne vacillet fides, improbeturve nostrum florilegium. Erit vero decumbentis exitus institutæ orationis exordium. Ut enim supremum sibi illuxisse diem intellexerat ægrotans, detracto sibi annulo [5], cariori præbebat; quod fecisse Alexandrum memorant historici. Hinc postremis illis prolatis verbis, « Vive, ac Vale [6] », animam exhalabat in complexu et osculo dilecti. Os namque credebant [7] januam esse animæ, quam fugientem apposito nitebantur excipere hiatu. Sic Antigone apud Eurip. in Phœniss. « O amantissime, quin et os tuum applicabo ori » : cujus forsan exemplo et Anna apud Virgilium, « et extremus [8] si quis super halitus errat, Ore legam » : et Livia [9] apud Albinovanum, « Sospite te saltem moriar Nero : tu mea condas Lumina, et excipias hanc animam ore pio ». Quapropter senilem animam in [10] primis labris haberi, vel in primo ore, parœmia erat Romæ consueta, nobisque vernacula illa, non infrequens, « Animam dentibus detinere », ne avolet, scilicet, a monogrammis atque depontanis. Hanc vero credulitatem Græcia in nos derivavit. Nam et Aristoteles [11] literarum monumentis tradidit, vitæ protasim inspiratione, catastrophen exspiratione circumscribi. Verum Liviæ nostræ vota suggerunt nobis et aliud in

1. Sophocl. scholiast. in Antig.
2. Eustat. Sophocl. l. c.
3. Ælian. l. c.
4. Sophocles l. c.
5. Diodorus Siculus; Val. Max. lib. VII in fin.
6. Servius V Æn.
7. Aristænetus lib. II, Epist. 7 et 9; Plato carmin. in Agathon.
8. Virg. Æn. IV.
9. In Epicedio.
10. Seneca Ep. 30; Senec. tragœd. in Herc. Fur.
11. Lib. De insp. et resp.

Digitized by Google

morientem officium, quod Græci καθαιρεῖν τοὺς ὀφθαλμοὺς, Latini condere vel tegere oculos dixere. Is enim, qui affinitate[1] aut amore reliquos anteibat, palpebras deducebat incunctanter. In supremum enim[2] spectari oculos ab homine nefas existimabant. Quanti vero facerent, quod diximus, pietatis specimen, videre est passim apud claros auctores[3].

Dum hæc aguntur seduli astantes elata voce proprioque nomine vita jam orbatum compellabant[4], atque confestim magno ejulatu et lacrymis defuncti ruebant in amplexus. Nam, ut habet[5] Alcinous, qui, parentibus mortuis, nullo dolore tangitur, caret animi motu. Aderant ex condicto mulieres corporis curatices, quæ calentis adhuc mortui os componebant. Quamquam Crito decedenti Socrati officium præstiterit, exclusis a damnato mulieribus, ne lacrymis turbarent infractum animum. Hinc membra reliqua dirigebant[6], mox illum calida lavabant[7]: solet namque plerumque (ut ille dicebat) vitalis spiritus exclusus putari, et homines fallere, propterea mortui calida lavabantur.

Ungebant tandem, si liber atque ingenuus: servis namque interdicta erat unctura ex Solonis lege. Modum ille statuit et lacrymis, verum publicis magis quam privatis. Quin ipse Solon[8] amisso filio flebat. Et quum dixisset quidam, nihil eum proficere flendo, propter hoc ipsum flere se dixit. Et vero « Quis matrem[9], nisi mentis inops, in funere nati Flere vetet? » ubi præsertim supra genua mœrentis lotum unctumque collocabant, quem illa medio gremio excipiens, fovensque sinu trementi frigida membra, splendidissime tandem suis manibus vestiebat[10]. *Funera*[11] hæc a Romanis jure ac merito

1. Eurip. in Phœn.
2. Plin. N. H. lib. XI, cap. 37.
3. Euripid. in Hecuba, in Phœniss. Hom. Odyss. X, Iliad. XI; Plato in Socr.
4. Servius Æn. IV; Propert. Eleg. IV, 6.
5. De Doctr. Plat. c. 12.
6. Eurip. in Hipp. in Medea; Petr. Vict. Var. Lect. lib. IV, c. 20.
7. Eurip. in Hecuba, in Phœniss. Hom. Il. IX, Odyss. XXIV; Socrat. apud Plat. in Phæd. Plut. in vita Sol. Cic. De legg. I.
8. Stobæus Serm. 276.
9. Ovid. De remed. amor.
10. Lucianus De luctu; Herodotus Musa 5.
11. Plin. N. H. lib. XI, c. 45; Servius in Ecl. VI.

Digitized by Google

dicebatur, ad quam plenissimo jure funus universum, jactura, dolorque pertinebant: licet non ignorem Lege XII Tab. cautum esse olim, ne cœlo tacti supra genua tollerentur, aut justa consueta[1] illis fierent, sacros rati*, docente Græcia, dignosque divinis honoribus, qua de re superius. Linea erat vestis, qua operiebatur defunctus, atque subtilis, desuper vero alba: cujus[2] in texturam delusis procis[3], integros impendit annos plures casta Pénelope, simulans reduci suo Ulyssi parare funereum amiculum. In castris vero Græcorum ad Trojam nemo succensuit Hippodamiæ, et Diomedeæ, quam perdite Patroclus, dum vixit, amabat: hæ namque, ut habet Dictys Cretensis[4], funus ornarunt decore omni pretiosæ vestis. Neo dubito quin Atheniensibus, procedente tempore, laxatisque moribus, sumtuosæ fuerint in usu. Observo namque oblatam Socrati extremo vitæ in agone nitidam[5] vestem et pallium ab Apollodoro; lotum vero Philoclem[6], Atheniensium prætorem, splendidaque indutum chlamyde, impavidum victoris Lysandri capitale subiisse judicium.

Certum illud est redimisse mortuos corona ex oleastro et vittis[7]; ex selino præterea, seu apio, quod Dares tradidit in lib. De certaminibus, referente Suida; nonnumquam floribus tempestivis[8], pallida inter folia, ut puto, insertis. Corona vero imponi mortuo consuevit a maxime necessario, deque Pericle refert Plutarchus, quod, quamvis tenderet ille gravitatem tueri, et retinere animi celsitudinem, fractus tamen laxavit dolori habenas tunc, quum coronam ingereret filio Paralo extincto. Naulum postremo[9] defuncti in os imposuisse, quod Δανάκη patria voce dicebant, et καρκαδόντα, licet

1. Artemid. lib. II, cap. 8.

* Anacoluthum, ut videtur. Mox *Græcia* exhibitum est. Ed.

2. Homer. Il. XVIII; Plat. De legg. XII; Artemid. lib. II, c. 3, et lib. IV, c. 3.

3. Hom. Od. II.

4. Lib. III.

5. Ælian. Var. Hist. cap. 16; Diog. Laert. in Vita.

6. Plut. in Lysandro.

7. Eurip. in Phœniss. in Herc. Furent. Chion. in Epist. ad Plat. Artemid. lib. IV, c. 49.

8. Lucian. De luctu.

9. Suidas.

Digitized by Google

consuevisse Atticos affirmet Aristophanis[1] expositor binos obolos in ora mortuorum ingerere.

Curatus sic defunctus pro arbitrio intus collocabatur, indultu legis a Solone latæ, qua tamen cavebatur, ut ante lucem efferretur postridie collocationis. Obsoleverat illa jam tempore Demetrii Phalerei, nec recentata forsan evicit, quominus Romano more per septem integros[2] dies domi custodiretur, acerraque[3] vario thymiamate redolens illius ad pedes institueretur. Quandoquidem leniebatur[4] lugentium dolor diuturna exstincti præsentia, sensimque assuescebat animus perdite amantium supremo discessui. Hinc factum ut Græci ad Trojam nonnisi exacta decima septima die rogo dederint Achilleum cadaver. Vilissima credo servitia præstitisse pollinctores, quos Græci καταγεώτας[5] et νεκροθάπτας nuncupabant, hos vero adeo abominabantur, ut domicilio urbis illos arcerent. Demades[6] certe Athenis eum qui necessaria funeribus venditabat damnavit, quum probasset magnum lucrum optasse, quod contingere illi sine multorum morte non poterat.

Funestæ interim domus cernebantur indicia, cupressus[7], vas figlinum[8] ventrosum extra portam, aqua lustrali plenum, quod ἀρδάνιον Græcorum vulgo, Aristophani vero ὄστρακον: aqua vero ex alia domo erat allata. Coma[9] insuper defuncti appensa primo in limine portæ, ne quis imprudens pollueretur domum ingrediens. Verisimile prorsus est Græcas matronas, depositis tunc delicatioribus vestibus, atratas[10] luxisse, nonnunquam et albis amictas[11], super vero quadris, Græco more, mundo tamen muliebri universo despecto, cunctoque penitus neglecto ornatu. Vestis vero genus ἱμάτιον dicebatur, ex decreto Solonis. Sedebant illæ squalidæ, mœrentesque co-

1. In Ranis.
2. Servius in Æneid. V.
3. Festus.
4. Odyss. XXIV.
5. P. Vict. Var. Lect. lib. II, cap. 7; Lil. Gyrald.
6. Senec. lib. VI De benef.
7. Asclepiades.
8. Pollux lib. VIII; Suidas.
9. Eurip. in Alcest. in Suppl.
10. Euripides in Iphig. in Aulide; Moschus in Epitaph. Bion. Artemid. lib. III, c. 3; Theocritus in Epitaph. Adon.
11. Plat. De legg. XII; Artemid. lib. II, c. 3; Astrampsychus.

Digitized by Google

ronabant thorum, cui assidebat capularis[1] custos, is, eave nempe, quæ defuncto proxima : cari insuper circumstabant socii[2], et ancillæ non otiosæ, quæ lugentibus commodabant[3] lacrymas, stantesque deformabant corpus[4] pulchrum manibus[5] pectus frequenter percutientes, de quo ritu mox uberius. Extorquebat sævus interea dolor a segniori sexu præcocem capillorum divulsionem. Hi namque[6], ex condicto, nonnisi ad pyram tumulumve deponebantur. Vetus quin etiam mos erat in luctu supercilia[7] nudari, singulaque præstare quæ tædium vitæ animique angorem testarentur. Vix credam cibum, illumque vilem, gustasse, neque inverisimile est, atros tunc calices[8] mensis appositos, quod Romæ érat consuetum; et ex Pollentina terra conficiebantur. Horum unus visitur adhuc integer in nostro Museo.

Ut vero septimus instabat dies, collocabatur a necessariis. «Beatulus[9] alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis», et, quod non sine mysterio, « In portam rigidos calces extendit ». Ita enim componuntur[10] mortui ad significandum nunquam deinde ad domum reversuros : sat bene ille, sed elegantius noster. Nam ritu naturæ capite[11] hominem gigni mos est, pedibus efferri. Et vero collocationes idcirco[12] fiebant, ut cerneretur mortuus, ecqua ei vis allata. Indulgebat tamen lex Attica, ut mortuus collocaretur in ædibus[13] ad libitum. Funera frequentissime nihilominus ponebantur in vestibulo[14], pedibus ad januam versis : qui mos et nostris hodie familiaris. Utinam abstinuissent a ridicula vanitate abigendi muscas[15], officiosæ Thetidis seducti forsan exemplo.

Meminit præterea Socrates[16] apud Platonem antiquæ legis

1. Petr. Arbiter in Ephes.
2. Hom. Il. XVIII.
3. P. Arbiter l. c.
4. Calab. lib. III.
5. Hom. lib. XI, 19.
6. Sophocl. in Ajac.
7. Artemid. lib. I, c. 27.
8. Martial. Epigr. XIV, 157; Eurip. in Troad.
9. Pers. Sat. III; Homerus in Iliados lib. VII.
10. Schol. Hom. in Iliad.
11. Plin. N. H. lib. VII, c. 8.
12. Jul. Pollux lib. VIII.
13. Demosth. in Macartatum.
14. Hesychius.
15. Iliad. XVIII.
16. In Minoe.

Digitized by Google

Atticæ circa Inferias servatæ, ut non prius efferretur cadaver, quam hostias jugulassent, in defuncti, ut reor, expiationem. Et quoniam de legibus incidit sermo, haud differam Hippiæ tyranni sanctionem producere, qua jubebat, referente Aristotele[1], ut sacerdoti Minervæ, quæ est in arce, in singulos mortuos duos hordei sextarios, totidem frumenti, itemque obolum penderent. His explebatur domesticus luctus, primaque funeris pars, cui succedebat incunctanter et altera.

Antelucanis horis, ex Solonis[2] lege, seu Demetrii Phalerei, quod placuit Tullio[3], præsertim si morte immatura quis fuisset peremtus («ΗΜΕΡΑΣ ΑΡΠΑΓΗΝ[4], diei raptum», scilicet, appellabant, tanquam non exspirasset, sed amoris desiderio raptus esset, vel quasi intolerandum esset solem hujusmodi malum intueri, dicunt illos diem rapuisse), efferebatur defunctus, longo ordine præcedentibus facibus[5]; quarum fulgore discutiebantur tenebræ : quanquam hasta[6] in funere vi peremtorum præferebatur. Comitabantur raucisonæ tubæ[7], præsertim si vir militaris[8], deque Republica optime meritus, et publico[9] sumtu, quod erat in more, sepeliretur, hisque convocabatur populus. Succedebant τυμβαῦλαι[10], hoc est, siticines inflantes funebres tibias, quas γιγγρίας[11] Græci mutuata voce a Phœnicibus dixere[12], lamentabilem sonum Lydio modo[13] exprimentes, incitamentum profecto mercede conductarum mulierum ad mortuum deflendum, quæ σοφισταὶ[14] θρήνων Græcis, puta simulatrices[15] planctus, et Principes, non doloris; Romanis, Præficæ[16]. Harum Coryphæa Ἰηλεμιστρία[17] a

1. Œconom.
2. Demosth. in Orat.
3. De legg. II.
4. Eustath. Od. V.
5. Plut. an seni R. P. Meleager.
6. J. Pollux lib. VIII, c. 7.
7. Hyginus c. 174; Schol. Theocr.
8. Tertull. De cor. militum.
9. Thucyd. lib. II; Diog. Laert. lib. IX in Democr.
10. Galen. lib. IX, De sympt. caus.
11. Hesychius.
12. Athen. Deipnosoph. IV; Eust. in Hom. Il. XVIII.
13. Aristoxen. in I Musicæ, ex Plutarcho.
14. Lucian. De luctu; Plato in Minoe.
15. Servius Æn. IX.
16. Festus; Lucilius Satir. XXII; Plaut. in Frivolaria, in Truculento; Nævius in Freto.
17. Hesychius, Suidas.

Digitized by Google

cantionis genere, quod Ἰήλεμον vel Ἰάλεμον Græci[1] dixere, Latini *Lessum*[2], *Lausum*, atque *Mortualia*[3], Nænia[4] interim ambigente, Ciceronis[5] indicio, vel iis nolentibus, qui Græcos in Graculos deformant. Jungebantur mercenariis consanguineæ[6] defuncti virgines, atque matronæ, passis[7] crinibus, pulvere ac cinere conspersis[8], nudato[9] vultu, et pectore[10] tundentes[11] ubera, laniantes[12] faciem, ululantes[13] singulæ magis, quam ejulantes. Sed præstat funebris ritus, adhuc in Græcia superstitis, auritum oculatumque inducere testem[14]. « Durat « etiam in hunc diem mortuos deflendi apud Christianos con« suetudo, ab antiqua illa lugubri Ethnicorum ejulatione ori« ginem ducens. Erat autem hic olim Ethnicorum mos, ut « defunctos multos dies deflerent : quem morem a majoribus « suis acceptum Græcia retinet. Ubique etenim quadam con« suetudine promiscua, quum quispiam e familia, sive maritus, « sive affinis, quem illi debeant de more lugere, moritur, de« tecto capite et facie, in publicum prodeuntes mulieres ur« bem circumlustrant capillis passis, sinuque denudato, in« gentes ejulatus et ululatus emittentes. Comas quoque, et « genas lacerantes, et extensis manibus, quum dextra, tum « sinistra, supra mammas percutiunt. Dextra autem manu « partem sinistram, sinistra vero dextram unguibus dilaniant. « Comam quoque eodem modo, ita ut dextra manus sini« strum latus, sinistra dextrum trahendo dilaceret. Et nunc « genas per vices scarificando, nunc pectus percutiendo, nunc « crines trahendo, luctum peragunt.

« Qui quidem lugendi mos mulieribus tantum, cujuscum-

1. Apollon. L. Suidas in T.

2. Plaut. in Truculento.

3. Agell. lib. XVIII, cap. 7; Cato; Plaut. in Asin.

4. Turneb. in Animadv. Vide Julium Pollucem.

5. De legg. II.

6. Lysias in defensione; Ter. in Andr.

7. Lucianus, Lycophron, Petronius in Ephesina.

8. Iliad. XVIII, XXIV; Euripid. in Electra.

9. Plut. in Prob., Eustath.

10. Lucianus.

11. Artemidorus lib. I, cap. 43; Servius.

12. Plut. in Solone.

13. Lucian. De luctu.

14. P. Bellonius lib. II De medicato funere cap. 14.

Digitized by Google

« que generis sint, concessus est: nam viri funus non lugent.
« Quam rem ego non auditione, aut aliorum historia per« cepi, sed sæpius nuper in multis Græciæ locis sum intuitus.
« Primum quidem Corcyræ; siquidem Martio mense 1547,
« quum per horam mane ante lucem jam per multos dies
« strepitum atque multorum ejulatus audissem, quos initio
« canum inclusorum latratus esse credebam, tandemque,
« quo id cognoscerem, surrexissem, mulierumque ejulan« tium conventum vidissem, magna certe sum admiratione
« captus. Ut autem hæc ejulatio melius peragatur, conven« tum plancturis indicere solent, locumque idoneum quæ« runt, ubi defuncti mortem bis quotidie lugeant. Quæ vero
« ex his mulieribus vocis bonitate reliquas superat, et quæ
« altius cantat, sola cantum incipit, voceque ab aliis dissona
« defuncti laudes cognatis et affinibus recenset. Quod si mu« lier ex parentibus desit, quæ ista præstet, aliam mercede
« conducunt. Nam multæ in urbibus Græciæ mulieres repe« riuntur, quæ nulla alia ex re quæstum facere soleut, quam
« ut mortuos defleant. Ita enim ad recensendas defunctorum
« laudes factæ sunt, ut vel nolentes ad ejulatum provocent;
« mulierum autem illa, quæ melius eas recensere norit, ma« jori præmio conducitur. Reliquæ autem mulieres astantes
« attente, quidquid canitur audientes, simul aspirata mi« scentes, eadem cum illa voce funebrem canunt cantionem.
« Ea autem, quæ plures unguium scarificatus in faciem in« fixerit, et genas acrius dilaniarit, præmium majus referre
« solet. Magnam vero laudem virgines ex hac facie dilacera« tione consequuntur. Quamvis autem, ubi aliquis apud eos
« vita functus est, vicinæ mulieres turmatim accedant, et
« ita, ut supra dixi, detectæ funus humandum cantantes co« mitentur; non tamen ita sese verberant, unguibusque genas
« lacerant, sed illas formam ac pulchritudinem in funere
« ostentare juvat. »

Næniarum vestigia supersunt adhuc in Magna Græcia, minime obliterata mortuos deflendi ad rhythmum consuetudine. Harum unam Calabris rusticis adhuc familiarem recen-

Digitized by Google

set eruditissimus atque elegantissimus A. Santorellus[1] in sua Postpraxi, seu De curando defuncto. Et Lilius Gyraldus, superioris sæculi decus, testatur muliebrem illum ejulandi morem, et comas genasque lacerandi, sua ætate perseverasse in Sabinis, et toto fere Latio, et supra Latium. Succulentam observa Næniam nostrum apud Lucretium[2]:

At jam non domus accipiet te læta, neque uxor
Optima : nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, et tacita pectus dulcedine tangent.
Non poteris factis florentibus esse, tuisque
Præsidium, misero misere (aiunt) omnia ademit
Una dies infesta tibi tot præmia vitæ.

Ad rem vetuit quidem[3] Solon diram illarum genarum lanienam, necnon στερνοτυπίαν, Baltha[4] Cretensi monitore, ut est apud Plutarchum, haud vero sustulit, quod neque obtinuere Veneti, referente eodem Bellonio, a Græcis[5], quibus dominantur. Namque, ut hoc obiter dicam, credula antiquitas sibi persuaserat, umbras sanguine et lacte satiari; unde, inquit Servius, feminæ, quæ mortuos prosequuntur, ubera tundunt, ut lac exprimant, cuncti autem se lacerant, ut sanguinem effundant.

Quum vero maxima omnisque ordinis conflueret feminarum frequentia ad funestam domum; cautum lege est, ne qua mulier ad funus accederet, nisi consanguinea[6], atque sexagenaria. Sublata namque erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctus concursum hominum : quocirca Pittacus[7] omnino accedere quemquam vetat in funus aliorum : quæ sanctio Aristotelis[8] ætate in usu erat: « In funere quoque cognatos potissimum prodire oportere arbitrantur ». Nondum liquet, an præter cognatos, et necessarios, qui primi in ordine atrati, capite-

1. De curand. defunct.
2. Lib. III.
3. Cic. De legg. II; Plut. in Solone.
4. In vit. Sol.
5. Loc. cit.
6. Solon refer. Demosth. in or.
7. Cic. De legg. II.
8. Aristot. Eth. IX, c. 11.

que[1] velato, mulierum cœtum anteibant, amici quoque, et totus adesset familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus, præter ludios, mimos, archimimos, saltatores, servos præterea manumissos ex testamento, libertos, latores lectorum, munerum, coronarum, tropæorum, cerearum imaginum, lictores insuper, Senatus ministros, quod Romani[2] erat moris. Illud tamen certum, Atheniensem magistratum honestasse nonnunquam præstantium civium funera, necnon intempestive officiosum persolvisse quandoque justitium. Et Solon apud J. Tzetzem, ut audivit, quod «Civitas vero deducebat universa funus juvenis», captus amici Thaletis artibus, elatum filium confestim credidit. Non dubito tamen humeros subjecisse feretro amicos, atque necessarios, quod tamen erat duorum generum apud fortunatos homines, lectus, et lectica: et notat Plutarchus[3], quod Timoleontis lectum delecti a populo juvenes portaverunt. Lectica vero, aut Hexaphoros[4], aut Octophoros nuncupabatur, a numero bajulorum.

Procedebat funebris pompa per compita civitatis, donec in foro consisteret, ubi præsentis defuncti laudes celebrabantur : qui mos, ut testatum fecit Anaximenes[5] Orator, a Solone fuit olim institutus, temporisque decursu, forsan, obliteratus, revixit tandem integer, eo præsertim tempore, quo Barbaros[6], Græciam invadentes, profligarunt ad Thermopylas.

Ad umbilicum jam deducta laudatione commovebatur funus, pergebatque ad locum sepulturæ, quæ tamen, neque unius modi, neque unius loci semper fuit, sed varia pro hominum instituto atque religione. Principio [7] suos referebant mortuos proprias ad ædes, ibique illos tumulabant: hos Lares dicebant, et domus Tutelaria Numina. Temporis vero

1. Eustath.
2. Dionys. Halicarn. Tacitus.
3. Plut. in Vita.
4. Hom. l. XVIII, Odyss. XXIV.
5. Ap. Plut. in Vita Solonis.
6. Plato in Minoe; Servius ad Æneid. lib, V.
7. Plat. l. c.

Digitized by Google

processu, vetantibus legibus, nefas fuit intra Urbem hominem sepelire, qua de re exactius posthac.

Duo vero exstitisse sepulturæ genera apud Athenienses, nemo est qui ambigat. At mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, inquit Tullius, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, et ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. Nam[1] et Athenis jam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit, corpus terra humandi, quam[*] quum proximi fecerant, obductaque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus, et gremium, quasi matris, mortuis tribueretur; solum autem frugibus expiatum, ut vivis redderetur. Humationis tamen jura non immerito turbat combustio, suaque exordia ad Herculis[2] refert ætatem: qui Archeum Licymni filium orbo parenti restituit, ut declinaret perjurium. Observo tamen ad Socratis usque tempora utrumque sepulturæ modum fuisse in usu, quod ex morientis verbis in Phædone[3] apposite assequeris. Licet vero religione se teneri responderint Athenienses S. Sulpicio[4], ne Marcelli cadaver intra urbem sepelirent; movent me tamen melioris notæ Auctores[5] morem fuisse Græcis, vel in civitatis meditullio, ipsoque foro, claros viros sepelire: Theseum[6] nobis obtrudit Plutarchus, cujus ossa a Cimone in sua triremi deportata, ovantes Athenienses eximia celebritate et sacrificiis, sicut reducem ipsum ad urbem exceperunt, ac media conditus est urbe prope gymnasium, quod nunc est: quanquam non diffiteor, frequentissimam fuisse sepulturam in Ceramico. Duo[7] vero Athenis numerabantur Ceramici, unus in civitate, alter extra civitatem, ubi sepeliebant eos, qui in bello cecidissent, inibique funebres orationes habebantur, in altero etenim scorta prostabant:

1. Cic. De legg. II.
* Sic. An leg. *quod?* Ed.
2. Andron. Hist. Eust. Il. I.
3. Plato in Phæd.
4. C. Serv. Sulp. in Epist. ad Cic.
5. Paul. in Attic. Diog. Laert. in vita; Xenoph. lib. VII; Thucyd. lib. V; Arnob. adv. Gent. lib. VI.
6. In Vita.
7. Suidas in K. Demosthenes, Philostr. De vita Sophist. lib. I; Clem. Al. Strom. V; schol. Aristoph. in Equit.

Digitized by Google

mirum ne superior et bustuarias aluerit mœchas, « Spurcas et monumenta[1] lupas ».

Illud tamen animadvertas velim ex Pausania[2], non omnes in Ceramicó tumulatos, sed plurimam illustrium virorum partem juxta publicas vias sepulcra habuisse : primumque ei, quæ ex Piræeo ducit ad Urbem, adjuncta fuisse, Menandri, Diopithis filii, et Euripidis : in Curiis præterea ipsis extra urbem, et in viis passim Deorum templa, heroum et hominum fuisse sepulcra, inter quæ primum obtinet jure locum Thrasybuli Lyci filii, Periclis insuper, Chabriæ, Phormionis, Cononis deinde, et Timothei. Atqui tumulus Aristidis[3] exstat in portu Phaleri, quem ei, quum ne sumtum quidem funeris reliquisset, publice ferunt factum.

Erat etiam suum omnibus, qui aut navalibus, aut terrestribus præliis pro patria mortem oppetierant, monumentum, illis exceptis, qui ad Marathonem ceciderunt; periere ubi locorum Persarum circiter sex millia trecenta ex Herodoto[4], Atheniensium vero centum nonaginta duo. His vero, eodem, quo occubuerant, loco sepulcra ad virtutis memoriam erecta; alios omnes in via, quæ ad Academiam ducit, tradunt fuisse sepultos. In magnis vero cladibus, ne quid de pietate, suetave gratitudine minueret Atheniensis R. P. sic prospiciebat gregariis militibus : promiscuo saltem collectorum ossium funere, facto triduo ante exequiarum diem tabernaculo[5], mortuorum ossa proponebantur, et suorum quisque reliquias, si quid libuisset, imponebat. Quum efferebatur, singularum tribuum singulas arcas, suæ cujusque tribus ossa continentes, vehiculo deportabant. Unus præterea totus* inanis, constratus simul deferebatur, eorum, quorum ossa non exstarent, vel inter cæsorum corpora reperti non fuissent. Educebant vero funus voluntarii quique promiscuo, vel cives, vel hospites, quum interea feminæ aliquæ, defunctis ne-

1. Martial. Epigramm. lib. I.
2. In Atticis.
3. Plut. in Vita.
4. Lib. VI.
5. Thucydides.
* Nonne *lectus* legendum ? Ed.

Digitized by Google

cessitudine conjunctæ, lacrymantes deflerent. Ossa sepulcro publico composita inferebantur, quod Athenis juxta Callisti monumentum fuerat in suburbanis.

Hæc de publico sepulcro. Haud tamen inverisimile est domesticis in fundis, extremisque proprii agri in finibus, posita fuisse privatorum hypogæa. Propria insuper sepulcra fuisse familiis[1] quibusque controvertere minime fas est. Quapropter Marcellinus cognationem Thucydidis cum Cimone probat hoc argumento : probroque[2] dabatur privari majorum sepulcro.

Nam Athenis[3] scelestorum corporum projectio, mortuorumque effossio, *ne jugulatorum quidem filiorum filiis aspicere fas erat. Exstat decretum Atheniensium apud Plutarchum[4] in perduellionis reos, Archeptolemum et Antiphontem : præter vero inustas illis infamiæ notas, accessit et quod sequitur : « Nec liceat Archeptolemum et Antiphontem Athenis humare, neque in finibus, qui juris sint Atheniensis ». Par futura erat Hyperidis[5] Oratoris sors, ni Alphenus ejus consobrinus permissum sibi corpus a Philopithe Medico cremasset, et ossa Athenas deportasset ad necessarios, contra Atheniensium et Macedonum decreta : non modo enim pulsum in exsilium fuisse, verum etiam, ne in suo sepeliretur interdictum. Præstitere necnon simile officium Themistoclis amici[6], verum clam fuere illius ossa sepulta, quum legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus : jussumque inimicis Phocionis est[7], ut illius corpus extra fines projiceretur, ac ne quis Atheniensis rogum funeri incenderet. Hinc[8] factum ut, conspirante in illius odium multitudine, nemo liber ausus sit Phocionem sepelire, itaque a servis sepultus est. Enorme prorsus fuisse, quod contigit quandoque apud trecentos delectos ex primoribus judices; Myrone[9] postulante Phylensi

1. Demosth. in Macartatum.
2. Diacanthus.
3. Plut. De ser. num. vindicta.
* Sic. Ego non capio. Ed.
4. In Vit. Or. X.
5. Plut. lib. cit.
6. Æmil. Prob. in Vita.
7. Plut. in Vita.
8. Æmil. Prob.
9. Plut. in Solon.

Digitized by Google

damnati, et in exsilium qui supererant, acti sunt, defunctorum cadavera effossa, trans fines projecere. Tyrannis siquidem Athenienses cives adeo fuere odio, ut quando illorum obtinerent bona, nedum ædes demolirentur diruerentque, sed et sepulcra effoderent, referente Isocrate[1]. Inimico[2] homini illuc accedere, ne quidem licebat, neque[3] cuivis, nisi dum iret ad exsequias.

Singulare tibi occurret, quod de Thesei sepulcro narrat Plutarchus[4]; est enim id perfugium inviolabile servis, et omnibus demissioribus, timentibusque potentiores, quod tutelaris Theseus atque auxiliaris fuisset, et benigne accepisset abjectorum preces. Horum tamen violavit jura Philippus Macedo[5], tanquam expeditionem, non in viventes Athenienses, verum in vita functos, illorumque sepulcra suscepisset.

Promtior tumulandi mos[6] erat aggesta humo, sumtuosior in arca, præcipue si marmorea, quorum una apud nos exstat : omnium sumtuosissimus in camerata ædicula, cujus in medio locabatur et arca. Nostræ[7] vero titulus est :

ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΕΠΑΦΡΑ ΤΗ
ΙΔΙΑ ΓΥΝΑΙΚΙ ΓΕΜΙΝΙΑ
ΜΥΡΤΑΛΗ ΜΝΗΜΗΣ
ΤΕΛΕΥΤΑΙΑΣ ΧΑΡΙΝ
ΤΗΝ ΣΟΡΟΝ ΕΦ' Ω ΜΗΔΕ
ΝΑ ΜΗΤΕ ΠΩΛΗΣΑΙ
ΜΗΤΕ ΘΕΙΝΑΙ ΕΞΟΥΣΙΑΝ
ΕΧΕΙΝ ΠΛΗΝ ΕΙ ΜΗ ΤΙ
ΑΥΤΟΣ Ο ΑΧΙΛΛΕΥΣ
ΠΑΘΟΙΗ ΑΝΘΡΩΠΙ
ΝΟΝ ΕΙ ΔΕ ΤΙΣ
ΕΚΒΑΛΗ ΤΗΝ ΜΥΡ
ΤΑΛΗΝ ΔΩΣΕΙ
ΤΩ ΦΙΣΚΩ
ƆC. Β Φ

1. Isocr. De jugo.
2. Soph. in Ajace, Isæus.
3. Plut. in Sol.
4. Plut. in Vita.
5. Livius.
6. Cic. De legg. II.
7. Petronius Arbit. in Ephesina.

Digitized by Google

ACHILLES. EPAPHRA.
PROPRIÆ. CONJUGI. GEMINIÆ.
MYRTALÆ. MEMORIÆ.
SUPREMÆ. GRATIA.
MONUMENTUM. IN. QUO. NEMO.
NEQUE. VENDENDI.
NEQUE. MORTUUM. COLLOCANDI. POTESTATEM.
HABEAT. NISI. QUID.
IPSE. ACHILLES.
PATIATUR. HUMANUM.
SI. QUIS. VERO.
EJECERIT. MYR.
TALEM. DABIT.
FISCO.
.ↃC. CLↃ CLↃ LↃ.

Mos[1] vero Atheniensibus erat mortuos condere obversos ad occidentem, quum spectantes orientem Megarenses suos conderent, quicquid per memoriæ lapsum dicat Diogenes Laertius : ni tamen Megarensem Heream[2] admiseris reclamantem, Megarenses quoque cadavera in occasum versa collocasse. Neque te ignorare par est, singulos loculos[3] habuisse Athenienses, secus quam Megarenses : hi namque terni aut quaterni unico in loculo condebantur.

Non sum nescius, huic consuetudini derogatum quandoque fuisse. Ferunt[4] enim, quod Syrianus Procli præceptor, vivens ab ipso petierat, ut secum sepeliretur, ideoque duplices monumenti loculos faciendos curaverat. Quum vero post illius obitum vir sanctissimus aliquando ambigeret, numquid præter decori rationem hoc futurum esset, solutum corpore in somnis sibi hac solum de causa minitantem sensit. Condebantur[5] nonnunquam simul et arma, cujus rei illustre testimonium præbet nobis Plutarchus in vita Thesei, inquiens:

1. Plutarchus in Solone; Eust. ad Iliad. XIX; Ælian. lib. VII, c. 19, et lib. V, c. 14.

2. In Solone.

3. Hereas ap. Plut. in Sol.

4. Enarrator in illius Vita ex vers. L. Hostenii.

5. Herod. lib. VI.

Reperti sunt magni corporis loculi, adjunctaque cuspide hastæ ænea cum ense. Cimon vero sepultus fuit ante Urbem trans viam, quæ vocatur Diacœle, et e regione sepultæ sunt equæ illæ, quæ tres Olympiacas victorias reportarunt.

At combustio operosiorem expetebat apparatum. Abstinebo volens a dispendioso funere, quod universus pæne orbis Hephæstioni, Alexandri amico, paravit, ita ut nullam posteris æmulandi facultatem reliquerit. Sat mihi in præsenti est Lectorem admonere, quod ingens componebatur odoratorum[1], pinguiumque lignorum strues, quæ πυρὰ νεκρῶν Atticis, rogus Romanis dicebatur. Quadrata[2] erat pyra, et æquilatera; centum vero pedibus longam quoquoversus dimensi sunt Achilleam[3] Myrmidones ad Trojam. Par est credere, sublimem erectam magnatibus, humilem plebeiis, nulloque ornatu decoram. Nam in tantum excreverat sumtus in funere, ut modum imponere necesse fuerit, legeque cavere Athenis, ne levigatis lignis in pyra quis uteretur. Quo e fonte, ut cuncta fere, vel Tullii[4] ipsius testimonio, in sua derivarunt Decemviri, necnon et illud, Rogum ascia ne polito, ne quid dicam de annulis, longis coronis, tibicinum numero, reliquisque funebribus sublatis ab eodem legislatore: quorum tamen vestigia vix observantur in fragmentis duodecim tabularum, temporum forsan injuria, vel hominum dolenda incuria.

Ut igitur ventum erat ad Ustrinæ locum, consistebat funebris pompa, factique propius cari operiebant defunctum comis[5] quas sibi in doloris signum evellebant[6], aut tondebant[7]: præterea oleaginis[8] ramusculis, quanquam nefas[9] erat Athenis oleas convertere ad profanos usus. Non con-

1. Ælian. De var. hist.
2. Herodianus.
3. Hom. lib. XVIII.
4. Cic. De legg. II.
5. Sophocl. in Aj. II, et Oreste. Maximus Tyrius Orat. VIII; D. Halicarn. lib. XI.
6. Petr. in Ephes. Hom. Il. XVIII; Calab. lib. XIII; Apoll. Arg. I.
7. Hom. l. cit. Calab. l. cit. Hom. Odyss. IV; Plutarch. in Rom.; Eurip. in Suppl.
8. Artem. Onirocr.
9. Demosth. ex Ant. Clero.

Digitized by Google

troversor, habitas et nonnunquam fuisse ibi locorum funebres orationes, præsertim in militum sepultura, quod me monet Thucydides[1]. At neque dubito veris tunc lacrymis, postremisque amplexibus vita functum prosequi et alloqui consuevisse, ut si quis[2] sensus post mortem superstes, vividi saltem amoris deliniretur officiis.

Suprema tandem collocabatur in pyra defunctus a cognatis[3] ferali cum lectulo et ornamentis; nondum tamen liquet, num clausos jacenti reserarent oculos, quod Romani[4] consuevere, an resignantem oculos Mercurium exspectarent. Hinc adipe operiebatur animalium, quæ mactata, mox rogo imponebantur cremanda, simul et nonnunquam cum jugulatis[5] hostibus, servis, equis, canibus, avibus, non absque pretiosis vestibus, melle, vino, auro, succino, unguentis, inimicorum armis[6], et propriis, necnon amicorum postremis copiosisque muneribus: ita ut Soloni[7] necesse fuerit inanem compescere luxum, et lege interdicere, ne plus quam unicus bos immolaretur, isque forsan simulatus, neve plures quam tres vestes rogo injicerentur.

Ridiculam vero superstitionem ditem cremandi supellectilem hinc defluxisse existimo. Nam quum[8] Periander apud Thesprotos, qui sunt ad flumen Acherontem, nuntios misisset, Melissa (uxor) apparens negavit se indicaturam, aut dicturam, ubinam depositum esset collocatum, quoniam ipsa algeret, quia nuda erat. Nihil enim sibi prodesse vestes, cum quibus sepulta fuisset, utpote non crematas. Itaque Corinthias mulieres omnes ad Junonis templum convenientes exuit, atque eas vestes ad foveam comportatas, Melissam precando, cremavit. Suadent XII Tab. sanctiones[9], ut credam, eumdem

1. In Historia.
2. Isocrates in Æginetico; Aristid. in Plat. Quint. Declam. 332; Ovid. De Ponto, I.
3. Pind. Pyth. Od. III.
4. Plin. H. N. lib. XI, c. 37.
5. Pind. Olymp. Od. II; Euripid. in Troad.; Hom. Il. XXIII, Odyss. XV; Calab. lib. III.
6. Lucian. De luctu.
7. Plut. in Vita; Cicero De legg. libro II.
8. Herod. lib. V.
9. Cic. l. cit.

Digitized by Google

legislatorem cavisse, ne aurum cremaretur; nulli futurum emolumento mortuis, maximo vero detrimento viventibus, interdicta ob illius penuriam commutatione. Sed quid[1] hæc loquor? Quot enim sunt, qui equos, ac concubinas, rursum alii, qui pincernas etiam in funere mactarunt, qui vestem, reliquumque mundum pariter in rogum injectum cremarunt, aut una cum cadavere sepelierunt? Perinde quasi illic sit usurus, et apud Inferos fruiturus?

Supererat postremo pyræ incensio, quam necessarius, admota face, aversoque vultu[2] moliebatur, ne officium volens præstare videretur. Serpebat actutum ignis, præque copioso congruoque fomento, flammam excitabat ingentem. Rogabant[3] interim ventos, votisque illorum adventum sollicitabant, quo citius absumeretur cum lignis cadaver, licet[4] Herculis pyra subito circumdantibus fulminibus exusta sit, Diodoro auctore.

Tempus jam aderat, quum luctificum clangente tuba, decursores monebat, ut rogum ter circuirent, et divisa nonnunquam acie concursarent ad simulacrum pugnæ. Non ignoro tamen varium fuisse apud Antiquos discursionis tempus: in funere namque Patrocli apud Homerum[5] præcessit illa, comitabatur[6] vero Achillei cadaveris combustionem: subsequebatur, et nonnunquam, vel ipsam tumulationem: quod videre est apud Apollonium in Argonauticis[7]. Hac, inquam, putabant defunctum lustrari; etsi credam ego ad hoc institutam decursionem, ut nænias lugentium compesceret, aut interpolaret (quod habes a P. Statio[8]), et reliquos funeris spectatores in officio contineret, ne præ tædio concederent. Longa namque sub dio erat mora, licet copiosa pinguiaque fomenta igni apposuissent. Quapropter Achilles, vel amici carissimi in funere, quod reliquum erat crema-

1. Lucian. De luctu.
2. Virg. Æn. VI; Terent. in Comœd.; Diodorus Sic. lib. V, c. 2; Plutarchus in Phoc.
3. Hom. Il. XXIII.
4. Lib. V, c. 2.
5. Il. XXIII.
6. Odyss.
7. Lib. I.
8. Theb. lib. VI.

Digitized by Google

tionis, commisit funeratoribus, qui excubantes, pyræ ligna accumularent. Et vero in triduum[1] usque dilatam nonnunquam observo cinerum atque ossium collectionem: quanquam non sum nescius eadem decedente[2] die, frequentissime peractam.

Rogum igitur post deflagrationem annoso vino[3], nigroque respergebant, quo tutior ad eum esset accessus, quandoquidem discincti, nudisque pedibus et lotis manibus, qui sanguine[4] vel necessitudine juncti noctu[5] supremum ossilegii præstabant officium. Nacti vero semiustulata ossa, adhuc velata cana favilla, irrigabant vino[6], lacte, et lacrymis, inque linteis ventilabant[7], sinuque fovebant, donec exsiccata conderent in vas[8], una cum cineribus, odoribus, et vasculis lacrymarum. Neque supprimam nactus occasionem, horum duo vitrea reperta nuper fuisse humili in loculo inter parietinas atque ruinas antiquissimæ Fesularum urbis, una cum fictili lucerna: quæ singula nostri modo facta juris per icones communicamus curiosis.

Non unius vero erat formæ neque materiæ cinerarium illud vas, quandoquidem heroibus aureum[9] decernebatur, atque[10] argenteum; æreum marmoreumque divitibus; fictile aut ligneum tenuioris fortunæ hominibus: quod clausum tegebant tandem purpureis mollibus peplis, aut linteo subtili, terræque mandabant. Raritas Asbesti lini fecit hæc tædia. Consuevere namque feliciores incremabili tela funus involvere, ignique committere, exclusa penitus nobili ingenio adulterina favilla[11]. Prætereo volens auream Demetrii[12] urnam regali purpura et diademate exornatam, quæ decurrente Co-

1. Virg. Æn. lib. X.
2. Eurip. in Oreste.
3. Hom. Il. XXII, XXIV, Odyss. XXIV; Calab. lib. III.
4. Diocles, Sueton. in August.
5. Eurip. in Hel.; Pindar. Pyth. III; Hom. Il. XXIV; Diod. Sic. lib. V, c. 2.
6. Eurip. in Oreste.
7. Tibull. Eleg. lib. IV.
8. Hom. Il. XXIII, XXIV, Odyss. XXIV; Calab.
9. Hom. Il. XXIII, Odyss. XXIV.
10. Amm. Marcell. lib. XIX.
11. Calab. lib. III; Homer. Il. XX, XXIV.
12. Plut. in Vita.

Digitized by Google

rinthum classe ex puppi prætoriæ navis conspicúa coronis onerabatur, quum ad littus ligna appellerent. Habuit enim, ut inquit Plutarchus, funus Demetrii tragicam theatralemque speciem, et celeberrimus illius ætatis tibicen Xenophantus assidens, sacratissimum carmen accinuit, cui concinente remigio, clangor cum modulatione quadam velut in planctu respondit carminum ad tibias ambitibus. Neque indictum abibit pientissimum Evagoræ[1] funus a Nicocle filio præstitum, celebre, nedum multitudine inferiarum, atque valore, verum et choris, musica, gymnicisque conflictibus, cum equorum, ac triremium ludis.

Contigit præterea fortunatis nonnullis claudere funus spectaculis[2] atque certaminibus, quod tamen non omnium erat: gratusque Atheniensis[3] populus in viros, qui bello Persico ceciderant præter sepulcrorum ornamenta funebres instituit ludos, atque certamina ad sepulturam.

Verum post peracta sacra ter nomine compellabant defunctum[4] æternumque[5] vale, terramque[6] levem precati discedebant, dimissi tamen prius a flamine vel funera, terque aqua lustrati, ob contractam pollutionem ex aspectu funeris. Præter enarratam lustrationem, Romanis in usu erat, monente Festo, supergredi funus: quod purgationis genus suffitionem vocabant: qui mos an fuerit nostris Atheniensibus in usu, nondum mihi constat.

« Sequebantur[7] epulæ, quas inibant parentes coronati: apud quas de mortui laude, quum quid veri erat, prædicatum: nam mentiri nefas habebatur: at justa conjecta erant ». Diverterant ab hoc sano instituto Athenienses; adeo ut exstet Parœmia, ne in funebri quidem cœna laudaveris.

Atras[8] autem vestes, funestumque amictum deponebant,

1. Isocr. Orat. IV.

2. Patrocl. Il. XXIII, Hector XXIV, Achill. Odyss. XXIV.

3. Diodor. Sic. lib. XI.

4. Theocr. Idyll. XIII; Hom. Odyss. I; Artemid. lib. I.

5. Suidas in K. Eurip. in Alcest.; Agath. Amm. Anthol. lib. II.

6. Eurip. in Iphig.; Lucian. De Dea Syria.

7. Cic. De legg. II, in calce.

8. Plut. in Demosth.

Digitized by Google

nonnisi transacta septima die : quapropter vitio datum est Demostheni ab Æschine, quod nondum expleta, ex consuetudine, hebdomada, splendide vestitus et coronatus prodierit; improperans illi, atque objiciens odium liberorum : quanquam Demosthenes coegerit privatum dolorem publicæ cedere lætitiæ. Sic mulcebatur[1] mœrentium animus, et convivantium monitis impellebantur parentes ut exsuccum, præ diutina ἀσιτίᾳ corpus instaurarent. Nemo namque, ut ille ait, invitus audit, quum cogitur, aut cibum sumere, aut vivere. Epulum vero Athenis ex Polluce, per funeris præfectos, apud defuncti maxime necessarium dari consuevit : hæsito tamen, an publicum instituerint, Achillis exemplo, in Patrocli funere, quod fecere Romani, et viscerationem dicebant, ob carnes evisceratas, quæ in populum distribuebantur.

Absolvebantur interim operosi sepulcri ornamenta, nisi quis tamen prius sibi vivens posuisset. In tantum vero modum excesserat sumtus[2] ut propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sancitum sit Athenis, ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo. Neque id opere tectorio exornari, nec Hermas, quos vocant, licebat imponi. Sunt vero Hermæ[3] statuæ lapideæ in figuram quadrangulam desinentes, pedum tenus non expolitæ.

Præterea nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Nam[4] lex erat lata, uti rhetores præcipui laudes eorum edocendas, et gesta commemoranda susciperent, qui publica sepultura donati essent. Sepulcris autem novis Demetrius definivit modum. Nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut mensam, aut labellum, et huic procurationi certum magistratum præfecerat. Mensæ vero nomen defuncti[5], effigiesque insculpebantur. Illud vero noto, quod ab antiquis temporibus

1. Lucian. De luctu.
2. Cic. De legg. II.
3. Paus. in Arcadia.
4. Diodor. Sic. lib. V.
5. Plutarchus in Isocrate, in Lycurgo.

Digitized by Google

tumulo hujusmodi figerentur columnæ, ut enim est apud Homerum[1] observatione Plutarchi « Hic illum socii tumulabant atque propinqui, Et (qui defunctos vita comitantur honores) Aggere donabunt, tumulo figentque columnam ». Innuptorum monumento ex Polluce[2] puella adstabat aquigera, vas habens aquarium, hydriam, scilicet, gutturnium, urnam, aut pelvim : insistentem autem tumulo imaginem sive aquigera esset, vel alia quæpiam, ἐπιστήμην Isæus vocavit.

Structuræ[3] tamen humilitas non derogabat invidioso tropæi titulo, quem grati cives excitabant strenuis pro patria bellatoribus : quanquam non sum nescius humi[4] appositam fuisse columellam Geometræ Archimedis sepulcro. Eminet[5] Marathonis in campis tumulus una cum pilis, in quibus cæsorum nomina, et tribus scriptæ sunt. His vero eodem quo occubuerant loco sepulcra erecta, ad virtutis memoriam, licet suum esse omnibus consueverit, qui aut navalibus aut terrestribus præliis pro patria mortem oppetiere. En tibi ex Diodoro[6] Siculo Epitaphion eorum, qui ceciderant ad Thermopylas : « Hospes nuntia Lacedæmoniis istic nos jacere, decretis ducibusque suis obsecutos ». Illud interim data occasione non præteribo, quod ad Platæas[7] desiderati sunt ex Atheniensibus duo et quinquaginta, omnes ex tribu Aiantide, quæ, ut Clidemus ait, pugnavit fortissime. Quamobrem Nymphis Sphragitidibus Aiantidæ victoriæ causa, sacra ex Apollinis oraculo, præscripta sumtu publico faciebant. Sepeliebantur vero in via, quæ ad Academiam ducit, ac pilæ tumulis imponebantur cum Elogiis, nomen cujusque et curiam testantibus.

Æquitatis autem plenissimum illud plebiscitum fuit, quo publicæ sepulturæ honor est cum servis communicatus, eorumque nomina columnis incisa sunt, ob fideliter et strenue dominis in prælio operam suam navatam. Honoraria vero

1. Iliad. XX.
2. Lib. VIII, c. 7.
3. Plutarch. in Vita, scholiastes Aristophanis.
4. Cic. De legg. II.
5. Pausan. in Atticis.
6. Lib. XI.
7. Plut. in Aristid.

Digitized by Google

illa fuisse non dubito, vacuaque sepulcra, ni tamen ante elationem, digitus osve post deflagrationem fuisset ex industria surreptum, ad quod justa fierent in patria; propter Decem Viri æmulati, forsan ut in omnibus fere, Atheniensium funebres mores, ossilegium sustulerunt, extra quam si quis foris militansque mortuus esset.

Cenotaphia vero Græcis usitata fuisse controvertet is, cui nova est Corinthiorum[1] pietas in Argivos ad Trojam occisos, et cenotaphium magnum factum Athenis militibus[2], quorum corpora inventa non sunt: ne quid dicam de celebri illo Cyri, quod refert Xenophon[3] in Expeditione. Volens prætereo sepulcrum Euripidis in via, quæ ex Piræo ducit Athenas, quum tamen Euripides[4] in Macedoniam ad Archelaum profectus esset, ibique sepultus. Illud vero intercedebat discriminis, quod honoraria militum navali pugna peremtorum, tabulæ, seu nautici ligni emblemate, aut remi, quod contigit Elpenori apud Homerum[5] signabantur, reliqua vero minime; et si non ignorem sepulcris quibusque, præter titulos, apposita nec non frequenter fuisse emblemata : ut Archimedi sphæram[6] et cylindrum, Diogeni canem[7], Isocrati arietem[8], noctuas[9] vero frequentissime, ne quid dicam de statuis[10] sepulcralibus, quibus ornabantur ditiorum monumenta. Servo sophoque Æsopo nec non « Ingentem[11] statuam posuere Attici, Servumque collocarunt æterna in basi, Patere honoris scirent ut cuncti viam, Nec generi tribui, sed virtuti gloriam ». Volupe, Lector, forsan tibi esset comparem noctuam observare marmoream Græci operis, nostri dudum factam juris liberalitate Illustrissimi Equitis Benedicti Dragomannii.

Illud non præteribo, quod Athenienses in efferendo funere hastam[12], quam adhibeant, si quando eorum cognati

1. Pausan. in Corinth.
2. Pausan. in Atticis.
3. Lib. VI.
4. Pausan. l. c.
5. Odyss. XII.
6. Cic. in Tusc.
7. Laert. in Vita.
8. Plut. Rhet. X.
9. Athenæus in Deipnosophist. lib. XIII.
10. Lycophron, Pind. Nem. Od. X, Plato De rep. XII.
11. Phæd. lib. II.
12. Suidas.

Digitized by Google

alieno facinore interfecti essent, ut audisti superius, in tumulo defigebant, eoque modo ultionem interfectoribus denuntiabant: unde horum funeri, qui intererant, testabantur se non fecisse.

Moris[1] vero tandem fuit post elationem cadaveris familiares lavari purgationis gratia. Instaurabatur tandem evanidus luctus libaminibus sepulcro illatis, atque ferali cœna: existimabant siquidem ibi vagari manes defunctorum, et superstite[2] sensu, alimentis egere, officiisque deliniri. Quapropter stata die et circa solis occasum[3], atrati, liquoribus perfundebant loculos: erant[4] vero mel, lac[5], vinum[6], aqua[7], sanguis[8], unguenta[9], non absque lacrymis, longisque coronis saxum ambientibus, ex apio[10] et myrto[11], una cum tæniis[12]. Operosius quid exigebat Argivorum Encnisma. Nam qui amiserant propinquum[13], aut familiarem, his moris erat mox sub luctum, ut Apollini operarentur diebus triginta, post Mercurio. Arbitrabantur enim, quo modo corpora mortuorum terra recipit, ita Mercurium animas. Apollinis ministro hordeum dabant, et carnes hostiæ accipiebant: exstinguebant, ut pollutum, ignem, eumque ab aliis accendebant, quo carnes assarent, quas Encnisma nuncupabant.

Duo vero sunt, quæ te moneam: primum de aqua inferenda, cui ministerio, ut notarunt eruditi[14], si vir, aut femina e vita excessisset, portatam fuisse a mulieribus, quæ Ἐγχυτρίστριαι dicebantur: si vero juvenis quispiam, aut virgo; tunc commissum fuisse officium puero defuncti consanguineo. Alterum quod ex me, quin ex Libanio[15], monitum te velim, de sanguine humano mortuis oblato ab Achille, re-

1. Schol. Aristoph. in Nub.
2. Ovid. De Ponto, I; Cic. pro Sextio; Isocr. in Ægin. Aristid. in Plat.
3. Schol. Apoll.
4. Plutarchus De consolatione ad Apoll.
5. Eurip. in Orest. in Iphigen.
6. Lucian. De luctu.
7. Soph. in Electr.
8. Eurip. in Iphig.
9. Anacreon.
10. Plut. Timol. Diodor. Sic. in Philipp. Suidas.
11. Eurip. in Electr.
12. Plut. in vita Philop.
13. Plut. in Quæst. Græc.
14. Meursius.
15. In Progymn.

Digitized by Google

cessisse hunc a moribus Græcorum, indignis modis mortuos tractantem, et Patrocli sepulcro alienos quosdam honores excogitasse. Supervacanea dixit Plutarchus, Achillem[1] cum rogo Patrocli cremasse, quum alia animalia, tum etiam homines, non quidem hoc laudante Homero, ut qui accinat, «Facta agitans animo mala». Iphigenia namque apud Euripidem[2] fontes sanguinis parabat ex montanis rivulis, et ovium cæsarum imbre, non ex hostibus ad rogum jugulatis, quod ille patravit. At quis est nescius, captum[3] hostem non jam pro adversario habendum, quum ipsa victoria mutet nomen illius, et appellari faciat pro hoste supplicem?

Redeo ad pensum. Omnigenis præterea floribus[4] undique perfundebatur solum: quos inter primas obtinuere rosæ[5], subsequuti amaranti[6], lilia[7], loti[8] candidus flos, rubens papaveris, pallentes denique violæ[9], quibus necnon conspergebatur exigua patella, ferali cœnæ[10] destinata. Fercula[11] huic mandari sueta numero enumerat Latinus Poeta, docetque focis imponi, quod pridem et Græci monuerant[12]. Dum vero irridet sui seculi mores Lucianus[13], rem nobis ob oculos ponit. Quid igitur, inquit, saxa illa coronant, unguentaque inungunt? alii præ tumulis constituto rogo ac fovea effossa sumtuosas illas excavant cœnas, et vinum multum, quantum conjectura assequi possum, in ipsas foveas infundunt: neque conjectura hominem fefellit, ut mox audies.

Parentabant[14] vero Athenienses mense Anthesterione, quo tempore fere et Romani[15]. Nam XI Kal. Martii his fuit in more animas placare paternas. Priscus[16] Athenis profecto fuit ille ritus; patriaque lege tenebantur quotannis deplorare sepul-

1. Plut. de Hom.
2. In Electra.
3. Libanius l. c.
4. Pind. Od. IV de Sup. Amph.
5. Anacreon Ode in Ros.
6. Philostrat. in Heroicis.
7. Dioscor. Antig.
8. Theophrastus Historia Plantarum lib. VI.
9. Prudentius.
10. Lucianus De luctu.
11. Ovid. Fast.
12. Sophocl. in Electra; Lucian. De luctu.
13. Dial. Char.
14. Hesychius.
15. Ovid. Fast. II.
16. Lysias in Or.

Digitized by Google

tos, eosque[1] præterea, ut audisti, in concione illa die laudare, qui fuissent in præliis sublati. Illudque ratum, quod sacrum maximum, referente Plutarcho, exhibebant Theseo, octavo die mensis Pyanepsionis, quo ex Creta rediit cum impuberibus, attamen et aliorum mensium octavo quoque die colunt eum. Par vero grati memorisque animi testimonium collatum necnon fuit in Græcos[2], qui a Medis interfecti, siti jacebant apud Platæenses[3]. Volupe modo est rem præ oculis ponere, Plutarcho directore. Platæenses receperunt Græcis, qui ceciderant illic, et humati fuerant, quotannis parentare, quod in hanc diem ad hunc faciunt modum: « Mæmacterionis mensis, qui apud Bœotios est Alalcomenius, sextodecimo die pompam agunt: quam antecedit prima luce tubicen, classicum canens. Sequuntur plaustra myrti, et coronamentorum plena, taurus niger, libamina in amphoris, vini, et lactis, crossosque olei et ungenti adolescentes ingenui ferunt. Nulli enim licet homini conditionis servilis illud attingere ministerium : quod illi viri pro libertate occubuissent. Novissimus Platæensium Archon, cui alias neque ferrum attrectare, neque aliam quam candidam induere vestem fas est, tunc sago puniceo amictus sumit ex tabulario hydriam, gladiumque tenens medio oppido ad monumentum pergit. Mox aquam ex fonte capit, abluit pilas et inungit, immolatoque super pyram tauro, Jovem, ac Mercurium Inferum precatus, viros illos fortes, qui letum pro Græcia oppetierunt, ad cœnam et Inferias illas per sanguinem invitat. Tum pateram vino miscet, quam ubi profudit, ita fatur : Propino illis viris, qui pro libertate Græciæ occiderunt. Hæc solennia servant in hodiernam diem Platæenses ».

Neque minoris habenda sunt, quæ Timoleonti decrevit Syracusana Respublica; lecto namque in rogum illato, Demetrius, præconum illius memoriæ omnium vocalissimus, scriptum decretum recitavit hujusmodi : Populus Syracusanus

1. Cic. lib. De orat.
2. Thucyd. lib. III in orat. Plat.
3. Plutarchus in Aristidis Vita.

Digitized by Google

scivit, Timoleontem hunc, Timodemi filium, Corinthium, quod tyrannis obtritis, barbaris superatis, et amplissimis urbibus, quæ eversæ fuerant, incolarum multitudine frequentatis, leges suas Siculis reddiderit, ducentarum minarum impensa funerandum, honorandum insuper in perpetuum ludis musicis, equestribus, et gymnicis.

Tempus[1] inferiarum particulare erat meridianis horis, vix tutis ab Empusæ spectro, variis technis molesto parentantibus. Plena[2] superstitionis sunt, atque hypocrisis, quæ narrantur de Proclo Lycio ab illius assentatore. Tanta enim, inter cetera, inquit, beato huic viro et cognitio et cura inerat justorum, quæ decedentibus ex hac vita persolvuntur, quanta vix scio an nemini. Neque enim tempus ullum Inferiis ex more persolvendis prætermittebat. Quin etiam quotannis statis diebus Atticorum heroum et philosophorum sepulcra obibat; uti et reliquorum, quibuscum amicitiam et familiaritatem coluerat: iisque non aliena opera ac ministerio, sed ipse per se justa faciebat. Deinde justis unicuique persolutis discedebat ad Academiam; ubi majorum suorum, omnesque cognatas sibi animas seorsim uno in loco sacrificiis placabat. Alia autem in parte cunctas simul philosophorum animas mactabat Inferiis. Præterque cuncta hæc tertium aliquem homo religiosissimus designabat locum, in quo omnibus demortuorum animabus justa persolveret.

Quæ profecto officia, aut assentationes, in tantum excrevere, ut non contenti Athenienses benemeritos de R. P.[3] peplo Minervæ intexere, in Deorum præterea numerum referrent, divinosque[4] illis haberent honores. Parum abfuit quin Alexander pro Deo Athenis[5] coleretur: evicissetque rem turpissimam adulatio, ni obstitisset vir prudens, tali scommate in multitudinem jacto: Ecquis Deus, inquit, hic erit, cujus templum ingredientes polluuntur, egredientes purgatione indigent?

1. Expos. Aristoph. in Ranis.
2. Eustath. refer. Cæl. Rhod. lib. VI, c. 28, Suidas.
3. Aristoph. in Equitibus.
4. Pausan. in Atticis.
5. Lycurg. orat. apud Plut.

Digitized by Google

Viden', mi Lector, quantum deflexerint Athenienses a prisco funerandi ritu, et quæ morum irrepserit corruptela finibus in Cecropiis, sæviente pestilentia? Verum, quoniam diverterat olim necnon universa Græcia a peregrinis institutis, legesque funerum vitiaverant, id quod Græcis usurpatissimum est, qui nihil certi, nihil fixi, et quieti habent, et nunquam consistunt, vel Iamblichi[1] depositione; est enim ingenium his suapte natura semper ad nova propensum, præcepsque passim fertur absque fulcro, et retinaculo, nec quicquam acceptorum ab aliis custodiunt, sed statim dimittunt, omnia transformantes, atque immutantes, ob instabile, ac versatile novarum rerum inveniendarum, tam ingenium, quam studium; non ab re proinde, qui e re nostra erit in præsens Ægyptiorum archetypum rimari[2]. Fuit namque Cecrops Atheniensium auctor, ut nosti, Ægyptius, et fama[3] est Melampodem Amythaonis[4] ex Ægypto in Græciam mysteria transtulisse: Eumolpidas vero ex sacerdotibus Ægyptiis desumtos olim fuisse, testantur non infimæ notæ historici[5].

1. Segm. VII, c. 5.
2. Diodor. Sic. Bibl. lib. I.
3. Herodot. Euterpe; Clemens in Protr.
4. Diodorus Siculus Biblioth. lib. III, c. 6.
5. Diod. Sic. Bibl. lib. I.

Digitized by Google

INDEX.

A.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

H.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

K.

L.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

O.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

V.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Z.

Digitized by Google

Digitized by Google

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC POSTERIORI VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS POSTERIORIS VOLUMINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google